




ANDREAS CIRINO CLERICVS REGVLARIS DE NATVRA ANIMALIVM.





VOLENTI NIL DIFFICILE.



ANDREAE CIRINO C. R. DE VENATIONE, ET NATVRA ANIMALIVM LIBRI QVINQVE.

QVIBVS EX VNIVERSO ANTIQVITATIS PENV trigintà ferè millia Auctorum oracula eduntur: & passim quæ ad Temporum emendationem; Gentium transmigrationem: Philologorum: ac Vatum monimenta: Ferarum, Regionumq; naturam: Gentium ritus: Belli Specimen, & Stratagemata: Sacrorum obseruationes: syderum effectus: quæue ad mores spectant Sapientum cum Gentilium, tum Christianorum oraculis expenduntur, & illustrantur.

EDVNTVR INSVPER EX SCRIPTVRA LOCA, QVÆ AD VENATIONEM, VEL ANIMANTIVM NATVRAM SPECTANT. VENATORVM ACTA: VENATORVMQ; DEORVM MYTOLOGIÆ.







PANORMI,

Apud Iosephum Bisagni. MDC.LIII.

DE LICENTIA SVPERIORVM.

DEO IESV MEO,

ANIMARVM VENATORI

OPTIMO MAXIMO

EIVSQVE MATRI MARIAE

Deiferæ, Deiparæ, Deiformi

ANDREAS CIRINO

VBI CVBENT, VBI PASCANT

H. P. A.



Oquar ad Deum meum cum sim puluis, & cinis; loquar ad Deum, Deiparæ filium, vt suscitet de puluere egenum: loquar accedens ad COR altum, Dei Filium, Deiformis ex corde Virginis, Verbum caro factum, quem procul, & de vltimis cœlorum finibus fortis mulier Deifera, quasi nauis institoris Deum, & Hominem protu-

tu-

tulit, vt ad prædam descenderet, captiuamque duceret captiuitatē, & dicam ei, ACCELERA, FESTINA, PRAEDARE: Quis similis tui in Dijs Domine? inter sæuissimas mundi huius illecebrarum spinas errantem venatus es Ouem, illasque colligens Synagoga, in die desponsationis cum Ecclesia, quæ sponsa sanguinis tibi fuit, mortali diademate coronauit te mater tua: sic inuenta Oue, quæ perierat, perijsti; Agnosco, Domine, Venatoris habitum: habitu inuentus vt homo, hominem inuenisti: Agnosco Venatum: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo Venantium: de excelso misisti rete pedibus meis, & conuertisti me: sic venisti, vidisti, vicisti. sic tandem captiuam ducens captiuitatem triūphasti: Tu illuminans mirabiliter à montibus Venationis verus Salomō, Princeps pacis, habens cū Oue, Principatum super humerum, MARIAM ad triumphum vocasti, Veni de Libano immaculati corporis sponsa mea, desponsata in fide; Veni de Libano candoris lucis æternæ, Veni MARIA, ac seposita corona stellarum duodecim, quam Draco detraxit Lucifer, coronaberis de capite Amana, de Vertice Sanijr, & Hermon, vbi homo in honore sanctitatis non intelligēs, similis factus iumentis insipientibus, septem S. Spiritus amisit dona, septemque Draconi diademata imposuit: Veni Soror, Filia Dei Patris, Mater mea veni; Ego vici mundum: CORONABERIS de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum, & qui[illegible] Animas pauperum tuorum non obliuisceris, e[illegible] tibi corona gloriæ, & Sertum letitiæ: ego Oues super humerum, tu singulares Feros gestabis in capite: Quis similis tui in Dijs Domine? non est secundum opera tua! vere Deus meus Charitas est, vere Deipara pulchræ dilectionis mater est: Audi ergo sanctæ

spei

ſpei mater, audi Ieſu, Imago bonitatis illius, dirupiſtis vincula mea, vobis hoc in volumine, ſacrificabo hoſtiam laudis: etenim inuiſibilia per ea quæ facta ſunt, anima mea exquiſiuit, & inuenit ſe TVI ESSE GENVS, & te omnia plena: Tu dixiſti, Meæ ſunt omnes Feræ ſyluarum, imo Tu Leo, Tu Agnus, Tu Vitulus, Tu Tigris, Tu Filius Vnicornis, Tu omnia omnibus, quia omnia in te, & per te, licet inuiſibilia, viſa conſpiciuntur: ideo te auoco, & deprecor, opera manuum tuarum ne deſpicias: in capite libri Imperij tui ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & quia tua ſunt omnia, reddo & vota mea, quia Tuus ſum ego & filius Ancillæ tuæ MARIAE, tibi quod tuum eſt reddo; nec gratis tuo inſcripſiſſe nomini LIBRVM HVNC quiſque credat, etenim noui in Manibus tuis deſcripſiſſe me; Fac ergo, Domine, mecum ſignum in bonum, fac vt litera tua ſim, ſcripta in præcordijs meis IESV-MARIAE SVM, PROCVL ESTO PROPHANE, videant qui oderunt me, & confundantur, ſicque ſiue viuam, ſiue moriar tuus ero: imo mundo mortuus, tibi viuam: etſi ego ſum qui in cœlum peccaui, qui malum contra te feci, qui erraui, ſicut ouis quæ perijt, Tu mitiſſime Ieſu, ob Mariæ preces exultans vt Gigas crucem aſcendiſti, & vt mortale meum expiares facinus mortem tuliſti, & reuixi: heu Domine quam maxime miſericordia ſuperexaltauit iudicium: Reſpice Domine, & viuam: audiat orbis, audiant Orbes Cœlorum, & Numina: ignoranter egi, deinceps, non moriar ſed viuam, & erit mihi Dominus in Deum.

A

QVAE SVRSVM SVNT SAPITE.



ANDREAE CIRINO C. R.

DE VENATIONE, ET NATVRA Animalium.

LIBRI PRIMI PARS PRIMA.

ANIMALIVM LAVS, ET PRAESTANTIA.

CAPVT PRIMVM.

1 

Ythagoras, simulque Empedocles, & Archita Tarentinus, animalium genus perfectissimum, cælorum semine ortum ad orbis complementum dixerunt: ex quo Plotinus Platonicorum Coriphæus l. 3. enn. 2. c. 5. inquit, *Hac apud nos animalia à Dijs Deo genitis sunt effecta*: hæc Numina prodit Hierocles in carm. pyth. de quibus M. Varro Terentius, penes Augustinum de Ciu. Dei plura enarrat; forsan quia Tyberianus poeta in Prometheo ait, *Deos singula sua homini, ac animalibus tribuisse*: & Chalcidius; *quamlibet animantium partem Dijs respondere*, testatur: quod Manilius in Astron. cecinit; vel Deum ipsum innuit, de quo Valerius Soranus,

Iuppiter omnipotens rerum, Regumq; Deumque
Progenitor, genitrixque Deum, Deus vnus, & omnes.

 ni-

nihilominus arcanum illud vtique, ac impenetrabile oraculum ex Platone idem Plotinus sic prodit, *id autem idem est, ac si dicatur, proximam post mundi architectum, animam esse cælestem, nostrasque similiter: ab ipsa vero cælesti* (scilicet Deo, vti Alcmæon Crotoniates, Xenocrates Chalcedonius, cæterique apud Tullium de nat. Deor. & Origenem adu. Celsum pluribus docent) *imaginem quandam produci, ac veluti à superis defluentem TERRENA ANIMALIA facere*. hactenus ille, & Speusippum ex Platonis sorore natum sequitur, qui, *Arnobio* auctore l. 8 adu. gent; *vim naturalem, & animalem* Deum statuit.

2 Hinc *non casu* oborta animalia, vti Chrisip pus, & Epicurus apud Plutarchum de plac. philos. effutit: neque rerum vicissitudine, sicut Anaxagoras, & Euripides somniant: similiter Varronis sententiam reijcio dum l. 2. de re rust. c. 1. inquit, *Igitur homines, & pecua cum semper fuisse sit necesse, natura (siue enim aliquod fuit principium generandi animalium, vt putauit Thales Milesius, & Zeno Cittieus: siue contra, principium horum extitit nullum, vt credidit Pythagoras Samius, & Aristoteles Stagirites) necesse est humana vita à summa memoria gradatim descēdisse ad hanc ætatem, vt scribit Dicaarchus*; hæc ille, cuius postrema oracula commendo, priora damno: nec inquā cum Anaximandro, *in humore primùm nata animalia corticibus contenta fuisse spinosis*: vel ex Empedocle, *prima animalia spectri formam ostentasse*, credendum est, sed potius, vti Lucretius Epicureus l. 1. iuxta Empedoclis sententiam de prima causa cecinit,

--- *Eadem cælum, mare, terras, flumina, solem*
„ *Constituunt: eadem fruges, arbusta, animantes*.

imo lib. 2. vna cum ipsis, etiam homines effert,

Quare magna Deum mater, materque ferarum,
Et nostri genetrix hæc dicta est corporis vna.

enimuero prima à sua origine perfectissima cuncta à Deo rerum opifice enixa creatoris prætulisse imaginem, eamque ratione conspicuam, tradit Basilius hom. 8. Ambrosius in Hexæm: Porphyrius l. 2. & pluribus in locis Plutarchus, & Ælianus præcipue dum Canis solertiam enarrat; quod Aristo-

ſtotinus ad Soclarem, dum pro animalibus terreſtribus arguit, ſic præſtat, *in vniuerſum cum philoſophi demonſtrãt ANIMALIA RATIONE ESSE PRAEDITA, argumenta Sunt propoſita, apparatus, memoria, animorum motus, pro ſobole procuratio, gratiarum actio pro acceptis beneficijs, meditatio vltionis in eos qui læſerant, inuentiones rerum neceſſariarum, indicium virtutis alicuius, vt fortitudinis, ſocietatis, magnanimitatis, quæ in terreſtribus animalibus documenta iſtorum omnium extant ſplendida, euidentia, & ſtabilia*: hæc ille apud Plutarchum de anim. ſolert. de quibus nos infra.

3 Animaduerto Ariſtotelis locum l. 6. eth. c. vlt. vbi perhibet, *pueris, ac belluis* à natura eodem pacto habitus virtutum tributos: nonnulli iuxta Tullij oraculum de finib. id credunt, quia *parui primo ortu, ſic iacent tanquam omnino ſine animo*: ſicque Dicæarchus, & Ariſtoxenus animi intelligentiam illis omnino negarunt. quibus conſonant Pythagoras, & Plato hic diſcutiendi, eorum namque oracula refert Plutarchus de plac. phil. lib. 5. vbi ait, *animas omnium, etiam bruta, quæ dicuntur animalium, eſſe rationis compotes, non tamen ea agere ſecundum rationem, idque fieri ob incommodum corporum temperamentum, quia loquela deſtituuntur, quod in canibus, & ſimijs apparet vocem non articulatam, tamen eam emittentibus*; at ſi animalium ſolertia voce tantum indigeret, illa ſummopere hac ipſiſſima commendatione extollere potuiſſem, enimuero Plinius l. 8. c. 30. de Hyena ſcribit, *SERMONEM HVMANVM inter paſtorum ſtabula aſſumulare, NOMENQ; ALICVIVS ADDISCERE, quem euocatum foras laceret*; de Crocuta ex Leæna Æthiopica, hyænaque exorta, poſt Diogenem, Plinius ibidem inquit, *ſimiliter imitari hominum voces, pecorumque*; & Iuba Rex ſapientiſſimus ſubinfert, *hominum SERMONEM imitari* Manticoram in Æthiopia: quid ſi miraculum addam? Ælianus de Cynocephalis ſcribens l. 6. c. 10. ait, *bene ſane animalia DISCERE ita percepi: regnantibus Ptolomæis Cynocephalos AEgyptij LITERAS LEGERE, & ſaltare, & ad tibias CANERE, & pulſare citharam docebant*; hæc Gil-

lius vertebat, & ex Manethone, ac Ctesia Pierius lib. 6. prodit, *Literas per Cynocephali simulacrum intelligebant AEgyptij, quia quoddam eorum genus, eas callere existimabant: seque illis ob LITERARVM COGNITIONEM cognatos esse: simul ac enim Cynocephalus in Templum inductus erat eorum ritu educandus, colendusque, sacerdos illi Albiolum, Calamum, & Sepiam apponebat exprobraturus an ex eo genere esset, quippe si quid scribendo cognationem suam approbasset ea de causa Mercurio sacer erat.* mirum censeo, dum Tullius in orat. pro Archia, vbi Demosthenem sequitur scribentem pro Ctesiphonte, *scribendi studium* post pueritiam indigitat, eo scilicet tempore, quo ratio plurimum viget; nihilominus Plinius ex Mutiano ter Coss. l. 8. c. 3 scribit *Elephãtum literarum ductus graecarum didicisse, solitumque perscribere eius linguae verbis, IPSE EGO HAEC SCRIPSI, ET SPOLIA CELTICA DICAVI.*

4 Forsan hac de causa, post Hermippum, & Azonacē, ac Eudoxum Zoroastris Persodemi Magiae, siuē sapientiae cultores, quorum meminit Plinius l. 30. c. 1. Porphyrius li. 3. de sacrif. credidit animantia quaeque ratione praedita, dicens *omnem animam sensibus, & memoria praeditam, esse rationalem. habereque RATIONEM, ET ORATIONEM INTERIOREM, EXTERIOREMque; qua inter se loquãtur animalia: quorum verba non discerni à nobis, nihil mirum sit, cum barbarorum etiam sermonem minime discernamus, neque tam loqui, quam indistinctè vociferari putemus.* refert haec Caelius, & addunt nonulli Melampū, Tiresiam, ac Taletem sermones animalium intellexisse: quod Philostratus l. 4. de Apollonio prodit, & Oppianus de venat.

Fama est inter sese sermocinari elephantas
Distinctasque susurrare, atque emittere voces.

Dio. l. 48. scribit *patriam vocem audire, atque intelligere,* quod Aelianus, Iuba, Plinius, caeterique quamplures testantur: Manilius etiam l. 2. astronomicorum,

Semper enim ex alijs, alias proseminat vsus:
Nec vulgata canã, LINGVAS didicere volucrū,

&

& l. 4. vbi de his qui cum Centauro nascuntur, --- *Libet*,
Cumque Elephante loqui, tantamq; aptare loquendo
Artibus humanis varia ad spectacula molem.

vnde Diogenes, si Plutarcho fides de plac. philosoph. inquit, *Animalia rationis, & aeris partem percipere, sed vel ob crassitiem, vel ob abundantiam humoris, neque intelligere, neque sentire, ac fere affecta esse eo modo, quo sunt insanientes, qui de mentis potestate exiuerunt*, nec aliter Tullius de somn. scip. & Macrobius ibid. l. 1. & Aristoteles in eth. quem vide.

5 Sit tandem maxima animalium laus, imitatio, & humanarum actionum imago, qua pollent: enimuero Plinius l. 8. c. 1. scribit, *Maximum est Elephas, proximumque HVMANIS SENSIBVS, quippe INTELLECTVS ILLIS SERMONIS PATRII, & Imperiorum obedientia, officiorumque, quæ didicere, MEMORIA, AMORIS, & GLORIAE voluptas, imo vero, quæ etiam in homine rara, PROBITAS, PRVDENTIA, AEQVITAS, RELIGIO quoque siderum, solisque, ac lunæ veneratio*, nec distant, quæ Calisthenes, Oppianus, ac Iuba de elephantis tradũt: de Leone addit Plinius ibid. c. 15. *credit Lybia intellectum peruenire ad eos precum: Captiuam certè Getulia reducem audiui multorum in syluis impetũ à se mitigatum alloquio, ausam dicere se fœminam profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi, cæterisque imperantem indignam eius gloria prædam*: simile Apollonius enarrat, similiterque Ælianus, *intelligere Leones vocem Maurorum* scribit; vt recte Plutarchus his omnibus recensitis de animal. sol. concludat, *excelsi ANIMI IMAGINEM proponere Canes*.

6 Nec magnus ille philosophantium princeps Pythagoras belluas ferocissimas erudire contempsit, ipse nanque, vti Philostratus, Apollodorus, ac Hierocles fatentur, cum animalibus loqui solebat, eaque edocere, quod Iamblichus lib. 1. vitæ Pyt. c. 13. perhibet, *traditur Pythagoras, vsque ad belluas ratione carentes orationem suam direxisse in dicendo, vt illarum feritatem immanitatemq; quodãmodo dissolueret, & MENTES FORMARET, recteque dispo-*

disponeret: nimirum isto agendi modo, quasi ex collatione necessario probans doctrinam ijs, qui mente præditi sunt contingere, cum, & immitibus, & ijs qui ratione, sermonisque vsu carent obtingat: VRSAM nanque ex Apulia inquilinos vastantem detinens, (vt aiunt,) & non exiguo temporis spatio manibus contrectatam cum iure iurando, quod exegit, se nunquam in posterum animalia inuasurã dimisit: cum vero illa se in montes, syluasque contulisset vlli iniuriam intulit. hæc ille, & Apollonius Caristius velut portentum tradit; Clemens vero, & Eusebius, cæterique ex nostris quamplures superstitiosissima ab hominis secta facinus eliciunt. pergitque Hierocles, & cum Aquila alba sermonem contulisse scribit, firmatque Porphyrius: imo ibidem Iamblichus de Tauro subinfert, *accessit ipsemet inq; aurem multo temporis spatio TAVRO insusurrauit, & non modo effecit, vt sponte à fabis se abstinere, verum etiam, aiunt, taurum illum, vnquam FABAS GVSTASSE:* itaque præter Abaridem *Pythagoricum, Bouem* habes, qui cum Tarenti prope Iunonis Templum senesceret, *sacer*, habebatur.

ANIMALIVM EFFIGIES IN GENTILIVM sacris, an sint ex Hebræorum arcanis.

CAPVT SECVNDVM.

7 Ira Gentilium, ac superstitiosissima ex adytis Chaldęorum, AEgyptiorũq; religio erga Deos, cultum illorum semper animalium formis, ac pompa peregit: causam tradidit Euhemerus quem, (teste Tullio 1. de nat. Deor.) secutus est Ennius, ac Labeo Antistius, qui libros Tagetis, & Hetruscam disciplinam quindecim voluminibus explanauit: nouimus etiam Apolloniũ Thyaneum apparatum in Alexandria, animaliumque simulachra in Templo laudasse, apud Philostratum l. 5. c. 9. cui sacerdos AEgyptius inquit, *neque hanc sortem dedigna-*

gna-

gnaberis, siquidem, & DII ipsa fruuntur: vnde Tertullianus in apolog. aduersus Tacitum, & gladiatoris de Ononychite commentum inclamat, *illi debebant adorare statim biforme Numen, quia Canino, & Leonino capite commistos de Capro, & de Ariete cornutos, & à lumbis Hircos, & à cruribus serpentes, & planta, vel tergo Alites Deos receperunt*: hunc locum reddidit Minutius in Octauio, *Boum capita, & capita Veruecum, & imolatis, & colitis, de Capro etiam, & homine mixtos Deos, & Leonum, & Canum vultu Deos dedicatis*: Pana describunt, & Iouem, de quo Arnobius lib. 6. *Hammon cum cornibus iam formatur, & fingitur Arietinis*. cæterum, vide Lucianum.

8 Sic Numina animalibus expressa coluit antiquitas. proditque idem Arnobius, *inter Deos videmus LEONES toruissima facie, mero oblita minio, & nomine frugiferio nuncupari*: vel animalium pompa efferebantur, sicut Albericus de Deor. imag. sub pedibus Apollinis depingi solere, scribit, monstrum cuius corpus serpentinum, tria habebat capita *caninum, lupinum, & leoninum*. Lucretius etiam l. 2. magnæ matris currum describit, causamque ornatus refert,

Quare magna Deum mater, materq. FERARVM,
Et nostri genetrix hæc dicta est corporis vna:
Hanc veteres Graiùm docti cecinere poetæ
Sublimem in curru bijugos agitare LEONES:
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terra sistere terram:
Adiunxere FERAS, quod quamuis effera proles
Officijs debet molliri, victa parentum.

Ouidius in fast. lib. 4.

------ Cur huic genus acre Leonum
Præbent insolitas ad iuga curua comas?
Desieram: cœpit: FERITAS MOLLITA per illam
Creditur, id curru testificata suo est.

rem fere omnem expendit Arnobius lib. 3. & 7. adu. gentes, & Macrobius l. 1. sat cap. 21. vbi ait, *Quis ambigat matrē Deùm terram haberi? Hæc Dea LEONIBVS vehitur, validis impetu, atque feruore Animalibus, quæ natura cœli*

est,

est, cuius ambitu aer continetur: sic varij, varie allegoriā post Heraclidem promunt: de qua alibi plura animaduertebam; nunc obsequium ex animalibus obseruo, de quo AElianus lib. 12. c. 23. *in Elymaea regione Adonidis Templum, & in eo MANSVETI LEONES, qui homines templum ingredientes tanquam salutatos adulando excipiunt: eos si ad cibum aduoces, tanquam inuitati conuiuae adsūt, & quidquid porrexeris, postquam acceperint, modeste, & decenter abeunt*: Liuius l. 24. de gregibus Iunoni Laciniae sacris; Statius lib. 2. Sylu. & Manilius l. 2. astron.

9 Habet etiam AEgyptus Numen suum *Bouis* simulachro venerandum, vti Plinius, & AElianus scribunt. & Apuleius metam. lib. 11. Isidis pompam enarrans, tandem subinfert: *cum Dei dignati pedibus humanis incedere prodeunt, hic horrendum, ille superùm commeator, & inferùm, nunc atra, nunc aurea facie sublimis attollens CANIS ceruices arduas ANVBIS, laeua caduceum gerens, dextra palmam virtutem quatiens: cuius vestigium continuum sequebatur BOS omniparentis Deae facundum simulachrum, quod residens humeris suis proferebat vnus è ministerio beato gressu gestuoso*. hactenus ille, & infra nos cum de religione plura exhibemus: monemus nihilominus Isidem in CANE coluisse veteres, enimuero Diodorus Siculus ex Ephoro, Orpheo, & Eratosthene l. 1. Bib. c. 2. inquit, *dicatam columnam sacris sculptam literis tradunt; inque columna Isidis haec scripta esse: EGO ISIS SVM AEGYPPTI REGINA à Mercurio erudita: Quae ego legibus statui, nullus soluet: Ego sum vxor Osiridis: Ego sum primae frugum inuentrix: Ego sum Ori Regis mater: EGO SVM IN ASTRO CANIS REFVLGENS: Mihi Bubastia Vrbs condita est: Gaude, gaude AEgypte, quae me nutriuisti*: de hac Dea longam fecit literam Plutarchus, librumque edidit, ac cecinit Orpheus. Lucanus,

Nos in Templa tuam Romana accepimus Isin
Semi Canesque Deos, & sistra mouentia luctum.

caeterum infra sepissime id ipsum pertractabimus.

10 Hinc nobilis insurgit quaestio, an ex sacris hebraeorum, gentium vulgus haec sacra curauit? & licet antea temere

mere id scriptum crediderim, ausim nunc procul hæsitatione asserere: docetque Clemens Alexandrinus l. 5. strom. *quod attinet ad occultationem*, scilicet misteria, *sunt hebraicis similia Aegyptiorum enigmata*. enimuero Deum maiestatis solium excelsum, insedisse, sacer contextus perhibet, & in Arca volucrum speciem Moses enarrat Exod. 25. v. 19. *Cherub-unus sit in latere vno, & alter in altero;* quod Ioseph hebr. antiq. l. 3. c. 6. sic exponit, *Operculo Arcæ imposita erant effigies duæ, quas hebræi Cherubeis appellant, ea sunt ANIMANTIA VOLVCRIA noua specie, nec vnquam cuiquam hominum visa, quæ Moses in Dei solio viderat FIGVRATA*. ab Origene *Pennata Cherubim* nuncupantur: sicut etiam à D. Dionysio Areopagita. hæc ille, & Lyranus secundum Rab. Salomonem, *habuisse similitudinem puerorum habentium alas tradit, sed Iosephum* citat, & infra sequitur. at ne somnia scripsisse Iosephum quis credat; solium Dei describendum curabo.

11 Ezechiel c. 1. v. 5. illud vidit, ac describit, *In medio eius, scilicet ignis, similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum similitudo hominis in eis, QVATVOR FACIES VNI, ET QVATVOR PENNAE VNI, pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis VITVLI, & manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus, & facies, & pennas per quatuor partes habebant: iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterũ, non reuertebantur cum incederent, sed vnum quodque ante faciem suam gradiebatur; similitudo autem vultus eorum facies HOMINIS, & facies LEONIS à dextris ipsorum quatuor: facies autem BOVIS à sinistris ipsorum quatuor, & facies AQVILAE desuper ipsorum quatuor: facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.* hactenus ille: & Iustinus ad Orthod. q. 44. hæc quatuor animalia *quadrifrontia* nuncupat: nec officit monstri effigies, quia ex Hieronymo ad Ruffinum, Augustino adu. Faustum, Gregorio, & Theodoreto, nouimus monstri effigiẽ, animaliumque à sacris scripturam non repulisse, imo quam

ſæpe eã pluribus expreſſam in Daniele, Ezechiele, Zacharia, & in Apocalypſi præfert.

12 Sed ante quam maiora perſcrutemur, inquam cum Theodoreto, *nemo extimet beſtiarum, & animantium rationis expertiũ imagines habere eas poteſtates, quæ cerni nequeant*; & Hieronymus apud Vgonem, *ſimilitudo*, inquit, *non natura: non enim erant vere animalia, ſed animalium ſimilitudo*: rationemque refert Clemens lib. 5. ſtrõ. *Nunquam enim, qui nec ſculptile quidem fabricari ſuaſit ſimulachrum, ſanctorum ipſe affinxiſſet imaginem: neque eſt omnino compoſitum, ac ſenſile aliquod in cælo animal, quod ita ſe habeat*: ſed ænigmata exprimens, & ſymbola imagines illas arcano poſuit.

13 Hinc Sphingarum monumenta Cornelius, cæteriq; ex Clemente depromũt; inquit etenim magnus ille Alexãdrinus l. 5. ſtrõ *ideo Aegyptij quoque in ſacris ponũt Sphingas, vtpote quod de Deo oratio ſit ænigmatica, & obſcura: forte autem quod Deum oporteat amare, & timere*: *FERAE enim, ſimul & hominis imaginem Sphinx ſignificat*; & infra *corpus totum leonis, faciem autem hominis* in mõſtro effingit; expenditque arcanum, tanquam ex hebræorum ſacris.

14 Sed quale portentum Ezechiel exprimat inquiramus; Chaldæus animal illud *quadripartitum* exhibet, vnicuique parti quatuor facies componit, Hieronymus, Theodoretus, Lyranus, & Gregorius, quatuor animalia oſtendunt leonis, aquilæ, ac Vituli, hominiſque prædita effigie: Pradus, quodque animal vnum hominis habuiſſe caput, pedes vituli, comas leonis in pectore, & in humero alas aquilæ credidit: hunc impugnat Alcazar, (qui alibi paſſim à Cornelio in Apoc. præcipue corripitur, tanquam audax, & vt plurimum dignus ſpongia, licet mea ex animi ſententia ingenio præſtet, & ille ingratus, auctorem à quo commentaria collegit temere arguat:) nunc concordi calamo Cherubinos *armatos* effingunt, & in galeis leonum, aquilarũque exuuias, ac pennas geſtantes ad excidium Hieruſalem, aliarumque gentium pergentes. ſic olim Romanos pugnaſſe Plinius l. 10. c. 4. ſcribit, & de Turno Virg. 7. AEn.

Cui

Cui triplici crinita Iuba galea alta Chimaram
Sustinet, Aetnaos efflantem faucibus ignem.

videndus Plutarchus in Mario; & alij, quos infra, vbi *de Impresijs*: nunc iconem exhibeo, & quam procul a veritate confictam, expende.



Pin-

15 Pintus nihilominus vir apprime doctus inquit, *quatuor animalia habebant xvi. facies, vnum quodque quatuor, nimirum in fronte facies hominis, ad dexteram facies leonis, ad finistram Vituli, à tergo Aquila cæteris eminentiorem.* cui facile assentior; quia id Lyra prædocuit. Sed si cum Plauto, caput pedesque componere licet: Villalpandus duos vituli pedes offert, & Cornelius reprehendit Serranum, qui quatuor vnicuique ascribit; at temere: enimuero Hugo Cardinalis præter aleam quatuor ostendit pedes, sicut antea D. Dionysius Areopagita multos pedes eis tribuit: ac Clemens Alexandrinus Sphinges, ad exemplar Cherubinorum Salomonis quadrupedes refert: hinc optime Lyranus ex Rab. Salomone inquit, *in quodlibet erant QVATVOR MANVS, similes manibus hominis, & similiter, QVATVOR PEDES, cuilibet faciei pes correspondebat in parte inferiori in recta linea sub facie*: adde Serranum, & Richardum Victorinũ, *quatuor manus*, adiudicantes, imo indigitantes in vno eorum quoque: sequitur Ezechiel, *pedes eorum recti*, idest sine poplitibus, & iuncturis, inquit Maldonatus, quales sunt pedes elephantum. sed male; elephantes iuncturis nõ carent, (vt infra dicemus) & pedes recti non absque poplitibus: contextus verba expendit, *Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli*, erant recti, quia crura recte pedum rotunditate pollebant. sic enim D. Hieronymus, & Rab. Salomon, ac Chaldæus *quasi planta pedis rotundi*: lxx. *pennati pedes eorum*. quibus concinit S. Dionysius Areopag. de cæl. hier. c. 15. *sanctorum spirituum pennatos Theologia pedes effinxit*; ergo pedes pennis tegebantur, quę ab ipsis insurgebant, tanquam talaria, non à femore vti Alcazar pendit; nec facit ad rem locus 2. paral. 3. v. 13. & ecclesiast. locus alter c. 26. v. 23. vbi ait *pedes firmi super plantas*. non comprehendit femora, sed tantum crura, vnde si per pedes femur intelligeretur, femoris nomine pedes quis posset intelligere, & sensum fere omnem inuertere. Imaginem propono, & Cherubinum vere ab Ezechiele visum exhibeo; deficit icon circa talaria, quia me renuente, pictor simulachrum stulte cælare sic voluit.

Ha-



16 Habes ergo Sphinges ex ſcriptura, ſi Clementi fidem habes: cui adde Euſebium, Philonem, & Theodoretum, & ex recentioribus Card. Beſſarion quam ſæpe id ipſum premit, oſtenditque Benius vbi Platonem commentarijs illuſtrat, optime etenim Genebrardus tradit, Ieremiã aperuiſſe apud Ægyptios gimnaſiũ, ibiq; multos ex philoſophãtibus erudijſſe, ꝙ Ghiſleri' ait. adde Nemeſiũ, qui Aegyptio-

tiorum arcana ab hebræis desumpta tradunt: de Sphynge Alcibiades plura cecinit: Aelianus lib. 12 c. 7. eam ex Leone, ac Virgine describit, *Aegyptij Sphingem biformem nobis conantur repræsentare, ex corpore Virginis, & Leonis compositam; quod Euripides insinuat, (eam inquit, caudam reuoluens sub leoninos pedes sedebat*: & è cælo Leonem delapsum ex Epimenide probat. Ausonius in Gripho,

Illa etiam talamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes, omnia solus,
Terruit Aoniam volucris, Leo, Virgo triformis
Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella:

in l. 4. veter. epigr. forsan ex Palladio,

Ales, Virgo, Leo creuit de sanguine Lai
Thebano nascens, & peritura malo.

historiam Palephatus etiam exhibet, dum ait, *de Cadmea Sphinge dicunt, quod fera quidem hæc fuit, quæ corpus CANIS habens, caput, & faciem puellæ, alas vero auiũ, atque hominis vocem haberet: in Sphingio autem monte sedens ænigma quoddam vnicuique ex ciuibus proponebat, & quemcumque illud soluere nesciẽtem interimebat: quod cum solueret Oedipus se ipsam interfecit.* sic veteres omnia velamentis occultabant, vt interpretari præ rerum varietate non possint: sicut de ipsa Alcibiades apud Athenæum occinit, & cum Ezechielis visione in pluribus concordat,

Est bipes in terris, & quadrupes, haud eadem vox,
Et tripes immutat speciem: hoc ex omnibus vnum,
Quæcunque in terris reptant, volat æthera circum,
Perque mare, ast vbi iam pedibus compluribus auctũ
Accelerat gressum, vietis tam maxima membris,
Segnities, ac torpor adest, minimumque vigoris.

Myrleanus Asclepiades, & Isacius *priores corporis partes leonis, & vngues gryphi* habuisse testantur: Clearchus, *caput, & manus puellæ, corpus canis, vocem hominis, caudam Dragonis, leonis vngues, alas auis*: in illa decantat: & Oedipus apud Senecam Iocastæ Sphingis formam, ac immanitatem, & acta refert, iuxta Palephati sententiam, quã habuit ex Diogene.

Nec

Nec Sphinga cæcis verba nectentem modis
Fugi : cruentos pestis infanda tuli
Rictus , & albens ossibus sparsis solum :
Cumque è superna rupe iam prædæ imminens
Aptaret Ales verbera , & caudam mouens
Saui Leonis more conciperet minas ,
Carmen poposci . sonuit horrendum , insuper
Crepuere malæ, saxaque impatiens moræ
Reuulsit vnguis , viscera expectans mea :
Nodosa sortis verba , & implexos dolos ,
Ac triste carmen Alitis solui feræ.

hæc ille , testaturque id ipsum Aeschylus , Philocles Atheniensis , Phylifcus Aegynenfis , & Eubulus in Oedipo . cæterum vide Apollodorum lib. 3. bibl. Hyginum fab. 151. & Asclepiadem .

17 At dices , hæc Aegyptiorum symbola sunt , vti Aelianus tradit , quid cum scriptura , & hebræis? at ideo nostra continere arcana respondeo . enimuero si ab Ezechiele incipiendum , qui fuit ierogliphicorum auctor , & animalia deprõpsit , ob hanc causam nonnulli ex gentilibus Pythagoram illum fuisse crediderunt , cæterique a Iudęis gentiles suas hausisse disciplinas scribunt , sicut tradit Alexander *in lib. de symbolis pithagoricis* , & Clearchus quem refert Clemens Alexandrinus strom. lib. 1. dicens , *Alexãder refert Pythagoram fuisse discipulum Nazarethi Assyrij : quidam eum existimant Ezechielem : Clearchus autem peripateticus, dicit se nosse quendam Iudæum cum quo versatus est* Aristoteles : & lib. 5. *Pythagoras , & qui sunt ex eo cognominati , vna etiam cum Platone maxime aliorum philosophorum vsi sunt legislatore Moyse* ; edixerat etenim lib. 1. strom. *Numa Rex Romanorum erat Pythagoreus , ex his autem quæ à Moyse tradita sunt adiutus prohibuit Romanis , ne homini , aut animali similem Dei facerent imaginem* ; quod nos *lib. 2. de Vrbe Roma* disseruimus : traditionem insuper , Theodoreto authore lib. 1. de fide , *dedimus de præputio* illius , nam inquit , *fertur Pythagoras circumcisionem subiisse acceptam ab Aegyptijs , quam tamen* Aegyptij *ab hebræis patribus accepissent* : nec

alia

alia ratione Ambrosius *Pythagoram* (scribens ad Irenæum l. 3. ep. 20.) *ex populo hebræorum, vt plerique arbitrantur, genus duxisse*, tradit: hinc Philo sapientissimus Iudæorum vniuersam Platonis philosophiam, ac Theologiam ad Mosis Genesim reuocauit: Origenes, Hieronymo teste apud Benium, decem Stromateis libris christianorum, ac Philosophorum sententijs collatis decreta nostra omnia ex Platone, Aristotele, Numenio, Cornutoque confirmare conatus est; tandem in illud Danielis, *tradidit Dominus in manus Nabuchdonosor partem vasorum domus Dei*; inquit Hieronymus, *si cunctos philosophorum reuolues libros, necesse est vt in eis reperias aliquam partem vasorum Dei, vt apud Platonem, fabricatorem Mundi Deum: vt apud Zenonem inferos, & immortales animas, & vnum bonum honestatem, &c.* plura Cassiodorus in proem. diu. hist. Beda in l. 2. Reg. c. 9. Clemens Alex. l. 1. strom. Basilius in orat. ad adol. Nissenus de vita Mosis: Augustinus l. 1. in gen. adlit. c. 8. Tertullianus, Origenes, Philo, cæterique quamplures.

18 Sed ante quam progrediamur inquirendum, an eadem monstra Ezechielis cap. 1. & Ioannis in Apocal. c. 4. sint recensenda? superflua videbitur quæstio forsan, quia Pradus in Ezech. inquit, neminem fuisse ausum negare hæc Ioannis, & Ezechielis animalia non esse eadem, ideo nonnulla in ipsum animaduerto; enimuero D. Dionysius Carth. *difficile huic quæstioni respondere* putat: & R. Moses, & R. Salomon, apud Burgensem in Lyranum, arcanum fere sensum inesse scribit: cæterique idipsum pertractant: Prado occinit Villalpandus, & ex Viega doctores colligit Hieronymum, Patherium, Rupertum, Richardum, & Abulensem, simulque Ambrosium, quibus animalia eadem omnino esse probare contendit: sed quam male Doctorum oracula referat Alcazar demonstrat: non enim loquuntur, eo quo sensu ille supponit, sed diuersimode, & aliud indicant; sic ratio haud ex animo cæcutienti patet, imo nequaquam legentes latet, nam Ezechielis animalia quatuor alas, Senas Ioannis præferunt: illa absque voce, ista vociferantur *veni, & vide: & requiem non habebant die, ac*

noc-

nocte dicentia sanctus, &c. Iconem vide.



habes ergo differentiam : illa pennis cooperta simplicibus, ista *in circuitu, & intus plena erant oculis* : vt in quonam conueniant ignorem : adde illa quatuor in vno fuisse, sicut Rupertus tradit in 4. Apoc. *iuxta Ezechielem hæc animalia, & quatuor sunt, & vnum: sic enim ille cũ in prima visione dixisset, in medio eorum similitudo quatuor animalium: in altera c. 10. ipsum, inquit, est animal, quod videram* : & Serranus vnam eandemque visionem c. 1. & c. 10. recenset : ibi etenim *Rotæ oculis plenæ* exhibentur, vti Hieronymus, & Vatablus docent, non animalia, licet Lyranus, & Theodoretus probabiliter hæc omnia de Cherubinis accipiant.

19 Nouum insuper, monstrum vidit Ezechiel, *Rotam*, scilicet, *in medio rotæ*, quatuor symbolis facierum, ac vitæ spiritu præditum: in prima nanque visione inquit, *Cũque aspicerem animalia apparuit Rota vna super terram iuxta animalia habens quatuor facies: & aspectus rotarũ, & opus earum quasi visio maris, & vna similitudo ipsarũ quatuor, & aspectus earum, & opera, quasi sit ROTA IN MEDIO ROTAE, per quatuor partes earum euntes ibant, & non reuertebantur cum ambularent: statura quoque erat Rotis, & altitudo, & horribilis aspectus, & totum corpus OCVLIS plenum in circuitu ipsarum quatuor; cumque ambularent animalia ambulabant pariter, & rotæ iuxta ea, & cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul, & Rotæ: quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur sequentes eum: SPIRITVS enim VITAE erat in Rotis: cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant: & cum eleuatis à terra pariter eleuabantur, & rotæ sequentes ea, quia spiritus vitæ erat in Rotis*. hactenus Propheta, cuius sacramenta ab exordio temporum arcana depromunt, nam inquit, *& factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, &c.* tempus expendo: an mundi 3354. ab V. C. 154. Nabonassaris 182. Olymp. 46. in qua stadium vicit Chrysomachus Lacedæmonius an. 1. quo Polymestor puer Milesius leporem cursu comprehendens vicit. : ante C. N. 594. fuitque annus æræ Nabopollassaris patris Nabucho-

do-

donosoris 30. cæpit prophetare die quinto quarti mensis, qui nobis est dies tertius Iulij, iuxta Iulium Chobarensem, computum Scaliger approbat, quem Pradus sequitur, laudatque Cornelius, & licet Salianus impugnet, secum pluribus in Regum monumentis, ærisque pugnat; enim vero Hieronymus in c. 1. Ezech. retractauit sententiam, quam in præphatione ediderat trigesimo Ezechielē, scilicet anno suæ vitæ portentum vidisse, & ait, *Trigesimus annus, non vt plerique existimant, annus prophetæ dicitur, nec iubilei: sed à duodeuigesimo anno Iosiæ Regis Iudæ, quando inuentus est Liber Deuteronomij in templo Dei, vsque ad quintum captiuitatis annum Ioachin, cognomento Iechoniæ*; de Iubilæo R. Dauid, & malè Cornelius, Hieronymo tribuit: Origenes, & Gregorius annos suos prophetam designasse tradunt, at Isidorus, qui vtrumque sequitur 35. annos Ezechieli assignat; vt rectè ambages vndique tricasque videas: potius dicendum, Ezechielē apud Chaldæos visionem vidisse, eamque literis ibidem commendasse, sicut ergo Daniel, Esdras, & Nehemias per annos Darij Cyri, & Artaxersis Regum Persarum, apud quos erant sua monumenta signarunt, sic Ezechiel Nabopollassaris etiam secutus est, iuxta Regum Chaldæorum decreta, fuitque ani 30.

20 Rotam hanc animatam nemo despiciet, quia *spiritus vitæ erat in rotis*, Lyranus plures in vna componit, ita vt qui vnam inspiceret, auctore Hieronymo, omnes in vna videret: nec quatuor semicirculos, vti philosophatur Vatablus, sed potius perfectos quatuor orbes ostentabat inquit Richardus Victorinus, traditque ex contextu, *Rota in medio rotæ*: Syrus, *Rota intra rotam*: Arabicus, Antiochenus, *rota in rota*: sic quatuor in vna, quatuor animalium facies habebant, ait enim, *apparuit Rota habens QVATVOR FACIES* Bouis, scilicet, Leonis, Hominis, & Aquilæ: color, *quasi visio maris*, hebr. *quasi species tharsis*. Aquila apud D. Hieronymum, & Symmachus apud Theodoretum, *sicut aspectus hyacinti*: Rab. Salomon *crystallum* vertit: Scholiastes apud Richardum, *Chrysolitum*: nam cap. 10. inquit, *species Rotarum erat quasi visio Chrysoliti* lxx. *aspectus lapidis Carbunculi*. sicut mare non-

nunquam purpurascit, sic cæruleus rotarum aspectus coram electro rubicundus videbatur: Tharsis etenim *conuersionē gaudij* indicat apud Eusebium: & Apponius in cant. ad illud *manus eius tornata, aurea, plena tharsis: plena nimirum conuersione gentium* inquit, per has quippe Rotas orbem ad fidei rectitudinem conuertere præsignabat Deus, & in animalium symbolis Apostolos, Euangelistas, prædicatoresque inuulgasse, testantur Irenæus, Hieronymus, Ansbertus, Haymo, cæterique quamplures.

21 Altitudinem, & *aspectum horribilem*, describit, & *totum corpus*, rotarum, *oculis plenum in circuitu;* Richardus Victorinus horrorem ob magnitudinem exprimit; Gregorius vero inquit, *horribilem aspectum habet, quia omnibus reprobis gehennæ supplicia minatur*; nam alter inclamat, *vox tonitrui tui in Rota*. Symmachus, *in rotis*, vt recte vtrumque respondeat: Origenes, apud Agellium Episcopum, *aeris spheram* innuisse tradit; eumque sequitur Genebrardus, & per rotam, cælum figura rotundum interpretatur, atque hinc Rabbinorum physici orbes cælestes vocant, *Galgali*: Theodoritus verò expendit, *Vox tonitrui tui in rotas, nempe curruum Pharaonis*, nam vt est in Exodo 14. *subuertit rotas curruum*; firmatque auctor græcus ibidem, aliter Richardus Pampolitanus, *vox tonitrui tui, scilicet euangelij terrentis peccatores, in rota; idest, per totum mundum est audita*: sed ad rem Iansfonius ex Ruperto, *in rota, quia in modum rotæ, quam vidit Ezechiel, per vniuersum terram circum voluta est*; ergò altitudo, & aspectus Rotarum verè horribilis fuit, dū fulgura, & voces tanquam tonitrua vndique strepebant in corda inimicorum Dei Regis, ait Ambrosius.

22 *Spiritus vitæ erat in Rotis*, Thalmudici in Haguiga libro apud hebræos selectissimo, anima, ac vita præstātes, illas rotas appellant, nam in hebræo est *ruach hacha iah*, hoc est, *Spiritus animalis*: hinc Lyra inquit, *non mouebantur per exteriorem impulsum, seu tractum, sed per spiritum intrinsecum viuificantem*; Pagninus etiam vertit, *voluntas animalis erat in rotis*, sicque Pinto auctore, compertum est *habere vitam, & voluntatem, & moueri à spi-*

ritu intrinſeco viuificante : firmatque ex Theodoreto, & Hieronymo. at ROTAS VIVENTES quis vnquam vidit? eſt qui ad motum hæc referat, dum ſponte, citiſſimeque ſe volueret, probatque ex Platone, quem Virgilius expreſſit,

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

addo etymon ex Iſidoro l. 20. 12. vbi inquit, *Rota dicta quod ruat, & rotundum à Rota vocatum.*

23 Hinc opportune Pintus refert, *fuerunt nonnulli, qui per hunc currum Rotarum ipſum cælum intelligendũ putarent, quod Rota, ſiue ſphæra ab ipſis appellatur: vt autem hoc probarent Platonem citarunt teſtem, qui cælũ vocauit VOLVCREM CVRRVM, per animalia autem intellexerunt ſigna cæleſtia in Zodiaco.* quæ apud Varronem de re ruſt. l. 1. nouimus; ſed licet D. Ambroſius in lib. de Abr. patr. id reſpuat, nihilominus firmat Hieronymus apud Gloſſam. & hij præcipue, qui per OCVLOS *ſtellas* expendunt: nos autem ſicut viuentem Rotam cenſemus ex contextu, ſic oculatam exhibemus.

24 At præfari liceat, & lectorem monere antequam obiter, (non enim firmiter aſſerere noua audeo) nouam expenſionem quam molior promo: RR. præcipue Chymbi, Salomon, & Moyſes in Thalm. inquiunt, *intelligentia contentorum in hac viſione Ezechielis ſunt ARCANA SECRETISSIMA legis diuinæ, quę non licet homini loqui.* & ideo, Burgenſe auctore, addiſcenſium audax arcebatur curioſitas: at recte in antiqua hominum lege, quia *liber erat ſignatus*; nũc Agnus ſoluit ſeptem ſignacula eius, ſeptem Danielis hebdomadibus ſolutis: vnde licet expendere: & mihi, dum præceteris literæ intelligentia arridet, locum exponere, vel tandem liceat: *Rota in medio Rotæ:* eſt PECVS, & pecus in ROTA: ſcilicet quatuor animaliũ ſymbola viuentium in rota: patet ex contextu facies animalium in rota fuiſſe, eamque intrinſeco ſpiritu viuentem agnouimus: ſic vita rotæ, non à rota, ſed ab animali ipſam implente: quod per Rotam pecus intelligatur, audi Varronem l. 1. de re ruſt. c. 1. *etiam nunc in locis multis genera pecudum ferarum ſunt aliquot: vt in Phrygia ex ouibus,*

nibus, vbi greges videntur complures: vt in Samothrace Caprarum, quas latine ROTAS appellant, nec est quod Scaliger, vt passim emendasse videatur, legat, *Platycerotas*: nam ex Plinio id diuinare non potest: sicut *Rota piscis* ex Aristotele, Plinio, Athenæo, cæterisque legitur, sic, & pecus terrestre, illi ob rotunditatem de quibus Ælianus ait, *Reuersiones in orbem faciunt, vnde nomen traxerunt*; Gillius à Massiliensibus Rotam autumat *Molam* dictam, & diuersam à Plinij Rota hanc facit; hinc nonnulli cetaceos pisces à similitudine rotarum, grandes fere omnes in orbem degenerantes *Rotas* nuncupant; quod de terrestribus iuxta Varronem forsan dicendum assentior; & Rotam præter Lyrani formam repono animalibus plenam.

25 Tandem animaduersiones nonnullas exhibeo: ex fera, & homine mixtos Cherubinos Deum ostendisse vidimus, ex quibus gentiles, teste Clemente Alexandrino, sua finxerunt Numina: Manilius de signis cæl. astronomicorum l. 2.

Humanas etiam species in parte videbis:
Nec mores distant, pecudum pars, atque ferarum
Ingenium facient.-------

Ouidius epist. 14. quæ est Hipermnestræ ad Linum,

Scilicet ex illo Iunonia permanet ira,
Quo Bos ex homine est, EX BOVE FACTA DEA.

de Anubi Tertullianus, de Mercurio Diodorus Siculus, de Iside Plutarchus, de Pane Lucianus, de Ioue Ammonio Athenagoras, de Esculapio Dionysius, & Clemens Alexandrinus. de Genijs Iamblichus, & Porphyrius: de Saturno Apollodorus, de matre Deorum, & Apolline quãplures depromunt pecudum in Numine simulachra: imo plura capita in vno corpore olim veteres Numinibus tribuisse, ab Hygino recensentur fab. 151. *ex Typhone Gigãte, & Echidna Gorgon, Canis Cerberus triceps: Drago, qui mala Hesperidum trans Oceanum seruabat: Hydra, quam ad fontem Lernæum Hercules interfecit: Drago qui pellem Arietis Colchos seruabat: Scylla quæ superiorem partem mulieris, inferiorem Canis, & Canes sex ex se natos habebat: Sphynx quæ in Bæotia fuit: Chimæra in Lycia,*

cia, quæ priorem partem leonis, figuram posteriorem Dragonis habebat, media ipsa Chimæra! ex Medusa Gorgonis filia, & Neptuno nati sunt Chrysaor, & Equus PEGASVS, ex Chrysaore, & Callirhoe GERION TRIMEMBRIS: quid de Iano sentiat vetus religio, cæteri videant. apud Fabiũ Pictorẽ *IANVS QVADRIFONS* describitur, quẽ vide. Hor°, & Pieri' hoc Aegyptiorũ Ieroglyphicũ habẽt.



26 Pedes *animalium sanctorum*, vti Athanasius loquitur, *PENNATOS* Dionysius Areopagita, Theodoretus, ac Hieronymus demonstrant: hinc TALARIA gentilium in Cherubinis alati pedes velocitatem altruunt, docetque Rupertus, quod Virgilius in 4. Æneid. de Mercurio canit,

---Ille patris magni parere parabat
Imperio, & primum pedibus TALARIA nectit
Aurea, quæ sublimem alis, siue æquora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Minucius in Octauio, *pedibus Mercurius alatis, Pan vngulatis, Saturnus compeditis, &c.* Lucianus de sacrificijs eum pubescentem describit, & Apuleius l. 10. *flauis crinibus conspicuum, & inter comas aureas pinnulas prominentes* effingit. Phornutus ex Homero *talaria* Mercurio dedisse veteres testatur, quia sermo aera tranat, volatque; de quo Sidonius in paneg. ad Auitum, *Nunc plantis, nunc fronte volat*. Ouidius cum inter Canephoras Virgines l. 2. Mercurium exhibeat, caussam alatum occinit,

Vt

---- Vt tersis niteant talaria plantis.

Statius lib. 1. Theb. ad volatum talaria præstat,

Summa pedum propere plantaribus illigat alis,

Obnubitque comas, & temperat astra galero.

27 Ergo Mercurius pennas in capite, & in pedibus præfert, eumque alatum veteres dederunt: Ouidius in Paride,

Constitit ante oculos actus velocibus ALIS

Atlantis magni, Pleionèsque nepos.

nec male Cælius l. 16. c. 19. ex antiquorum arcanis *Angelũ* vocatũ fuisse Mercuriũ prodit, enimuero ab Angelo effigiẽ desũpsit: quod ex Tert. de an. c. 53. elicio: antequã Pythagoræ Empedoclis, Platonis, ac Stoicorũ recenseret oracula, inquit, *anima de oppanso corporis erumpit in apertum ad meram, & puram, & suam lucem, statim semetipsum in expeditione substantiæ recognoscit, & in diuinitatem ipsa libertate resipiscit, vt de somno emergens ab imaginibus ad veritatem; tunc, & anuntiat quæ videt, tunc exultat, aut trepidat, prout paraturam diuersorij sui sentit de ipsius statim Angeli facie, euocatoris animarum, Mercurij poëtarum*. hæc ille, & quia Gentiles refellere, ac suadere intendit, gentilium symbolis vtitur, nec est quod Pamelius diuidat Angelum, ab euocatore animarum Mercurio, nam, & hunc Angelum veteres censuisse ob Angelorum specimen, compertum est apud Cælium: imo Pierius l. 43. ierogl. inquit, *nostri Michaeli munus illud attribuunt, quod Mercurio Græci veteres, qui scilicet animas cælo referat, atque alias sub tristia tartara mittat: ad hæc trutinam in manu eius statuunt VIRGAE loco, vtpote qui merita inquirat, bona, malaque compenset.*

28 Adde Lucianum, Apuleium, Statium, Phornutũ, pluresque alios Mercurium *Dei ministrum* occinisse *alatũ*: idque ex sacris: imo ad literam: psal. 17. 11. *ascendit super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorũ*. Genebrardus, *tribuit currum, & quadrigam Deo cum Ezechiele: &c. item Cherubim, vt ANIMALIA PENNIGERA in Ezechiele, & in Apocalypsi describuntur, quibus Dei quadriga agitetur; sic Iridi, & Mercurio Deo-*

Deorum nuntijs Poeta alas assignant. tangit id ipsum A-gellius, & ex hebræorum adytis Cherubim, vel *spectrum*, vel *puerũ* alij esse cõtẽdentes, iuxta scripturarum sensa, & Iosephi traditionem *Cherub nõ nisi volucre, & alis præditum animal* esse concludit, illudque *Dei ministrum*: A-gellium sequitur Lorinus, & in eo quod sequitur, *volauit super pennas ventorum* eundem sensum ex Homero elicit, nam de Mercurio inquit, induisse *Talaria pulchra, ambrosia, aurea, quæ ipsum ferebant ad humidam, & ad interminatam terram simul cum spiratione venti*. Symbolum inspice.





29 Currum in cælo hinc extollisse veteres autumare libuit; nam in cælo aurigæ species ostenditur, eumque A-ratus exprimit, & Theon in comment. eiusdem inquit, *fabularum scriptores Aurigam eum, qui cælo ascriptus est imaginem esse dicunt Bellorophontis, vel Trochili, qui Callitheæ filius fuit: sollemniaque huius rei sacra in Argis primum instituta, quod primus iunxerit currum*: ad quę Pierius animaduertit dicens, sunt tamen, qui putent Myrtilli, sunt qui Cillantis, qui Pelopis Auriga fuit: sunt, qui Oenomai figuram esse contendunt: de ortu Aurigæ in cælis, Manilius l. 5, astronomic. cecinit, vbi in xv. gradu Arietis supra fintiorem barbaricum tolli adnotat,

Sed quum se terris Aries ter quinque peractis

Partibus extollit, primum iuga tollit ab vndis
Heniochus, Cliuoque Rotas conuellit ab imo,
Qua gelidus Boreas Aquilonibus inflat acutis.
Ille dabit proprium studium, cæloque retentas
Quas prius in terris agitator amauerat arteis:
Stare leui curru moderantem quattuor ora
Spumigeris frenata lupis, & flectere equorum
Praualidas vires, ac torto stringere gyro:
Aut cum laxato fugerunt cardine claustra
Exagitare feros, pronumque anteire volanteis,
Vixque ROTIS LEVIBVS summum cõtingere cãpũ,
Vincentẽ pedibus ventos, vel prima tenentẽ - Agmina.

hæc ille, oriebaturque suo tempore à prima Arietis ad xx. Tauri hor. 2. 45. apud Pausaniam censetur Hippolytus Thesei filius quatuordecim stellis insignitus.

30 Currus itaque Deo tribuitur, & præcipue Soli, qui teste Macrobio in somn. scip. & Apuleio, omnia gentilium Numina solus continet, & exprimit: antiquitùs, teste Athenæo ex Pyndaro ad Hieronem Deipnosoph. l. 1. *Currus ex fæcundissimo Thebanorum Agro: Rhedam ingeniose fabrefactam è Sicilia* laudabant; hinc apud Critiam, *Currus Siculus* commendatur, quo Deorum Mater, & Apollo, vt plurimum oblectabantur: sic Pomponius Mela l. 3. de situ orb. iuxta Eudoxi, & Hannonis sententiam inquit, *vltra hunc sinum Mons altus, (vt Græci vocant) θεῶν ὄχημα Deorum vehiculum perpetuis ignibus flagrat: vltra montem viret collis longo tractu lõgis littoribus abductus, vnde visuntur patentes magis campi, quam vt prospici possint Panum, Satyrorumque: hinc opinio eam fidem cæpit, quod cum in his nulla habitantium sedes, nulla vestigia, & silentium vastius, nocte crebri ignes micant, & veluti castra late iacentia ostenduntur, crepant cymbala, & tympana, audiunturque tibiæ sonantes maius humanis*. hactenus ille, ex Plinio, an ex sacris pende: nam in Sinai hæc omnia excultissimi hebræorum testantur, enimuero Satyros, Panesque iuxta sacrorum arcana exhibuisse plures, ac præstantissimi ex nostris comprobant; firmatque Dauid ps. 67. *Currus Dei decem millibus, &c.* ad quæ Genebrardus, *Mons Dei, est currus Dei stipatus multis Angelorum millibus:*

libus : & millia lætantium cum quibus ipse Deus est, sicut olim in Sinai : & tunc Angelos formã Cherubinorum Arcæ prætulisse RR. docent.

31 Apud Pierium lib. 43. Currus Ezechielis describitur secundum Cabalisticam doctrinam gemmis vndique, ac sigillis fulgens, *ita vt Michael, & Gabriel pro duabus Rotis, Raphael pro sella, pro axe sit Vriel* : adijciunt nonnulli Nurielem, tanquam *timonem* : & correspondet cælorum orbibus, dum græca Theologia Gabrielis vim vocat Venerem, Gabrielem Martem, Raphaelem Iouem, cui sella propriè dicata est, & Solem quartum fæminæ, marisque vim habentem, omnis planè generationis initium, & Vrielem nominat, & Adonin Hebræus. idque ex Orpheo, vt non ita commentitia esse videantur, ea quę Plutarchus de Bacchi cultu apud Iudæos obseruauit, & in sympoſiacis latè disputauit, eorum enim *SCENOPEGIA* in Bacchi celebritatem fieri putat, Adonimque, & Bacchum eundem esse: & ne procul à ratione, quis censeat enarrata, subinfert Pierius, *Quinq; hæc diuini CVRRVS nomina alto mi-sterio vna locutione scribuntur in Canticis, eam nostri ASCENSVM PVRPVREVM interpretati sunt: Salomon scribit Currum hoc modo, ARGAMAN. prima littera sit Vriel, per A enim illi scribunt: sequenti Raphael, tertia Gabriel, quarta Michael, quinta Nuriel.*

32 Tandem Orpheus, Ennius, Eschylus, Sophocles, cæterique plures *Soli* currum adscripserunt, idque ex sacris vnde Ouidius 2. metamorphoseos, equos solares exhibet,

Interea volucres Pyrois, Eous, & Aethon
Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, &c.

Sed aliter Eumelus Corinthius, Homerus, & Higinus illos nuncupant; audi Fulgentium in primo Mythologicon, *Solis equis condigna nomina posuerunt, idest, Erythræus, Actæon, Lampos, Philogæus: Erytrheus græcè rubens dicitur, quod à matutino Sol rubicundus exurgat; Actæon splendidus dicitur, quod tertia hora momentis vehemens insistat, & lucidior fulgeat, Lampos vero dum ad vmbilicum diei, & cõtra Arcticum conscenderit circulum: Philogæus græcè terram amans dicitur, quod hora nona pro-*

cliuior vergens occasibus pronus incumbat; aliter illos nũcupat Hyginus fab. 183. & Martialis, *Xanthum*, & *Aethonem* commemorat. sic curru diem reddunt, Virgil. l. 5. Ænead.

Expectata dies aderat, nonamque serena
Auroram Phaetontis Equi iam luce vehebant.

Silius de bello pun. 13.

Lux gratos Phaetontis equos auertit.

Sophocles, & Homerus Odyss. 11.

Sol Phaeton aspicit radijs.

32 Sed quid Phaeton? nonne Eliæ currum, equosque ignitos perhibet? Plato, Speusippo auctore apud Cælium l. 24. *Solem cælestem ignem* dixit; vnde incendij monumenta refert Aristoteles in lib. *de Mundo*, siue is fuerit Theophrastus. similiter Beda de solis quadriga hinc Poetarum fabulas extitisse scribit, omnesque recentiores consensiunt. præcipue Aresius ex nostris, & Agellius Episcopi eruditissimi, Serarius, Sanctius, & alij, quos passim agnosces; idque recenseo an. m. 3045. ante Ch. N. 903. Thiberini Regis Agripa filio apud Albanos, ac Badezoro Tyriorum Rege regnantibus.

34 Tertullianus vero aliud ignis arcanum prodit, scilicet Pentapolis incendium, de quo in Genesi, elapsum sentit, ad cuius instar de phaetontæo poetæ cecinerunt;

Tunc Loth ingreditur Segor, simul exoritur sol
Vltimus ille quidem, in sodomamque incendia feruens
Infert, nam suos radios armauerat igni,
AEmnia subsequitur caligo includere lucem,
Cæptans, atque globos confuso intexere calo,
Fumantes coeunt nubes, nouus irruit Imber,
SVLPHVRA cum flãmis flagrantibus æstuat æther,
Exustus crepitat liquidis ardoribus æther,
Hinc habet in falso de vero fabula famam
Solis progeniem CVRRVS aptasse paternos,
Nec valuisse leuem Puerum frenare superbos
Ignis equos, arsisse orbem, tunc fulmine raptum
Aurigam, illicitum planctum mutasse sorores.
Viderit Eridanus, si qua illic populus albet,
Aut si quis plumat senio modulatior ales.
Hic aliter versæ marent miracula formę. hæc

hæc Tertullianus in Sodoma, quæ licet Pamelius non expendat, animaduersione sunt digna, enimuero varie dum gentiles factum inuulgant, traditionem suorum maiorum varijs temporum monumentis demonstrant; sic Pausanias Phaetontem Eridanum fuisse scribit: Polybius vero flumen Italicum nuncupat Eridanum, sicut, & Dionysius, ac Strabo: illud vero in Thessalia, & Attica reijcit Cæcilius Mutianus Apuleius apud Cælium lib. 24. Eridani in Attica Helissum influentis meminit Pausanias quoque: ideo Tertullianum sequor, & ignem in Sodomam de cælo lapsum fabulam dedisse; quia Zeno, & Chrisippus, ac Anaximander ignem à sole emanantem dixerunt, imo Plato in Protagora Socratem introducit Promethei facinus enarrantē, qui Mineruæ ope, ac Vulcani ignem à solis rota surripuit. ergo id persuasum facile habuerunt ex Mosis narratione, eamque fabellæ inuolucris occludentes, vulgus in errorem abijt.

35 Et vt finem, vel nouissime imponam, quæ de Argo finxere, quæ de Geryone Apollodorus, Ctesias, ac Dionysius, hinc nouisse Originem compertum est; *triformem* namque hunc nouimus apud Plutarchum in Polit. & Arrianum lib. 2. rer. Alex. dicitur à Seneca in Her. Fur.

Pastor TRIFORMIS litoris Tartesij.

& Palephatus inquit, *Geryonem TRIA CAPITA habuisse dicunt: quod totum plane impossibile est, corpus aliquod esse, quod tria habeat capita*; conaturque ostendere, Ciuitatem in Euxino Ponto Tricariniam, scilicet, tricipitiam nuncupatam, nomen Geryoni indidisse, pluraque Eunapius de Sophistis, & Iustinus l. 44. at tria capita aquilæ, leonis, ac vituli in vno homine ostendisse Ezechielem quis non videt? AVES Herculis Stymphalidas, formatas iuxta exemplar Cherubinorum in Arca, insuper arbitror; Seneca de Hercule,

Solitasque pinnis condere obductis diem,
Petijt ab ipsis nubibus Stymphalidas.

quid est diem condere? forsan Deum velare: *mulieres* fuisse tradit Mnaseas apud Apollonij Scholiasten, Rabbini adolescentes Cherubinos effingunt, pennas ferreas Euripides in Phrixo illis tribuit, nec à Iosephi heb. descriptione

abest.

abest. cæterum Sphinges cum Rotis apud gentilium sacra, si Clementi Alexandrino fides, habes ex sacris hebræorum. EQVOS etiam ALATOS ex Cherubinorum effigie prodijsse in confesso est: psal. 79. *Qui sedes super Cherubim manifestare*, Genebrardus *Cherubis tanquam EQVIS ALATIS, & volucribus insides, qui eos inequitas ad celeriter veniendum adesto propere*; & sequitur, *Deo tribuuntur EQVI ALATI, & animalia volucria, etc.* probatque ex Abben-Ezra.

NONNVLLA AB ANIMALIBVS denominata, eaque præstantissima.

CAPVT TERTIVM.

36 

Vit olim consultissimos apud scriptorum veteres oraculum posteritati commendatum, quo Pastores extollebantur iuxta Regum monumēta, eoque Euphranius Amphipolites, Diophanes Nicensis, Hieron Siculus, & Attalus Philometor pecua fere omnia Reipublicę plurimū necessaria tradiderunt, eorumq; curam ex animo gerentibus sublimitatem genij, & præstantiam inter reliquos, naturam indidisse scripserunt: hinc M. Varro l. 2. de re rust. ad Turranum c. 1. ex ijsdemmet auctoribus sensa depromit. *de antiquis ILLVSTRISSIMVS QVISQ. PASTOR ERAT, ut ostendit græca, et latina lingua, et veteres Poetæ, qui alios vocant* πολύαρνας, *alios* πολυμήλους, *alios* πολυβούτας, *qui ipsas pecudes propter caritatem AVREAS habuisse pelles tradiderunt, vt Argis Atreus, quam sibi Thyeste subduxe queritur! vt in Colcide Aetha, ad cuius Arietis PELLEM profecti regio genere dicuntur Argonautæ: vt in Lybia ad Hesperidas vnde* AVREA MALA, *idest secundum antiquam consuetudinem* CAPRAS, *&* OVES, *quas Hercules ex Africa in Græciam exportauit*: hactenus ille.

37 Addo sacrorum ex adytis, ne dum homines, sed

Deum

Deum pecudes singulari hominum plausu duxisse, neque solum eo quo tempore in terris visus est, dicens, *ego sum pastor bonus*, sed antea dum magnus, & laudabilis nimis, magnitudinis finem præstabat: psal. 79. qui *pro Lilijs* inscribitur, vel vt est apud Iac. de Valentia, *in finem super* ROSAS *Asaph*. maiestatem, etenim Dei, Gregorio Nazianzeno auctore, & Elia Scholiaste infinitam denotat, ideo vates inclamat, *Qui regis Israel intende, qui deducis velut Ouem* Ioseph, *qui sedes super Cherubim*, Hieronymus, *Pastor Israel ausculta*: eumque secutus Arias cecinit,

Pastor prospiciens, qui regis Israel,
Ioseph *lanigeras ceu pecudes agens*
Ausculta, resides, qui Cherubim super
Lucem redde fauens tuam.

populum educebat altissimus, inquit Agellius, tanquam pastor, legitque ex hebr. & græco, *qui pascis uelut Ouem* Ioseph. mirum equidem à virga populum suum pauisse ab Ægypto exeuntem, & *Ouem Ioseph* tanti ex animo Deum fecisse; quid est, Israel, & *Ouis* Ioseph? Dionysius, & Euthymius ad *Iacob* patriarcham pecudum olim ductorem id referunt: per quem Bruno iudeos intelligit, per Ioseph vero gentiles, & antea Nazianzenus: imo Augustinus, Cassiodorus, & Haymo, qui *Oues* legunt, facile probant, similiterque Symmachus *greges*, & Aquila *gregem* interpretantes; at Theodotio, Chaldeus, Arab. ac lxx. *ouem* occinunt, vnde misterium latere forsan suspicor; quod Lyranus in Exodum ex RR. prodit, precipue dum expendit, *tulit Moyses Ossa* Ioseph, inquit, *dicunt aliqui hic, quod Nilus plus solito inundauerat, et sic locum ubi erant ossa Ioseph operuerat: et* OVIS NATANDO, ET LOQVENDO *miraculose ostendit ei locum, propter quod uocata est* OVIS IOSEPH, *secundum, quod dicitur psal.* 79. hec ibi; cur ergo Deus pastor? Rabbini, apud eundem, *pręcessisse per desertum Ouem, ac populum duxisse* testantur: ecce sensus litterę: *Rex ante secula qui Israeliticum populum regis ausculta. Pastor, qui deducis populum per desertum intende, qui sedes super Cherubim, etc.* sicque inter proceres Pastorem habes Altissimum, sicut inter mundi Principes Deum ipsum, & dominum. Pe-

38 Pecudum vellera, sapiens Varro, *aurea* nuncupauit; enimuero Chrysostomo auctore, primas hominum diuitias pelles fuisse ex Genesi nouimus, traditque Possidonius apud Senecam in ep. de aureo sęc. sap. Martialis lib. 12. ep. 100.

Bętis oliuifera crinem redimite coronas
Aurea, qui nitidis vellera tingis aquis.

denuo l. 13. ep. 125. ex sententia Epicuri,

Nobilis, & laris, & felix vitibus Aulon
Det pretiosa tibi Vellera, vina mihi.

Idem alibi,

Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo
Et linit Hesperiam bractea viua pecus,

sic pretiosum, olim dixere *aureum*: Seneca in her. fur.

---- Manali pernix fera
Multo decorum pręferens auro caput,

Pindarus *Auricornem Ceruam* in Olymp. Æripedem Herculis Ceruam decantauit, nam Callimacho, & Diodoro siculo testantibus, si Ceruam nonnulla præferre credimus cornua, ea pretiosa ac multiplici virtue prædita omnino esse censerem, sicut Anacreon de Cerua Thelephi nutrice scribit: de Aureo vellere, alibi satis.

39 Sed quid? pergit Varro noster dicens, *Si apud antiquos non magnę dignitatis pecus esset, in cęlo describendo, Astrologi non appellassent eorum vocabulis* SIGNA, *quę non modo non dubitarunt ponere, sed etiam ab his principibus* XII. *signa multi numerant, vt ab* ARIETE, *&* TAVRO, *cum ea* PRÆPONERENT APOLLINI, ET HERCVLI, *ij enim Dij ea sequuntur, sed appellantur Gemini: nec satis putarunt de* XII. *signis sextam partem obtinere pecudum nomina, nisi adijecissent, vt quartam tenerent, Capricornum: pręterea à* PECVARIIS *addiderũt* CAPRAM, HOEDOS, CANES; hęc ille, animaduerto nihilominus, pecudes orbem cælorum complectere, ac prima, simulque nouissima feliciter obtinere, idque Manilius in 1. astronomicorum sic cecinit,

Vt sit idem mundi PRIMVM, quod continet arcem;
Aurato Princeps ARIES in Vellere fulgens

Respi-

Respicit admirans auersum surgere TAVRVM,
Summisso vultu Geminos, & fronte vocantem.
Quos sequitur CANCER, Cãcrum LEO, virgo Leonẽ:
Aequato tum libra die cum tempore noctis
Attrahit ardenti fulgentem SCORPION astro,
In cuius caudam contento dirigit arcu
MIXTVS--EQVO volucrem missurus iamq; sagittã:
Tum venit angusto CAPRICORNVS sidere flexus.
Post hunc inflexam defundit Aquarius vrnam
PISCIBVS assuetas auide subeuntibus vndas,
Quos ARIES tangit claudentes vltima signa.

40 Sed quia non casu cælorum ornamenta à sapientissimis rerum inuentoribus apposita credimus, auctores recensère suadet ratio; in promptu est etenim Plinius l. 2. c. 8. dicens, *Obliquitatem eius intellexisse Anaximander Milesius traditur primus Olympiade* LIIX. signa deinde in eo Cleostratus, & prima ARIETIS, ac Sagittarij; *Sphaeram ipsam ante multo Atlas*. itaque *Signifer*, (quem teste Tullio in Aratum, græci *Zodiacum* appellant) dicitur ab animalium cælaturis in cælo, firmatque Plinius ibid. c. 4. *cælum quidem haud dubie cælati argumento diximus: vt interpretatur M. Varro; adiuuat rerum ordo, descripto circulo, qui SIGNIFER vocatur, in duodecim ANIMALIVM effigies, & per illas solis cursus, congruens tot seculis, ratio*. vnde animalium effigies nomen, omemque sideribus dedit, recte namque Manilius l. 1. astron. occinit,

E quibus, & ratio FATORVM ducitur omnis.

imo Zodiaci etymon *animal, & vitam*, apud Firmicum, & Macrobium exprimit, quia, Hipparco de vigore nat. auctore, *iste circulus est* VITA *omnium quæ in mundo sũt*: figuras vero animalium ostentat, quia vti Antiochus, & Cleomenes innuunt, astra animalium præferre effigies videntur, tangitque Lucianus in suo de astr. vel sic dicuntur à Deo, *qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat*; sic præstantiora sunt, quæ animalia referunt; nam vt de Ariete dicam, D. Thomas 4. sent. dist. 43. q. 4. docet, creatum in Oriente Solem; in signo Arie-

tis fuisse; qui vero id negant, nequaquam ab animalibus recedunt, nam Haly Abenragel, & Firmicus ascendens mundi CANCRVM fuisse putant, quod Æsculapius, & Anubius antea edixerunt; alij aliter tradunt, sed hæc prætereo, quia ipso Angelico edocente in 5. sent. dist. 48. q. 2. art. 2. sunt omnino à nobis abscondita.

41 Post cælorum nomina, mare, ipsumque orbem animalium vocabulo nuncupata præstat Terentius Varro dicens, *an non etiam item in MARI, TERRAQ; ab his Regionum nota? à Pecore in mari, quod nominauerunt à Capris Aegeum pelagus: ad Syriam Montem Taurum: in Sabinis Canterium Montem: Bosphorum vnum Thraciũ, alterum Cimerium; Nonne in terris multa, vt Oppidum in gracia* Ἵππιον Ἄργος? *denique Italia à Vitulis vt scribit Piso*. hactenus ille; & vt ab Italia incipientes nonnulla addamus, ex fragmentis Porcij Catonis in lib. de orig. hæc legimus, *Italia à Dijs, & Ducibus sortita fuit nomina: à Iano quidem Ianicula, (quem quidam Oenotrium dictum existimant, quia inuenit vinum, & far,) Camesena à Camese: & à Saturno, Saturnia: Saleombrona quoque à gentilibus; durauit Saturnia nomen totidem ferme annis quos antea aurea ætas, vsque ad APYM Deorum Italiæ vltimum, vt Antiochus Siracusanus scribit: à quo Apennina, quam* TAVRINAM *idem interpretantur: & si graci de more quidam à BOBVS Herculis, Italiam dictam estiment*: itaque à *Vitulis*, teste Hellanico, *quos opimos gignit*: aut à *Vitulo egresso*, vt Herodotus scribit, vel quia, Timæo auctore, *Graci Boues vocant* ἰταλοὺς, iuxta Catonis oracula, qui auctores refert, Italia à Vitulo nomen habuit; firmatque Dionysius Halicarn. l. 1. ant. Rom. qui à Geryonis vitula, corrupto vocabulo Herculem cæterosque Italiã dixisse, Antiochum secutus, tradit.

42 Omitto Taurum, ac Bosphorum, ceteraque à Varrone superius nuncupata, & Carthaginem propono, quæ ab EQVI capite Omen, præstãtissimũ habuit: noui apud Liuium, & Solinum c. 40. lingua Phænicum Carthaginem *Ciuitatem nouam* indicare; sicut Virgilius l. 1. Aenead. inquit, — *Noua pateant Carthaginis arces*. at paulò ante dixerat, *Vrbe*

Vrbs antiqua fuit (Tyrij tenuere Coloni) --Carthago. ideo ad auspicium capitis BVBVLI, deinde EQVI orationem conuerto, & verum Carthaginis nomen exhibeo: nam *nouam Vrbem* Carthaginem recte significare, error est Seruij, ac recentioris Virgilij Scholiast. audi Eustathium in Dionys. de situ orb. *est locus editus in Carthagine, antiquus Byrsa dictus est, à* BOVIS PELLE, *vel corio: sed Iarbas ipsam postea appellari voluit* NOVAM VRBEM *vsus Africa lingua*. ergo non vrbis etymum nouam edixit vrbem, sed Iarbantis placitum: hinc ad caput *equi* reddeo: Virgilius l. 1. Aen.

Lucus in vrbe fuit media, latissimus vmbra,
Quo primum iactati vndis, & turbine Pœni
Effodere loco signum, quod Regia Iuno
Monstrarat, CAPVT ACRIS EQVI, sic nā fore bello
Egregiam, & facilem victu per secula gentem.

Silius lib. 2.

Ostentant CAPVT effusa tellure repertum
Bellatoris EQVI, atque Omen clamore salutant.

his recensitis, Eustathius inquit, *Carthago græcè Carchedon dicta fuit à quodam Phœnice viro Carchedone, prius quidem, Noua Vrbs, & Cadmea, & Caccabe, quæ appellatio patrio more* CAPVT EQVI *designat.* semper pecudum auspicijs grata Dijs Carthago a prima origine fuit; nam si solum spectes, Dionysius Afer canit,

Carthago, vt fama est corij mensura BOVILIS.

si fundamenta, Iustinus lib. 18. inquit, *in primis fundamentis caput Bubulum inuentum est, quod auspicium fructuosæ terræ, &c.* denuo si Vrbem ipsam, Eustathius ait, *circiter arborem Phœnicis in eo* CAPVT EQVI *inuenerunt: quod ipsis pacis, atque otij inditium portentauit, itaque eo in loco Carthaginem ædificauerunt*; itaque recte Cælius l. 18. c. 38. Virgilij carmen, etymon *capitis Equi* exprimere animaduertit.

43 Maiora interim Varro digerit, dicens, *Romanorum populum à pastoribus esse ortum, quis non dicit? quis Faustulum nescit pastorem fuisse nutricium, qui Romulum, & Remum educauit? non ipsos quoque fuisse pastores obtine-*

bit, quod Parilibus potissimum condidere Vrbem? non idem quod multa etiam nunc ex vetere instituto Bubus, & Ouibus dicitur? & quod AES *antiquissimum, quod est flatum pecore, pecore est notatum? & quod Vrbs cum condita est TAVRO, & VACCA, qui essent muri, & porta definitum? & quod Pop. Romanus cum lustratur Suouitaurilibus circum aguntur Verres, Aries, Taurus?* hæc ille, & nos *in nostris comm. de Vrbe Roma lib.* 1. hæc omnia disseruimus. nihilominus nonnulla leuiter tangam; ante Romulum scriptores ludos recensuisse, ac lustrationes eo quo tandem loco Roma floruit compertum est. Ouidius de Euandro, è Carmenta in fastis,

Sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipedisque Dei,
Semi-Caper celeris Cinctutis Faune Lupercis
Cum lustrant celebres vellera secta vias.

de Romulo, & Remo Cornelius Nepos, siue quis alius vitarum auctor, *re diuina facta eo in loco, qui nunc* LVPERCAL *dicitur ludibundi discurrerant* PELLIBVS *bestiarũ occursantes, quosque sibi met verberantes, vtque sollenne sacrificium sibi, posterisque id esse sanxerunt, separatimque suos appellauerunt Remus Fabios, Romulus Quintilios*. quod Plutarchus in Rom. Dionysius, ac alij plures referunt. de Fabio Propertius,

Verbera pellitus setosa mouebat Arator,
Vnde licens Fabius sacra Lupercus habet.

44 Vrbem deinde iunctis Tauro, & Vacca signasse cui non compertum? Ouidius in fast. l. 4. ex Portio Catone, ac Ennio,

Inde premens stiuam designat mœnia sulco
Alba iugum niueo cum BOVE VACCA *tulit;*

Constantinus Manasses,

---- Situm designat hic
Vrbisque formam mente mox delineat,
Iunctis Iuuenco, cum Iuuenca protinus.

idque auspicatò: enimuero Fabius pictor lib. 2. de orig. vrbis Rom. inquit, *ascito ex Hetruria vate, atque sacerdote, Romulus Olympum fecit, Pomeriumque sacrauit, &*

& ARATRO ab Olympo in vico Thusco per Palatium circumducens, ab imo collis ad verticem Quadratam Vrbem signauit. morem ab Aenea Virgilius prodit lib. 5.

Interea Aeneas Vrbem designat ARATRO,
Sortiturque domos: hoc Ilium, & hac loca Troia
Esse iubet: gaudet Regno Troianus Acestes.

Varro ad Hetruscos, iuxta Fabium reijcit vrbes condendi morem, sic lib. 4. l. l. *Oppida condebant in latio hetrusco ritu multa, idest, iunctis bobus tauro, & vacca interiore aratro circum agebant sulcum*: vide Columellam praeph. l. 6. Sempronium, Plutarchum, ac Dionysium. Commodi Imperatoris numum vide, moremque expende.





45 Locum Tertulliani expendo obiter, inclamat aduersus gentes, *Quid erratis? prior est quibusdam Dijs suis siluestris Roma*: prior, quia ante Romulum, quem *Quirinum*, ac Ennio delirante cum Proclo, *Deum* dixerunt: item *syluestris* nuncupatur: Q. Fabio Pictore lib. 1. edocente, *prima origo Romae fuit Collis Capitolinus, ante Saturnia dictus*: & denuo, *fuit Romae origo ad radices Capitolij, vbi tunc pascua bobus erat*. Tibullus l. 2. el. 5.

Romulus aeternae nondum formauerat vrbis
Maenia, consorti non habitanda Remo,
Sed tunc pascebant herbosa palatia Vaccae.

Pe-

46 *Pecunia* originem, insuper à pecore dictat, eamque sequitur Plinius lib. 18. c. 3. *Pecunia ipsa à pecore appellabatur, etiam nunc in tabulis Censoris pascua dicuntur omnia ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat: mulctatio quoque non nisi OVIVM BOVMQ; impendio dicebatur*: additque, Seruius Rex *OVIVM, BOVMQ; EFFIGIE primus as signauit*: & iterum lib. 33. c. 3. *Seruius Rex primò signauit æs, antea rudi vsos Romæ, Timæus tradit: signata est nota pecudum vnde, & PECVNIA est appellata*: D. Augustinum aduoco ex nostris, qui de discipl. christ. c. 1. inquit, *totum quidquid homines possident in terra, omnia quorum domini sunt, PECVNIA vocatur; seruus sit, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum est pecunia dicitur, & vnde est primum vocata pecunia? ideo pecunia quia antiqui totum quod habebant in pecoribus habebant*. hæc ille ex Plutarcho in Publicola, vbi ait, *Ouis erat decem obolis, bos centum, quod infrequens esset apud Romanos id temporis nũmorum vsus*: hinc Festo auctore, *PECVLIVM à pecore* dictum nouimus. aitque T. Menenium Lanatum, & Sestiũ Capitolinum Coss. sanxisse, *postquam ære signato vti cæpit pop. Romanus, vt bos centussibus, ouis decussibus estimaretur*.

47 Inter denominata etiam homines eorumque proceres recensentur, nam addit Varro, *nomina multa habemus ab vtroque pecore, à maiore, & à minore: à minore, Porcius, Ouinius, Caprilius; sic à maiore, Equitius, Taurus, cognomina adsignificari, quo dicuntur, vt Annij Caprea, Statilij Tauri: Pomponij Vituli, sic à pecudibus alij multi*, & apud Romanos id vsitatum veluti gloriæ fastigium Plutarchus in Publicola tradit, *vetustissimi nummi boue, vel oue, vel sue fuerunt signati, filijsq. suis Suillijs, Bubulcis, Caprarijs Porcijs nomina dabant*. adde Equites ab equis dictis, Plin. l. 33. 1. *equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum*; expendit sensum Cælius l. 12. c. 1. apud Athenienses, *equites dicti quod si vsus ita ferret equos alere singuli possent*; quid si Angeli ab equis nomen desumerent? *equitatui meo in curribus Pharaonis*

raonis assimilaui te amica mea; expenditque locum Habacuc c. 3. v. 8. *num quid in fluminibus iratus es Domine?* *aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?* *qui ascendes super EQVOS TVOS, & quadriga tua salvatio*. Euthymius ait de fluuijs Ægypti in sanguinem conuersis inclamasse vatem: Hieronymus, apud Agellium, ad Mare Rubrum prophetam allusisse tradit; Albertus, & Lyra explicant de Cyro, qui cum propter murorum fortitudinem non posset Babylonem expugnare, Euphratem in varios riuulos diuisit, sicque ingressi Persæ eam cæperunt, vt refert Herodotus lib. 1. & Xenophon lib. 7. Cyrop. ea qua nocte Baltasar *vidit manum in pariete scribentem*: tunc Deus ascendens super Angelos pugnabat aduersus impiũ. allegorice per equos Agellius APOSTOLOS expendit: D. Ambrosius in psal. 118. ser. 2. & lxx. *equa mea* legunt, ad quæ Rex Cantacuzenus inquit, *merito sua EQVAE virginem assimilauit, eo quod super ipsam pacificus Rex Christus ascenderit*. sic equæ MARIA comparatur, vel ob pietatem, quam in equa commendat Ælianus l. 3. c. 8. h. a. dum relictos, ac pereuntes pullos aliarum reficit: vel ob affectum erga sessorem suum, sicut Pausanias in Corinthiacis, de Equa Phidolæ Corinthij, (quam *Auram* nuncupabant) refert, vel ob festinationem citissimam erga Deum sicut Theodoretus, vel Richardo auctore, Psellus expendit.

48 Quid si Christus *Agnus*, *& Rinoceros*, *& Vitulus*, *& Aries*, *& Leo*, & passim ab alijs aliter in scripturis dicatur? hæc vnicuique obuia cum sint, & lucida omitto: pendo prophetæ verba, Habacuc c. 3. *in medio annorum notũ facies* Eusebius l. 6. dem. euang. Theodoritus, & Hesychius vertunt, *in medio duarum vitarum*: Hieronymus, ac Tertullianus ex lxx. *in medio duorum animalium cognosceris*. Theodoretus apud Agellium expendit locum, ac si diceret *in medio* CHERVBIM, & SERAPHIM, idque Cyrillus Alexandrinus firmat, vbi ait, inter duo Cherubim olim de sancto, sanctorum voces, & oracula diuina edebantur. Agellius per animalia ANGELOS intelligit: Tertullianus adu. Marcionem MOYSEN, & ELIAM: Hieronymus,

nymus, *inter* DVOS LATRONES Christum Crucifixum fuisse cognitum existimat. Augustinus DVO TESTAMENTA, vel DVO ANIMALIA in præsepe Christum fouentia: habes ergo ex multis pauca ab animalibus denominata, & infra, licet obiter nonnulla recensentur.

ANIMALIA DIIS SACRA.

CAPVT QVARTVM.

49 

Ræter morem ex pluribus nonnulla animaduersione digna exhibemus, eaque veluti florum, spicarumque manipulos in vnum collecta offerimus. & vt ab Iside oratio sumat exordium, Aelianus l. 10. h. a. c. 23. inquit, *Coptitæ Capras feras fœminas ad DIVINITATEM, ET RELIGIONEM consecrant, easdemque ISIDI in amore, & delicijs esse existimant*: sed quænam hæc Isis Dea? ipsamet penes Apuleium vndecimo metamorphoseos se ipsam prodit dicens, *adsum rerum natura parens; elementorum omnium domina: saeculorum progenies initialis: SVMMA NVMINVM: Regina Manium: prima cælitum Deorum, Dearumq; facies vniformis, quæ cæli luminosa culmina, maris salubria flamina, inferum deplorata silentia nutibus meis dispenso: cuius Numen vnicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis; inde primigenij Phryges Pessinunticam nominant Deum Matrem: hinc Autochthones Attici, Cecropeiam Mineruam: illinc fluctuantes Cyprij Paphiam VENEREM: Cretes sagittiferi Dictynam DIANAM: Siculi trilingues Stygiā PROSERPINAM: Eleusini vetustam Deam CEREREM: Iunonem alij: alij Bellonam: alij Hecaten: Rhamnusiam alij: & qui nascenti diei solis inchoantibus illustrantur radijs Aethiopes, Arijque, priscaque doctrina pollentes* Aegyp-

Aegyptij ceremonijs me proprijs percolentes, appellant VERO NOMINE REGINAM ISIDEM. hucusque sapiens ille Madaurensis: sicque Capram omnibus Dijs sacram breuiter ostendisse arbitror.

50 Nec male; enimuero originem hostiarum à Sue, & Capra veteres retulisse conspicuum est, causamque præter Sammonicum Sirenum, & Ennium Ouidius in fastis cecinit lib. 1.

Prima Ceres auida gauisa est sanguine Porca,
Vlta suas merita cæde nocentis opes.
Nam sata vere nouo teneris lactentia succis
Eruta setigeræ comperit ore suis.
Sus dederat pœnas: exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse CAPER.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem
Talia non tacito verba dolore dedit:
Rode CAPER vitem: tamen hinc cum stabis ad Aram
In tua quod spargi cornua possit, erit.

dixerat olim victimas nequaquam litasse veteres; sed far, vinum, herbarumque fasciculi, ac flores ornabant aras. monetque Q. Fabius Pictor lib. 1. de aur. sæc. *Ianus primus aras, & Pomeria, & sacra docuit, & ob id illi in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, FARQ. illi, ac VINVM primo prælibatur*: in Oschophorijs Nicandro, & Hesychio edocentibus *palmites racemis oppleti* offerebantur, traditque Proclus in Chrestomathia, *adolescentes duo muliebri veste induti, palmitem gestantes plenum maturis vuis festum auspicabantur*; nec aliter ex Philochoro Harpocration: Athenæus l. 11. ex Aristodemo. Pausanias in Atticis, ac Plutarchus, qui de cœnis illius diei festi scripserunt; de more veterum Ouidius ibid.

Ara dabat fumos, herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono,
Si quis erat, factis prati de flore coronis
Qui posset violas addere, diues erat.

de herba sabina Dioscoridem vide: apud Nicomedem, & Hesychium *brathys* dicitur, de qua Plinius, *petunt in Elymaos arborem brathyn cupresso fusæ similem, ex albidis*

ramis iucundi odoris accensam: alibi *Cupressum Creticam* à multis dici testatur, monetque Scholiastes: deinde *Sues, Caprasque* cedere caussa fuit, inquit Pierius l. 10. *quoniam Caper vitem abrodens veluti veneficio vitiat*: at si Heraclidem, & Apollodorum sequi velimus, in Capra est diuinatio, super cuius pelles decumbentes olim oracula edebant; qua de re *in nostro Numa* plura leges: Lycophron in Capra *perfectionē* agnoscit; offerebatur in festo Dioscurorum, qui ex Ioue, & Proserpina penes Tullium in 3. de nat. Deorum, *Anaces* dicuntur, forsan, Plutarcho in Theseo auctore, *propter splendorem syderum*; sunt enim *fratres Helenæ lucida sydera*, eisque apud Pausaniam, *ex tribus animalibus sacrificium*, *Trittyan*, scilicet veteres, litasse nouimus, de quo Suidas, *perfectum sacrificium constans tribus*, *Sue*, *Ariete*, *Hirco*, alij cum Callimacho, *Ariete*, *Tauro*, *Porco*: Alter vero doctus, *Boue*, *CAPRA*, *Sue*: iisque perfectum Tyndaridarum Numinum sacrificium fiebat: quod à Pyndaro in 3. Olymp. Græco Scholiaste auctore apud Castellanum, *Xenismus* vocatur.

51. Hinc Plinius l. 8. c. 47. *Magnam PECORIS gratiā in placamentis Deorum inesse* scribit; forsan quia Arnobius lib. 2. adu. gent. hominum, animaliumque fata componēs ex Empedocle, & Pythagora concludit, *manifestius comprobatur vicinos nos esse, neque interuallis longioribus disparatis: siquidem res eadem nobis, & illis est vna per quā esse animantia dicimus, & motum agitare vitalem*; idcirco religionis cultu prosequuntur, ac Dijs dicantur. de Api portentum scribunt Aelianus, & Hecatæus: quod Plinius lib. 8. c. 46. sic prodit, *Bos in Aegypto etiam Numinis vice colitur, APIM vocant: insigne ei in dextro latere candicans macula cornibus lunæ crescere incipientis. Nodus sub lingua, quem Cantharum appellant. non est fas eum certos vitæ excedere annos, mersumque in sacerdotum fonte enecant, quæsituri luctu alium, quem substituant, & donec inuenerint, mœrent derasis etiam capitibus: nec tamen vnquam diu quæritur. Inuentus deducitur Memphim à sacerdotibus. sunt delubra ei gemina, quæ vocant* THALAMOS, AVGVRIA POPVLORVM: *alterum intrasse*

latum

latum est, in altero dira portendit; RESPONSA priuatis dat è manu consulentium cibum capiendo: Germanici Cæsaris manum auersatus est haud multo post extincti: cætero secretus, cum se proripuit in cætus, incedit summota lictorum, grexque puerorum comitatur CARMEN honori eius canentium: INTELLIGERE VIDETVR, ET ADORARI VELLE: hi greges repente lymphati futura præcinunt. fœmina bos semel ei anno ostenditur, suis, & ipsa insignibus quanquam alijs semperque eodem die, & inueniri eam, & extingui tradunt: hæc ille. vide Aelianum h. a. l. 10. c. 28. Mela Pomponius *Apis raro nascitur, nec coitu pecoris, vt aiunt, sed diuinitus, & cælesti igne conceptus*; plura Herodotus, Aristagoras, Strabo l. 17. & Am. Marcellinus lib. 22. vbi Apim *animal ab antiquis consecratum* nuncupat. Plutarchus tandem penes Lilium, vbi Philarchum damnat, *apim animam esse Osiridis* inquit: vide Eusebium in 10. de præp. euang





52 Sed Aeliani locus l. 11. c. 20. h. a. recensendus est omnino, enimuero auctore Nimphodoro, *in Adrani Dæmonis Templo in Sicilia* CANES *sacri sunt, qui, & ipsi colunt eum, atque inseruiunt Molossis canibus, tum forma, tum magnitudine superiores: numero non pauciores*

quam mille : hi interdiu blande, & adulantes, tum peregrinos, tum indigenas, qui templum, Lucumque ingrediuntur excipiunt; nocte vero, tum ebrios, & titubantes TANQVAM VIAE DVCES, & COMITES egregie deducunt ad suam vsque domum quemque antecedentes. ceterum contumeliosos, vt par est puniunt, & insiliunt nempe, & vestes eorum lacerant, & eatenus castigant; eos denique, qui furari, prædariue moliuntur crudelissime dilaniant. hæc ille.

53 Canes etiam, antiquorum apud monumenta *Laribus* assistentes, dicatosque Plutarchus refert: Lares Nigidius *tectorum, domuumque custodes* nuncupat: Arnobius, *vicorum atque Itinerum Deos* appellat; Varro, apud Lilium, *nunc Manes, & aerios Deos, vel Heroas, nunc Laruas, Lares* dicit: propriè vt Plautus in Aularia, *Lares familiares*, Heroas fuisse suspicor, eosque LARES PERMARINOS dictos, inter, quos teste Helio Lampridio in Alexandro, Mammæas Seuerus Imp. *Christum, & Abrahamum* suo in Larario coluit; Laribus ergo Canes dicatos legimus, causamue Ouidius in 5. fast. addit,

Stant quoque pro nobis, & præsunt Mœnibus vrbis,
Et sunt præsentes, auxiliumque ferunt:
Et Canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat; quæ standi cum Lare caussa fuit?
Seruat vterque domum; domino quoque fidus vterque
Compita grata Deo, Compita grata Cani,
Exagitant, & Lar, & turba Diania fures
Peruigilantque Lares, peruigilantque CANES.

adde Plinium l. 34. c. 30. qui ait, *in Capitolio fuisse in cella Iunonis Canem vulnus suum lambentem*; præter Apollodorū, Pausanias in Corinthiacis inquit, *Aesculapij simulachrum dimidium ferme minus est eo, quod Athenis est Iouis Olympij, auro illud quidem, & ebore perfectum: testatur inscriptio opus esse Thrasymedæ Aritoni, filij Parij hominis. sedet in solio scipionem tenens: altera manu DRAGONIS caput premit, CANE ad pedes decumbente:* habeo insuper Dragonem Apollini sacrum, de quo Ælianus l. 11. h. a. 2. inquit, *Lucus apud Epirotas Deo sacer est, &*

muro

muro septus, intra illum DRAGONES sunt Deo GRATI: ad hos nuda Virgo sacerdos accedit, & victum dragonibus porrigit: eos Epirotæ à Pythone Delphico prognatos aiunt: quod si Virginem accedentem illi placide aspexerint, annum fertilem significare creduntur: sin terribiles erga illam fuerint, & porrecta cibaria non acceperint, infaustum annum diuinant.

54 Quia dragonis meminimus ORGIORVM arcana promere suasit religio; latebat *in cista arcanum* nulli mortalium vnquam perscrutandum, de quo Catullus,

Pars obscura cauis celebrant Orgia cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani:

Aristophanes in acharn.

Ore fauete, ore fauete
Procede anterius paulo, quæ CISTAM habes.

at Bacchantium infanda euulgat Clemens Alexandrinus, dicens, *Quales sunt CISTAE eorum mysticæ? oportet enim sancta illorum reuelare, & arcana enunciare: Nonne ea sunt sesama, pyramides, & lana bene elaborata, Libaque multa distincta vmbilicis, salisque Mica, & DRAGO Orgium Dionysij Bassarij? an non mala punica, atq. etiam corda, ferulæ, & hederæ? & præterea placentæ, & papauera?* Plutarchus occinit in Alexandro, exhibetque *ANGVES ingentes ex hedera, & mysticis cistis prorepentes*. hæc in Dionysij festo Demaratus tradit, in quo si Athenæo, & Proclo in Chrestomathia fides, *inter sacrificandum IO BACCHE canebatur*; obseruatque Castellanus furore tunc, Deoque plenos inclamasse *Eue Bacche*, idque ex Demosthene, & Plutarcho, sed non absque *ANIMALIVM pellibus*, canitque Dionysius Alexandrinus,

Atque in Lenæis sacras duxere choreas,
Pellibus incincti simul EVOHE, Bacche, frementes;

antea Aristophanes: adamussim Plutarchus in Antonio inquit, *cum Ephesum ingrederetur mulieres quidem Baccharum habitu, viri autem, & pueri Satyrorum, atque Panum cultu ornati præibant: hedera, thyrsis, psalterijs, fistulis, tibijs ciuitas plena;* vidisti qua pompa festum agerent? sed si originem species, vel festi ipsius denuo pompam

ani-

animalia protinus adsunt. Arnobius lib. 5. *sequestrata pectoris sanitate circumplicatis vos ANGVIBVS; atq. vt vos plenos Dei Numine, ac maiestate doceatis CAPRORVM RECLAMANTIVM viscera cruentatis oribus dissipatis*: Clemens, apud Castellanum, in Protr. crudis tũc carnibus vesci scribit, & Catullus in Nupt. Pelij, & Thetidos,

Pars è diuulso iactabant membra iuuenco:

Pars sese TORTIS SERPENTIBVS incingebant.

annotatque Plutarchus, olim diuersimode festum duxisse, nam *vnus CAPRVM trahebat, sequebatur calathum ficubus plenum gestans, vltimo loco Phallus*, idest, *statua cubitalis*, quam obsceno spectaculo mulieres sequebantur, vt Herodotus lib. 2. scribit; sic habes *Orgia*, tanta animalium dicatorum multiplicitate plena; *sunt*, enim, *Orgia omnium Deorum SACRA*; de quibus vide Plutarchum de If. & Ofir. Athenæum, Castellanum, Gyraldum, plures que alios eruditissimos recentiores.

55 Hinc Synesius in Enc. Caluitij, aduersus gentes inclamat: *Rostris quidem ACCIPITRVM, & IBIDVM templorum vestibula insculpuntur*. non etenim Aues à Numinum sacris elonganturi: imo portentum refero ex Hecatæo Abderita, qui apud Ælianum l. 11. c. 1. h. a. ait, *Apollini cum solenne sacrificium stato, ac præfinito tempore peragunt, innumera CYGNORVM examina è Ripæis Montibus aduolant: qui vbi Templum volando circumuecti fuerint, & veluti lustrarint, in septum Templi descendunt, quod, & spatio amplissimum est, & specie pulcherrimum: quum autem CANTORES vernaculo eis musica genere, simul, & citharedi suauissima melodia Deum celebrant, CYGNI etiam ipsi concinne ACCINVNT, nec vsquam absona, aut inepta voce aberrant, sed tanquam incitamentum, & auspicium cantus à choro didascalo editum secuti peritissimis carminum sacrorum decantatoribus concinunt: hymno iam perfecto volucris ille chorus, vt ita dicam, recedit, postquam solito sibi Dei celebrandi munere est functus, ac diuinos honores per totum audiuit diem, simulque, & ipsa cantauit, & oblectauit alios*; hactenus

auc-

auctor; de Columbis vero, quæ Venerem apud Siculos colunt admiranda enarrantur: ab Eryce namque, teste Diodoro Siculo, Mons Erycius, ac Veneris Templum nomen habuit, verticem montis occupat maximo populorum religionisque plausu, vti Polybius tradit: credunt ab Eryce Veneris, ac Butæ filio erectum; Virgilius Aeneæ suo adscribit opus in quinto,

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ; tumuloque sacerdos,
Et lucus late sacer additur Anchiseo.

ergo Aelianus h. a. l. 4. c. 2. inquit, In *Eryce Siciliæ festi dies aguntur, quos Erycini, & Siculi omnes PROFECTORIOS appellant: cur autem sic appelletur causam afferunt, quod id temporis Venerem inde in Lybiam proficisci dicunt, cum longe maximus columbarum in ijs locis numerus esse soleat, nulla autem, tunc temporis appareat, coniiciunt ipsas abeuntem venerantes Deam eum illa peregre profectas esse: nam Veneri sacrum esse genus columbarum omnes existimant. Nouem diebus lapsis vnam forma insignem ex pelago Libyco spectari reuolantem, quæ non sit quemadmodum reliquæ gregales, sed RVBRA, qualem nobis Anacreon canit esse Venerem, quum eam quodam loco purpuream, & auro similem canit: imitatione nimirum Homeri, qui tandem nobis AVREAM celebrat: hanc cæterarum Columbarum greges sequuntur, & rursus ex earum reditu Erycini reuersionis dies celebrant:* vsque modo ille: & tanta apud veteres obsequium veneratione inualuit, vt Romanorum gens sacra ab Eryce petierit, ac Fabius Max. Dictator, Liuio d. 3. l. 2. auctore, Veneri Erycinæ Templum voueret; imo aliud Delubrum L. Portius L. F. Licinus Duumuir dedicauit, de quo Ouidius,

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet, à Siculo nomina Rege tenet.

ac ipse Tiberius (si Tacito credis) siue Claudius, Suetonio auctore, *Templum in Sicilia Veneris Erycinia vetustate collapsum, vt ex ærario populi Romani reficeretur, auctor fuit.*

56 De Columbis iam satis: nam Ioui Dodonæo duas

olim

olim sacras vulgasse oracula canit Aeschylus in Prometheo vincto; Herodotus, Pausanias in Achaicis; & nos alibi; sunt enim, Athenæo teste, *Veneri sacra*; quia primum in Gypro repertæ; Cyprumque Veneri sacram omnes norunt; Albertus à *lumbis* dictas credidit, eo quod *lumbos volant*; & in Venerem se vltro incitent; traditque Apollodorus; & Gallienus Imperator,

Ite, ait, ô Pueri pariter sudate medullis
Omnibus inter vos, non murmura vestra Columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

hinc legas, ait Pierius, apud Senecam Mœcenatis dictum illud *Columbatim labris inserens labra*: hinc Iupiter Phthiā puellam, quam deperibat, in Columbam commutauit, inquit Aelianus. sed cur lasciuiam damnamus in sacris alitibus? potius charitatem commendemus, audi Propertium,

Exemplo iunctæ tibi sint in amore Columbæ,
Masculus, & totum fœmina coniugium:

in osculis *concordiam paris* Cyprianus agnoscit, imo,

Ipse etenim casta dum operetur mente sacerdos,
OSCVLA dat, quæ dent ille, vel ille alijs.

& recte sancta apud Tibullum dicitur,

Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino SANCTA Columba Syro.

quid si CASTAM Martialis vir perditæ libidinis occinat?

Inguina Torquati tardant, hebetantque palumbes
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

57 Nonne, *Spiritus sanctus in Columbæ specie visus est?* vtique; cum inciperet annum trigesimum agere, Hieronymo, ac Origine testibus *venit Iesus à Galilæa in Iordanē ad Ioannem vt baptizaretur ab eo*, Epiphanius, ante sextum idus Nouēbris, cum annos viginti nouem, & decem menses suæ implesset ætatis, quod auctore Irenæo, idem est, ac si triginta annorum fuisset, licet Chrysostomus, & Ignatius illos iam completos enarrent: sic sexta Ianuarij, vti Eusebius ad Marinum tradit, firmatque Hieronymus, venit Iesus, vt baptizaretur à Ioanne: accidit an. ab. O. C. 3978. V. C. 781. Olymp. 202. an. 1. quo stadium vicit Hermogenes Pergamenus; C. Rubellio Gemino, & C.

Tusco Gemino Coss. tunc cum esset in eo sinu fluminis, qui *à mare mortuo*, quinto milliario distat, sanatque vsque in modo leprosos, si Gregorio Turonensi, c. 17. de glo. Mart. credimus: & nunc est Cruce signatus, vt Beda scribit; *Spiritus velut Columba specie in caput Christi venit*, inquit Chrysostomus ho. 4. in act. ap. occinitque Iuuencus Presbyter,

Scinditur auricolor cæli septemplicis æthra,
Corporeamque gerens speciem descendit ab alto
Spiritus aeream simulans ex nube COLVMBAM.

recte vates finxisse, non assumpsisse Columbam canit, quod Chrysostomus, Augustinus, ac Thomas 3. p. q. 39. a. 6. docent: at non assentior Ambrosio, Abulensi, Caietano cæterisque, qui apparentem Columbam, non veram demonstrant, enimuero Tertullianus de carne Chr. Augustinus, ac Thomas l. c. a. 7. *veram, ac viuentem columbam* referunt, caussamque D. Cyprianus adu. Nouatianum inclamat, *idcirco in Columba venit Spiritus sanctus; simplex est animal, & latum, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum, cuius ingenium est hospitia humana diligere, vnius domus consortium nosse, cum generant filios simul educare, cum commeant volatibus inuicem inhærere, communi conuersatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, circa omnia demum humanitatis omnem implere legem*: Chrysostomus, *Columba præceteris animantibus cultrix est charitatis, quā solam non possunt immundi Spiritus imitari, & nihil sic indicat Spiritum sanctum, vt gratia charitatis*. & Hieronymus adu. Luciferan. ad Columbam Arcæ, & Noè allusisse scribit, sic Deus virtutum tot in vna virtutes Columba dilexit, & sicut in orbis illuuie Columba attulit RAMVM OLIVÆ, sic apertis cœlorū denuo cataractis, gratiarum vndique fluenta emanantibus, inquit Athanasius or. 2. in Arianos, *vnctus est Dominus oleo lætitiæ, quod oleum spiritum sanctum esse exposuit Isaias c. 61. Spiritus domini super me, eo quod vnxerit me; & ab Apostolo dictum est, quod Deus illum vnxerit Spiritu sancto*; sicque Augustino auctore *Spiritum sanctū*

G de-

dedit vt Deus, accepit vt homo. his peractis censet Tertullianus *Columbam redactam in nihilum* fuisse, non enim oportebat durare amplius perfecto iam ac peracto diuinitatis munere, in Iordane, qui ex tunc aurum, gemmasque gignere festinauit.

57 Erant animalia Dijs sacra ad aliquod arcanum rudibus adhuc vulgo hominibus significandum; sic Sphinges in templis Deorum Hecatæus, & Heraclides exhibent, vt noscerent, inquit Clemens Alexandrinus l. 5. strom. *obsecrandum, ac timendum esse Deum*, Pierius, *vt humanam naturam præstare ceteris animantibus admoneamur*. Æschylus, & Eustathius *arcana Numinum haud perscrutāda in illis* attendunt. fuitque græcum figmentum, si Origeni credis, & ex sacris hebræorum: en Iconem, formamque exhibeo, vt si lubet ieroglyphicum perscruteris.





58 Gruem excoluisse veteres, & in Iouis templo velut fastigium obtinuisse Apollodorus tradit: vigilantem etenim Deum astruit, quia Horo Apolline teste, & ipsa vigilat noctu lapillum sustinens, sicut de Alexandro testatur Ammianus Marcellinus: imo ordinem seruat, & apud Philostratum Palamedi Vlysses obijcit LITERAS A GRVIBVS inuentas non ab eo, tanto volantes ordine irrumpunt aerem; & ne ventorum flamine euagarent, Maximus Tyrius scri-

ſcribit, lapillos ſecum ferre, imo Solinus tradit, harenam, lapilloſque deuorare: *IBIS* etiam Mercurio ſacra ab Ægyptijs colitur, quia primæ literæ eſt ſymbolum, ait Plutarchus: idque non ſolum apud Aegyptios, ſed vt Pierius animaduertit ex Pediano, in Romanorũ Curia A. abſolutionis velut indicium, C. condemnationis in ciſtam mittere obſeruabant; ſed Mercurio ſacra, forſan quia auis ſerpentibus veſcitur, quos Mercurius in virga præfert; hinc veterum opinio ex ouo Ibidis BASILISCVM oriri, nam venenata illud peſtis portentum ingenerant, & paulatim ad orbis perniciem componunt.

59 Pietatis inſigne columen CICONIAM refero. de qua Cardinalis AEgidius ad Pierium ſcribit, *animal peculiare pietatis exemplum non ab Ariſtotele modo memoriæ proditum, verum à Theologia arcana hebræorum, tum culta, tum diuinis honoribus uenerata: in arcanis enim eum habet locum ea auis, ut nihil poſſit, aut reperiri ſacratius, aut diuinitus excogitari.* hæc ille, cauſam Cteſias Gnidius, & Homerus *pietatem erga parentes* referunt, de qua canit Oppianus: & Alexander Mydius apud Aelianum l. 3. h. a. 23. mirum hanc ob cauſam enarrat, ſcilicet, *CICONIAS exacta ætate decurſaque ad Oceanitidas inſulas uolantes pro PIETATE quam geſſerint erga parentes, aſſequi VT EX AVIBVS CONVERTANTVR IN HOMINES; & forte Dij uoluerunt homines in illis ſaltem locis, ueluti exemplar pietatis ſanctitatiſque proponere, quando in alijs ſub ſole regionibus nulla eiuſmodi gens reperitur:* hæc ille, cenſuram vero ſuam Aelianus addit, *figmentum quidem hoc eſſe non puto; quid enim hoc comminiſci Alexandro profuiſſet: hominem certe ſapientem non decet mentiri*; certe dictum illud recenſeo, vt pietatis opus quammaxime commendatum haberet poſteritas, quod in nummis commendarunt principes conſultiſſimi, ex quibus vnum propono.







60 Tandem, quia psalmi verficulus se offert hac in re difficillimus ipsum expendo: psal. 103, v. 18. *Erodij domus dux est eorum, montes excelsi Ceruis, petra refugium Erinacijs*; de Erodio quid præter tricas? sensus literæ ab Aristotele petendus, qui l. 9. h. an. c. 1. & 18. herodij meminit; & Genebrardus ex Chrysostomo, & Euthymio hunc passerum, auicularumque ducem appellat. sed quid per Erodium? apud Cassiodorum, & Augustinum *Fulica* legitur: Hieronymus *Miluum*: apud Agellium, *Ardeolam*, vulgo *Airone*, de qua Virgilius Georg. I.

Notasq. paludes,

Deserit, atque altam supra uolat Ardea Nubem,

Lucanus Pharsaliæ lib. 5. *Quid ausa uolare,*

Ardea sublimis pennæ confisa natanti.

Rerius CICONIAM, porro Herodium Ciconiam esse putat mansuetam Volucrem Suidas, aut Ciconiæ genus firmatque Genebrardus ex hebræo, quia *uox hasidah Ciconiam designat à beneficentia, & pietate, nam est pia in parentes, eos senio confectos alens, uiribusque defectos, & uolandi facultate destitutos humeris portans*, vnde PIETATIS CVLTRIX à Petronio Arbitro, & à Græcis πελαργος dicitur: reijcit ergo Symmachi *Miluum* tanquam rapacem, *Fulicam* Augustini, & Arnobij, quia est *auis aquatica*: vertitque,

titque, *Ciconiæ, uel Erodij domus est in eorum capite: est eorum dux, & princeps*, probatque ex Isaia, ac pro domo *Nidum* etiam Virgilius 2. Georg. occinit, *Antiquasque domos auium cum stirpibus imis Eruit*; & ipsa Ciconia in pinis, siue abietibus, & procerioribus arboribus ædificat, & nidulatur. Agnosce naturæ arcanum, Passerum, & auicularum ducem Deus Ciconiam dedit, vt edisceremt a piotissima altilium pietatis sacramenta, ipsaque in altissimis nidulatur, vt per auis celsitudinem inotesceret pietatis monimentum; quo penes Romanorum proceres Ciconia sola, teste Diuo Vincentio Fer. velut *DEA* colebatur.

DE SACRIFICIIS, ET ANIMALIBVS sponte Altare petentibus,

CAPVT QVINTVM.

61 Dicata Numinibus animalia diximus, nunc ex animo illis præstasse obsequium dicemus; enimuero superstitiosissimos olim veteres victimas, antequam cæderent probasse tradit Tertullianus in apolog. Tullius orat. in Rullum, & Aristoteles, de Rep. Atheniensium scribens, inquit, *Rex primum mysteria procurabat, cum alijs curatoribus, quos populus designabat, quatuor erāt, duo quidem ex vniuersis Atheniensibus, vnus ex Eumolpidis, & vnus ex Ceryeibus*; de Rege Harpocration ait, *Curator mysteriorum apud Athenienses Rex dictus est*; traditque Pollux, imo Plinius lib. 8. c. 45. vbi de Tauris subinfert; *hinc victimæ opimæ, & lautissima Deorum placatio: huic tantum animali omnium quibus procerior cauda non statim nato consummata, vt cæteris, mensura crescit vni donec ad vestigia ima perueniat: Quamobrem VICTIMARVM PROBATIO in Vitulo, vt articulum suffraginis contingat: breuiore non litant: hoc quoque notatum Vitulos ad Aras humeris hominis allatos non fere*

litare,

litare, ficut nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari, nec TRAHENTE se ab aris. paucis multa edixit, quæ expendere conabimur: probatio fiebat maiorum consensu, & principum inspectione, sicut Tullius l. c. inquit, *erant maiores hostiæ in foro constitutæ, quæ ab his Prætoribus de Tribunali, sicut à nobis consulimus de consilij sententia probatæ ad PRÆCONEM, & ad Tibicinem immolabantur*: sensus indiget face, tenebrasque eius illustrat Athenæus Deipnosophistarum lib. 14. *apud Romanos, censores, qui magistratus summæ fuit auctoritatis purpurati, & CORONATI hostias immolabant: Nec vero temere est ab Homero scriptum præcones afferre, quæ sacrificarentur*; itaque probatæ hostiæ per præconem euulgabantur, forsan vt quisque possit deinde inspicere, & probare: morem apud Græcos obseruo, nam Homerus de Hectore ait,

Hector in vrbem præcones duos præmisit

Agnos qui afferrent, & accerserent Priamum. — alibi

Talthybius Dijs voce similis

Hircum tenens manibus, populorũ ductori admonuit.

plura Athenæus ibidem ex Homero, Demo, Athenione, & Cleidemo lib. 1. Protogoniæ: probatam vero aram, ac cultrum non reluctare nouimus.

62 Sed animalium religio quam maxime eniteat, exẽpla referunt, dum sponte ad aras pergere, inter sacrum, & saxum sistere tradunt: firmatque Apollonius Dyscolus l. 3. dicens, *cum Halicarnassi sacrificium Ioui Asirao peragitur gregem Caprarum ad fanum adductum consistere, votisque absolutis VNA EARVM nemine ducente progressam ad aram accedere, quam sacerdos arreptam litet*. hæc ille, & Plutarchus, *Ioui Asraeo* Lydios primitias frugum offerre solitos scribit; Numenque *ab Asora* dictum; aliud refert Aristoteles de adm. audit. num. 133. magis omnino mirum, *in Pedusia Cariæ Regionis Iouis sacrificia persoluuntur, ad quæ CAPRAM quandam incolæ mittũt, de qua mirandum quid euenire autumant, incedit enim hæc per LXX. stadia ad locum sacrificij, ac per turbam multam quæ eam contemplatur, minimeque Capra ipsa perturbatur, neque ab itinere auertitur, cum vero fani*

alli-

alligatur tramite pulchriori eum, qui sacerdotia expertat PRAECEDIT : verum quod cæteris aduenis stuporem inducit, est eius cornua calices quaternos occupare. hactenus ille : obseruo *quatuor calices* inter cornua, eosque vino probatissimo ad sacrificij complementum plenos, Ouidius metamorphoseos 7.

Admoti quoties templis, tum vota sacerdos
Concipit, & fundit purum inter corna VINVM.

ex Virgilio, qui lib. 4. Aeneid. occinit,

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fudit.

thura etiam vino profusa Ouidius l. 13. met. canit,

Thure dato flammis, VINOq. in thura profuso
Cæsarumque boum fibris de more crematis.

63 Maiora addo, quæ fidem superent; Aelianus l. 10 c. 50. vbi de templo Veneris Brycię (de qua diximus antea) inquit, *singulis per totum annum diebus, tum incolæ, tum peregrini sacrificant : Ara maxima subdio est : quæ cum multa sub inde sacrificia recipiat, non die tantum toto, sed etiam nocte ardet, & mirum est illam ita splendēte igne cum nulla subsit pruna, non cinis, non vlli titiones, sed rore sit plena, & RECENTIBVS HERBIS quæ sub inde singulis noctibus in ea nascuntur, porro de pecoris gregibus VICTIMAE SVA SPONTE ACCEDVNT, ET ARAE STANT; ducit autem illas primum Dea vis, deinde voluntas sacrificantis*; vide quanta sint admiranda in vno facinore? vtinam homines erga Deum verum tanto flagrassent obsequio! Apolloniam legimus mulierem fortem, quam olim forsan Salomon quæsiuerat, Decij persecutione impijssimi tyranni vrgente aduersus principatus, & potestates restitisse vsque ad sanguinem, sicut Dionysius Alex. ad Fabium Episc. Antiochenum scribit, enarratque Eusebius, & Nicephorus ex ipso prodit : tandem excruciata *repente se de manibus impiorum proripuit, & in ignem quem parauerant maiori sancti Spiritus flamma intus accensa SPONTE prosiluit, ita vt perterrerentur etiam ipsi crudelitatis auctores; quod promptior inuenta esset ad mortem fœmina, quam persecutor ad pœnam;* tunc

Deus

Deus acceptabit sacrificium iustitiæ, animi oblationes, ac cordis holocausta, & imposita fuit super altare; quod viderat Ioannes in cælis, vitula omnino purissima.

64 Sed redeat vnde exijt oratio; *ducebantur hostiæ*, non trahebantur, vt vim omnem excluderent. Ouidius e. 12. l. 3. Am.

Ducuntur niueæ, populo plaudente, Iuuencæ.
ex Virgilio lib. 2. Georgicorum,

Et ductus cornu stabit sacer Hircus ad Aram.
hinc Aelianus aliud exemplum offert, animalium obsequij erga Numen, *Cererem Hemionenses colunt, & splendida ei, ac magnifica sacra faciunt, festum id Chthonium appellant, aiunt sane, maximos BOVES à muliere Cereris sacerdote ad aram à grege se abduci, & FERIRI PERMITTERE.* hæc ille l. 11. h. a. 3. quod Aristocles apud eundem fatetur, festiue canens, *O fœcunda Ceres Siculas veneranda per oras, Cecropiosque agros, hoc ego præcipue miror in Hermione; quod magno robore Taurum, quemque viri possent vix domuisse decem, è grege eductum sola ante adducit ad aram sancta tibi mulier, qui puer vt sequitur: Hac tua vis Ceres est, tu nobis esto benigna, perque Hemione læta, beata fuat.* hactenus ille, mirum carminibus expressit. enimuero probabant antea victimam si vellet, annueretque sacrificijs, Myrtilus lib. 2. rerum Lesbicarum, *sacerdotes aquam infundere in aurem victimæ consueuerunt, vt illa annuat illis sacrificijs.* Seruius in 2. Aeneid. *erant istæ probationes, vtrum animal aptum esset sacrificio oblatum, etiam cultrum à fronte vsque ad caudam ante immolationem ducere consueuerant: & hoc est quod Virgilius ait, & Tempora ferro summa notant pecudum.*

65 Optimæ quippe hostiæ, quæ sponte ad aras iter aggressi coram sacrificulo, epopisque sistebant, Callimachus de ara carnei Apollinis à Cyrenensibus dicata,

Augustum hinc Tēplum tibi condidit, annua in vrbe
Sacra dicans, vbi multi INFLEXO POPLITE sacri
Ad tua procumbant extremum altaria TAVRI.
hæc ille, de Carniorum festo; Plutarchus symp. 8. q. 1.

Thar-

Thargelia Athenienſium Carniis occiniſſe tradit, eratque teſte Scepſio apud Athenæum, *imitamentum militaris vitæ, ac diſciplinæ apud Lacedæmonios*: vide Thucydidem lib. 5. & Euripidem in Alceſtide. ergo Tauri ſalutabant ſimulachrum Apollinis, ſicut hodie *in Templo Diui Dominici* apud Calabros ferociſſimi Taurorum Iconem cælitus emiſſam adorant.

69 Obſeruo Gentilium vanitates, & inſanias falſas, nonnulli hoſtiarum fremitu gaudentes omen præclariſſimum extollebant, alij ex illo peſſimum auſpicabantur omen: ſic Iones pulcre demum ſe litaſſe credebant ſi inter litandum bos mugitũ edidiſſet, obſeruatque Euſtathius, & Caſtellanus: Strabo etiam lib. 8. *exiſtimant feliciter litare, eo ſacrificio Iones, cum Taurus inter operandum mugit*: & huc reſpexiſſe putant Homerum Iliad. 11.

Efflans ille animam mugitum ſuſtulit altè,
Qualem mugitum trahitur cum Taurus ad aras
Cum Rex placandus fortè eſt Heliconius, edit.

rationem refert Euſtathius, *aiunt eos qui Neptuno Heliconio ſacrificant, demum putare, tum ſe perlitare, ſi Taurus immolandus altè mugiuerit, quaſi Neptunus voce delectetur*; E contra Silius lib. 5. belli pun.

Nec rauco Taurus ceſſauit flebile ad aras
Immugire ſono, preſſamque ad colla bipennem
Incerta ceruice ferens, altaria liquit. — & lib. 16.
Exilijt vinclis mugituque excita latè
Impleuit tecta, & fremitu ſuſpiria rauco —cõgeminat.

ex Virgilio qui l. 2. de Laocoontis clamore,

Quales mugitus, fugit cum ſaucius aras
Taurus, & incertam excuſſit ceruice ſecurim.

rationem ſuſpicor, reluctantem victimam à Dijs repulſam omnino pati, traditque Macrobius ſat. l. 3. c. 5. *quia inuito Deo offerri eam putabant. quæ autem ſtetiſſet oblatabanc volenti Numini dari exiſtimabant*. Virgilius,

Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum.

(:†:)





vide Dianam cum Ceruo, vtque è manibus pendeat

57 Sed coronidem vt imponamus huic capiti, examinandum restat, cui hanc probandi hostiam veteres prouinciam demandassent: apud Athenienses, Polluce auctore, *curator* victimarum eligebatur, qui Rex, adinstar sacrorum Regis apud Romanos nuncupabatur: insuper Demus lib. 1. Atthidis scribit, *Athenis fuisse tribum Coquorum, qui ob artem suam in honore essent, illosque hoc curasse, vt PLEBS RITE SACRIFICARET*. hæc ille penes Athenæum,& Athenion in Samothracibus originē tradit, ex eo quod cum olim homines suis carnibus mutuo vescerentur, Coquus quidam victimam cæsit, eamque hominibus gustandam dedit, & *viscera Dijs*. ideo Alexis *culinariam inter disciplinas liberales* enumerauit: & Heraclides, ac Glaucus Locrus præstantes tantum ingenio illam addiscere scripserunt: & ex Cleidemo Athenæus lib. 14. inquit, *venerandam esse Coquorum artem liquet ex Atheniensium præconibus, qui dum res diuina fieret in ordine coquorum, & victimariorum boues cædentium fuerunt*; hæc ille ex Poseidippo in Coalumnios, Menandro in adulatore, & Simonide, qui coquum dicentem sic aptat; *Ritus SACRIFICIORVM, ET CEREMONIAS coquis notas fuisse palam est ex Olympiadis ad Alexandrum epistola: qua mater*

mater illum hortatur, Coquum vt emat in *sacris faciundis exercitatum his verbis : Pelignam coquum missum à matre tu habe, scit ille omnia SACRA patria tua, quo modo peragantur, & pura, & dicastica, & bacchica, & alia prorsus omnia in quibus mater tua victimas immolat;* ò sacra coquo digna, ò ara culina nequior! sed excusemus, vel tandem Ethnicos; sacra illorum indigebant coquo, sacrificium en Apollonius in argonaut. l. 8. concinit, vt præ oculis ponat,

Tum bouis alterius percussit colla securi
Aerea ibi Ancæus, fortes, neruosque cecidit,
Prolapsus ceciditque ingens in cornua humi bos:
Hos socij iugulare citi his, & tergora costis
Diripere, & coxas, & cædere singula membra:
Hæc adipe, & tegere, & sacris imponere flammis
Æsonides, atque inde molas conspergere salsas.

vide qua cura, qua diligentia, imo, & labore, ac robore perficerentur sacra: recte Varro apud Macrobium lib. 3. c. 2. scripsit, *Aras primum ANSAS dictas, quod esset necessarium à sacrificantibus eas teneri*.

58 Sed fileant gentilium vpupæ, olor Dauidicus occinat, *afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios Arietum*. Genebrardus expendit, *afferte agnos ad sacrificia, victimas ex agnis*. at Agellius Episcopus *filios Dei*, nempe *Angelos, quibus gubernatio stellarum, & cælestium corporum credita est*, expuncto Eusebio, ad sacrificandum auocasse vatem significat. & recte, nam ab astris sacra peragente Abele, *Vituli caput* descendisse, testantur Rabinorum oracula, idque Angelorum ope indubitanter censeo; Abrahami similiter Aram Angelus *ariete* cælitus elapso ornauit; imo post mundi eluuiem Noè sacrificia peregit mundissimis ex ijs animalibus, quæ seruauerat Arca, quorum paucitatem Angeli forsan pecore mirabiliter seruato augere potuerunt: nec officit, si quis ex hebræorum arcanis credat AGNVM EMISSARIVM angelorum cura, victimam se pro gentium piaculis obtulisse: enimuero dum inquit de Christo Ioannes, *ECCE AGNVS DEI, ecce qui tollit peccata mundi*, concinit Christo per prophetam dicenti, *ecce ego mitto Angelũ meũ.* H 2 OM-

OMNIA QVAE SVNT ANIMALIVM, AB ANIMA vsque ad pellem Dijs dicata.

CAPVT SEXTVM.

59 Heologiam quam veteres profitebantur expendere, suadet vetus religio, eamque ex vetustissimis Marci Varronis, (quæ extant apud D. Augustinum) fragmentis tradere; enimuero in 1. antiquitatum rerum diuinarum, ad C Cæsarem Pontificem Maximum, inquit, *TRIA SVNT GENERA THEOLOGIAE, eorumque vnum Mythicon appellatur, alterum Physicon, tertium Ciuile: Mythicon appellant, quo maxime vtuntur Poetæ: Physicon quo Philosophi, Ciuile quo populi: primum quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem, & naturam immortalium ficta, in hoc enim est, vt Deus alius ex capite, alius ex fœmore, alius ex guttis sanguinis natus: in hoc vt Dij furati sint, vt adulterauerint, & seruierint homini; denique in hoc omnia Dijs attribuuntur, quæ non modo in hominem, sed in contemptissimum hominem cadere possunt. secundum genus est, quod demonstraui, de quo multos libros philosophi reliquerunt, in quibus est Dij qui sint, vbi sint, quod genus, quale, ex quonam tempore an sempiterno fuerint, an ex igne sint, vt credidit Heraclitus, an ex numeris vt Pythagoras, an ex atomis vt Epicurus. sic alia, quæ facilius intra parietes, in schola, quam extra in foro ferre possunt aures. Tertium genus est, quod in vrbibus ciues maxime sacerdotes nosse, atque administrare debent, in quo est, quos Deos publice colere, QVAE SACRA, & SACRIFICIA FACERE quemquam pars sit: prima Theologia maxime accommodota est ad Theatrũ, secunda ad Mundum, tertia ad Vrbem.* hactenus ille apud Augustinum l. 6. de ciu. Dei c. 5.

60 His recensitis, quæ in animalibus extant, Dijs sacra

cra fuiſſe faciliter demonſtro; nam vt à *Vita* incipiam, & *Anima*, hanc litaſſe Numinibus, tradit Trebatius lib. 1. de religionibus, dicens, *hoſtiarum genera eſſe duo, vnum in quo voluntas Dei per EXTA diſquiritur, alterum in quo ſola ANIMA DEO ſacratur: vnde & Aruſpices ANIMALES has hoſtias vocant*. hæc ille, & Macrobius ſat. l. 3. c. 5. ſubinfert, *vtrumque hoſtiarum genus Virgilius in carmine oſtendit, & primo quidem illum, quod voluntas Numinum per exta monſtratur. Aen. 4. —Mactat lectas de more bidentes. & mox —Pecudumque recluſis,*

Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

alterum illud in quo hoſtia animalis dicitur, quod EIVS TANTVM ANIMA SACRATVR, oſtendit, cum facit Entellum victorem Eryci mactare Taurum: nam vt expleret animalis hoſtiæ cauſas, ipſo vſus eſt nomine,

Hãc tibi Eryx meliorẽ ANIMAM pro morte daretis, & vt nuncupata vota ſignificaret ait, Perſoluo, quod de voto proprie dicitur, vtque oſtenderet perſolutum Dijs ſignificauit dicens,

Sternitur exanimiſque tremens procumbit humi bos. videndum etiam ne, & illam hoſtiam oſtendat animalem,

Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa

Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad horas,

Sãguine quærendi reditus, animaq. litãdũ —Argolica. nam, & ANIMAM, ideſt hoſtiæ nomen poſuit, & litare, quod ſignificat ſacrificio facto placare Numen. hæc omnia diligenter Macrobius, ex quibus *vitam* animalium Dijs dicatam nouimus, qua præſtantius nihil ſit.

61 Hoſtiam animalem dixiſſe arbitror, cum ſanguinis effuſione litabant ad aras: enimuero ex ſacris *animam in ſanguine* eſſe compertum eſt. traditque Iamblicus de ſacrificijs, Porphyrius, ac Euripidis Scholiaſtes. ſic animalem hoſtiam Oedipus apud Senecam, ſimul cum Tireſia facit,

—ſi foret viridis mihi,

Calidusque ſanguis, pectore excuterem Deum;

Adpellite aris candidum tergo Bouem,

Curuoque nunquam colla depreſſum iugo.

quod enarrat Macrobius l. c. *in hoſtijs animalibus vel cõ-*

ſul-

fultorijs, quadam sunt quæ HOSTIAE INIVGES vocātur, ideſt, quæ nunquam domitæ, ac iugo ſubditæ ſunt, harum quoque Virgilius meminit, Æneid. 6.

Nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes;
Et intacta totidem ceruice Iuueneas.

Ouidius lib. 6. faſt. occinit,

Cor pro corde precor, pro fibris ſumite fibras,
Hanc ANIMAM vobis pro meliore damus.

62 Et hæc de anima: transeo ad EXTA; & quia à bidentibus exta extrahebantur, *Bidentes*, quæ nam ſint expendo: Pomponius Attelanarum ſcriptor ait,

Mars tibi voueo facturum
Si vnquam redierit Bidenti Verre.

Virg. Æn. 8.

Centum lanigeras mactabat rite bidentes.

Nigidius in lib. de extis, *Bidentes appellari*, ait, *non oues ſolas, ſed omnes bimas hoſtias*, idque A. Gellius lib. 16. att. noct. c. 6. in commentarijs quibuſdam ad ius Pontificium pertinentibus ſcriptum inuenit; vbi ſic legitur, *Bidētes primo dictas litera immiſſa, quaſi BIENNES, tum longo vſu loquendi corruptam eſſe vocem, & ex bidennibus, bidentes factum, quoniam id videbatur eſſe dictu facilius*; ſed Hyginus Iulius in l. 4. ſcripſit appellari bidentes hoſtias, quæ per ætatem duos dentes altiores haberent: *quæ bidens eſt*, inquit, *hoſtia, oportet babeat dentes octo, ſed ex his duo cæteris altiores per quos appareat ex minori ætate in maiorem traſcendiſſe*; ergo hoſtia bima ex duobus comprobata dentibus offerebatur, eiuſque exta auſpicium indicabant, audi Plautum in Pænulo,

Nam ego hodie infelix Dis meis iratiſſimis
Sex agnos immolaui, nec potui tamen
Propitiam Venerem facere, vti eſſet mihi;
Quoniam litare nequeo, abij illinc illicò
Iratus, vetui exta proſecarier,
Neque ea aſpicere volui, quoniam illa non bona
Aruſpex dixit, Deam eſſe indignam credidi;

ad rem Ouidius in 6. faſt.

Ex-

Extaque de Porca cruda bimestre tenet.

63 Varie Aruspicem exta confecisse, scribit Arnobius l. 2. *cum Romulo, Pompilioque regnantibus, percocta plane, & madida, cremarentur Dijs exta, nonne Rege sub Tullo semicruda capistis, & leuiter animata porrigere prisca obseruatione contemta?* sed ad quid extispicium? Onosander in Strategico inquit, *meo quidem iudicio extispicina alio quodam contemplationis genere astrorum in cœlo motus ORTVS, OCCASVS, FIGVRARVM TRIQVETRAS, QVADRATAS, RECTILINEARES, siue ex diametro inclinationes, & conuersiones imitari, ac representare videtur;* hinc viuentium pecudum viscera stantium execabantur, vnde auctore Festo, extarum nomen venit, quia sic fata pluribus viuentibus adhuc visceribus ventura denuntiant. traditque Virgilius 12. Aeneid.

—Tum rite sacratas,
In flãmã iugulant pecudes, & viscera viuis —eripiũt.

& antea l. 4. *—Pecudumque reclusis*
Pectoribus inhians trepidantia consulit exta.

Tibullus ad Appollinem lib. 2. el. 5.

—Per te præsentit haruspex
Lubrica signauit cum Deus exta notis.

Ouidius l. 6. metamorphoseos,

—Magnosque instare tumultus
Fibra monet, cæsũq. caput reperitur in extis. —& l. 16.
Protinus ereptus viuenti corpore fibras
INSPICIVNT, mẽtẽque Deum scrutantur in illis.

sunt exta, sicut Plinio placuit, præcordia, quæ Dijs omnibus dicata exsecantur, torrentur, inspiciuntur, Seneca in Oedipo, Mantum trepidantem ostendit, extaque *Ominosa*, vt Ammianus loquitur, tristibus extis dira prænuntiat.

Genitor quid hoc est? non leui motu vt soleat,
Agitata trepidant exta, sed totas manus
Quatiunt, nouisque prosilit venis cruor.
COR marcet ægrum penitus, ac mersum latet,
Liuentque VENAE; magna pars FIBRIS abest,
Et FELLE nigro tabidum spumat iecur.

Ac semper omen vnico imperio graue,
En capita paribus bina consurgunt toris,
Sed vtrumque caesum tenuis abscondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negans.
Hostile valido robore insurgit LATVS,
Septemq. venas tendit, has omnes retro
Prohibens reuerti limes obliquus secat.
Mutatus ordo est, sede nil propria iacet,
Sed acta retro cuncta: non ANIMÆ capax
In parte dextra PVLMO sanguineus iacet:
Non laua cordis regio: non molli ambitu
Omenta pingues viscerum obtendunt sinus;
Natura versa est, NVLLA LEX VTERO MANET.

64 Hæc de Extis; addo pinguedinem animalium ad aras, vt flammarum nitore ipsa sicrificantibus læta designet, noui ex lib. Pontif. *larda* grata Dijs, & ex Ouidio in sexto fast. de *Carna Dea*,

Pinguia cur illis gustentur larda kalendis
Mixtaque cum calido sit faba, farre, rogas?
Prisca Dea est, aliturque cibis, quibus ante solebat,
Nec petit adscitas luxuriosa dapes.
Sus erat in pratio, casa sue festa colebant,
Terra fabas tantum, duraque farra dabat.
Quæ duo mixta simul, sextis quicunque Kalendis
Ederit, huic lædi viscera posse negant.

causam reddit Macrobius in 1. sat. *Hanc Deam vitalibus humanis praesse credunt, ab ea denique petitur, vt Iecinora, & corda, quaque sunt intrinsecus viscera salua conseruet*; Virgilius l. 6. Aen,

Et solida imponit taurorum viscera flammis
PINGVE, superque oleum fundens ardentibus extis.

MEMBRA OMNIA infrustra concisa offerebantur, quod Dionysius Alycarnassæus l. 7. antiq. Rom. tradit, *Consules sacerdotesque, quibus fas erat lotis manibus, & lustratis aqua pura victimis, molaque conspersis earum capitibus, votisque nuncupatis, ministros eas mactare iubebant, quorum alij stantem, tum etiam hostiam vecte feriebant in tempore, alij cadentem cultris excipiebant, mox* di-

direpto tergore, CONCIDEBANT MEMBRATIM, delibatasque ex singulis extis, aliisque membris primitias fare obuolutas in canistris offerebant sacrificantibus, qui aris impositis succendebant, & vinum insuper infundebãt: quae singula in sacrificiis graecorum factitari solita apud Homerum licet videre. haec ille, cuius verba obseruo, *lotis manibus*; Hesiodus,

Nunquam viuam Ioui, superisue rubentia libes
Ante MANVS fluuii, quam pura laueris unda.

lustratis aqua pura victimis: audi Virgilium l. 2. Georg.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima Taurus
Victima, saepe tuo perfusi FLVMINE SACRO
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.

locum expendit Seruius ex Plinio, qui Clitumnum fluuium in Moeuania dicit, cuius potu albos foetus pecudes generãt: *molaque consperfis*. Festus, *immolare, est mola, idest farre molito, & sale hostiam persperfam sacrare*. adde vota, de quibus Plinius, Dio, Xiphilinus, & Plutarchus.

65 Postquam interiora dedimus, ad ea quae videmus extrinseca sermo se confert; & SETAS à fronte euulsas inter libamina primas decantat Virg. l. 6.

Frontique inuergit vina sacerdos,
Et summas carpens media inter cornua SETAS
Ignibus imponit sacris libamina prima
Voce vocans Hecaten, caeloque, Hereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque CRVOREM
Suscipiunt pateris, ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum, magnaeque sorori
Ense ferit sterilemque tibi Proserpina vaccam.

en cruor, & setae: & morem ex Homero obseruat Vrsinus Odys. 3. *supplicauit incipiens ex capite pilos in ignem iaciens*; nam solebant capita victimatum muneribus implere, scilicet farre, mola, floribus. Ouidius lib. 7. metam.

Muneribusque Deos implet, feriuntque securi
Colla torosa Boum vinctorum cornua vittis.

& sacrificium, vel libamina ab illis in ara impositis initiabantur. monetque Eustathius, & antea Statius Theb. 4.

66 Deus deorum dominus etiã CAPRARVM PILOS,

& PELLES ARIETVM ſibi offerri iuſſit, Exod. 25. 4. *hæc ſunt quæ accipere debetis aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, PILOS caprarum, & PELLES arietum rubricatas, pelleſque hiantinas, & ligna ſetim*. Arias, & Caietanus, *camelotas* ex caprarum pilis fuiſſe elaboratas, imbribus ferendis accommodas; Lyranus vero ſic expendit, *pilos caprarum, de quibus facta ſunt ſaga: de pellibus arietis dicit Ioſephus, quod lana pellium erat tincta rubeo colore: R. Salomon dicit, quod frunitæ (gallicè Tanneis) dictæ ex hoc quod erant rubeæ; pelleſque Ianthi, ideſt tali colore tinctas, ſecundum Ioſephum: in hebræo habetur, Pelleſq; taxorum; vt dicit R. Salomon, & ſunt animalia habentia pelles varias multis coloribus, & de pellibus dictis factum fuit tabernaculum*. hebræi putant Taxum eſſe *Melim*, animal apud Siculos notum, Dauid Kimhi exponit, *animal diuerſorum colorum*, vnde Onchelus vertit *Saſgona*, quod *gaudeat coloribus*; firmatq. Abraham Ezra in Exod. 25. & Rab. Salomon in Ezech. 16. *Teſſon*, ideſt, *Taſſum* interpretatur: Aquila, & Symmachus *Ianthinon*, Theodotio *Ianthina*: Lxx. & Hieronymus *Iacynthum* habent, cæterum vide Munſterum, Geſnerum, & Scaligerum, qui ex Ariſtotele aduerſus inſciolos animal hoc vindicat, & quia cunctis haud cognitum, operæ prætium facturum me arbitror ſi illud inſpiciendum curauero.



Ita-

67 Itaque *Pilos* victimarum in sacris vidimus, simulque LANAM: & quia dœmon Deum æmulari contendit, & ipse in Orgijs *lanam* sibi dicatam voluit, vnde inter arcana Eleusinorum, Clemens Alexandrinus *lanam bene elaboratam* enumerat; adde, in pompa Osiridis *Phallus* ducebatur ab Iside eius coniuge primum erectus, vti Plutarchus tradit, Phallumque, siue *statuam cubitalem* totam laneam extollebant, ac pudendo monstruosissimo circum ferebant in Bacchi honorem inquit Lucianus *de Dea Syria*, Herodotus lib. 2. & Plutarchus, qui Osiridem, & Bacchum cōfundit. omitto vittarum in sacris pompam, de qua *in nostro Romulo*, & denuo, *in Numa* diximus.

68 Miraculū de ara ex cornibus dextris caprarū occinit Callimachus in Apollinis hymno, vbi ex cornibus Cynthiadum Caprearum, quas soror Diana, Castellano teste, in venatu occiderat. eamque *ARAM CORNVTAM* dixerunt. audi Plutarchum de solert. anim. *Tale quid in Delo, & Phœbi me cernere templo memini, nempe aram cornutam qua inter septem mundi miracula celebratur, quod neque glutine vllo, neque alijs vinculis cohærens, ē solis DEXTRIS CORNIBVS compacta est*. idem in Theseo, ne partem aliam excluderet inquit, *saltauit circum Aram Ceratonem, quæ ex cornibus erat omnibus sinistris compacta*. Ouidius in epist. Cydippes ad Acontium,

Miror, & innumeris structam de cornibus aram.

Martialis festiue, vt assolet,

Dissimuletque Deum cornibus ara frequens:

Callimachus in hymn. Apollinis,

—Quartum vix phœbus agebat
Annum cum Ortygia in pulchra fundamina prima
Iecit, firmauitque lacus circumflui ad oram:
Vt capita assidue caprearum multa ferebat
Cynthia Venatrix arambis texebat Apollo.
Cornea sternebat fundamina, cornibus ara
Surgebat, cornu murum quoque duxit in orbem.

cæterum vide Callimachi Scholiasten, Castellanum, & Herodotum lib. 4. vbi Apollinis hanc aram inter orbis miracula recēset: sicut Pausanias in Atticis eius sacra depromit.

69 Itaq; quia Apollinis arã ex caprarum dextris, læuisque cornibus quamplures demonstrarunt; ansam hinc desumere ad nouum expensionis genus libeat, & apud sacra hebræorum, dum legimus Exod. 29. 12. *pones super cornua altaris*: & alibi sæpissime, denominationem ex cornibus victimarum, quas prope aram cædebant sumpsisse altare assentior. enimuero nequaquam denominari potest *à curuore*, quod cornibus dat nomen, apud Varronem l 6. *cornua à curuore dicta, quod pleraque curuamus*: ac Nœuius inter sua carmina occinit, *cornuat aurum*; idest flectit, incuruatque; nam extensum altare R. Salomon, cæterique describunt ergo sicut in scripturis frequens est vsus *pro Tuba, Vasculo olei*, &c. quia è cornu fiebant; sic *cornu altaris* à victimarum cornibus, quæ prope seruabantur indubitanter fuit dictum. nec erit præter institutum locum psalmi 117. expendere, *constituite diem solemnem in condensis, vsque ad cornu altaris*. Hieronymus *vsque ad cornua* legit, & locum Genebrardus sic facit, *colligunt aliqui sacerdotem ipsam victimam in atrium adductam primum alligasse ad cornu altaris, deinde solutam in atrij certa parte mactasse: erant autem altaris cornua proprie non altaris anguli, sed quedam capitella in modum cornuum in altum porrecta in ipsius altaris angulis, ex ipsius met materia altaris proiecta, siue ad decorem, siue ad ministeria: nam sacerdos precans, illis innitebatur, vel manus super illa extendebat, aliquando etiam sanguine victimarum inungebat, purificabatque, vt indicatur in Exodo 30*. hactenus ille. sed non ad rem; obiter hæc refert ex antiquorũ penu, enimuero aliorũ hęc fuisse oracula scribit: Cyrillus Alexandrinus 3. in Leuit. hanc vulgasse videtur sententiam, dum *per quatuor cornua, quatuor euangelistas* indigitat. tandem Villalpandus t. 2. in Ezec. p. 2. *quatuor taurorum cornua* ò quatuor angulis Salomonici altaris sursum erecta altitudine cubiti vnius ab ipso tauri capite oborta describit: & quia indecens forsan existimauit Tauros ad altare cælasse, Cherubinum cum tauri capite omni in angulo effinxit; sed cornua vnius cubiti, non *caput Vituli*, quod in Cherubino propheta demonstrat, sed

neque

neque apis Ægyptiorum Numinis sic apprime caput grauarent : inter hæc sapientum commentaria velitationibus deprompta, si lubet meum appone sensum, præcipue quia victimæ ad aras, non extra cæsisse hebræos compertum habes; tandem acceptasse Deum sacrificia, oblationes, & *holocausta* canit propheta. holocaustum vero sacrificium erat quod detractis extis totũ cremabatur. apud Isidorum *crematium*, sicut lxx. *holocaustoma*, quod totũ comburebatur; adinstar illius iusti Abel inquit R. Salomon. felix animal dignum Deo, ad magni altare Numinis cernuus maiestatem adoro, cui silentium laus.

NVM QVID DE BOBVS CVRA EST DEO?

Paulus ad Corinth. 9. v. 9.

CAPVT SEPTIMVM.

70 

Aximum prouidentiæ numen preclarissimo Angelorum ministerio innotuit hominibus diu in arca occlusis. idque Paulus diuinitate prænstans euulgat, dum Corinthios monet curare pecudum cõditor rerum genus. nec immerito Pythagoras, Timæus, Apollonius, Porphyrius cæterique illum secuti, ab *animalium cæde* homines pluribus conati sunt auertere; *Quoniam mea,* inquit, *sunt feræ siluarum iumenta in montibus, ac boues.* & antiquissimi scriptores exemplis id enarrare non desinunt, enimuero, ex Hecatæo Ælianus l. 11. h. a. c. 11. inquit, *in Curidio magna Ceruorum copia est; de quibus capiendis venatores spem non habent. hi cum in Lucum, qui ingens illic Apollini sacer est confugerint, latrant quidem canes, sed proprius accedere non audent, cerui vero quieti, & sui custodiam DEI CVRAE futuram infallibili quadam vi certo persuasi pascuis sine metu libere fruuntur*; hactenus ille, & c. 6. inquit, *in Arcadia locus est Aula nomine, in*

eo Delubrum, ad id quaecunque animantia confugerint Deus veluti supplices miseratus suscipit, & incolumen earum vitam tuetur, itaque Lupi etiamsi qua animalia eousque forte fuerint persecuti intrare non audent, & solo loci in quem illi confugerunt aspectu territi recedunt: ita enim animalibus loci religio mira, & peculiaris est salutis causa; de Templo, & Pane, Virgilius, Propertius, & Ouidius in fastis,

Pana Deum veteres pecudis coluisse feruntur
Arcades, Arcadijs plurimus ille iugis.

pastor namque Deus ille pascua, & pecus curabat, vti Theocritus canit, & Silius lib. 13. de Panis reditu,

Arcadia volucris saltus, & amata reuisit
Mœnala vbi argutis longe de vertice sacro
Dulce sonat calamis, ducit stabula omnia cantu.

Pausanias in Arcadicis Templum, & Lucum, & Hippodromum, ac stadium fuisse eius dicata nomini scribit; verum vide Macrobium, & Proclum ad illud Georg. Virg. *Pan ouium custos*.

71. Sic Deo cura est de bobus. accinitque vates, *animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi Deus*. psal. 67. Agellius Episcopus, *animalia castra Dei nuncupat*, nam, *Haiathecha* animalia dicta sunt ad differentiam belluarum ferarum, quae in hebraeo dicuntur *Haia Ragha*: à Lxx. ζῶα perinde, atque ζῶντα *viuentia*: Pagninus, Genebrardus, Vatablus, Caietanus, ac Clarius vertunt, *armentum, fera, peculium*; Arias poetice expendit, *tibi grex illic tibi accubat*, & oraculum respicit illud psalmi 35. 8. homines, *& iumenta saluabis domine*, sicut in arca vidimus, causamque Deus ipse perhibet, psal. 77. 10. *quoniam mea sunt omnes ferae siluarum, iumenta in montibus, & boues*; sicque sensum literae vsque modo haud quispiam reserauit, nam Theodoretus per animalia *apostolos* intellexit, Glossa Int. *gentiles ad fidem conuersos*, Agellius *angelos*, Genebrardus *electos*, Dei oues, quarum est pastor: alij *euangelistas* expendunt, quos Ezechiel *per quatuor animalia* designat, ostenditque Ioãnes in Apocalypsi; sed figurate omnes loquuntur, & meta-

ta-

taphorice; sensus ingenuus respicit greges ouium, quas populus Ægyptum deserens minabat; sicut ex contextu euidenter colligitur; tunc enim Deus pauit populum suum manna, & animalia sua, videns per desertum herbarum inopia velut tabe confecta, parauit in dulcedine pietatis suæ pascua gregi: & sensum sic facit vates, dum occinit, *deduxisti SICVT oues populum tuum in manu Moysi, & Aaron*. psal. 76. alibi, *posuit sicut oues familias*; ex Festo, Paulo, Isidoro, ac Varrone Martinius inquit, *SICVT, denotat primo similitudinem, & specialiter analogiam: secundo paritatem, adeoque identitatem*. audis hæc? non male sensum, & si tandem expensum dedi; ergo *Deo cura est de bobus*, quia educens populum suum à captiuitate Deus, simulque greges ouium, parauit hominibus manna, & coturnices, gregibus ouium recentes herbas, vti Rabbini docent.

72 Quid si dæmon adinstar Dei, animalium, & ipse curam gerat? ex figmentis monumenta colliges; Aelianus namque l. 7. c. 2. h. a. inquit, *sub pedibus Atlantis montis, quem & Poetæ, & alij scriptores celebrant, pascua sunt præstantissima, & maxime syluæ, eæque perquam densæ, & opacæ, ad has elephantos iam prouecta ætate, & membris graues peruenire aiunt: natura eos tanquam in colonia ducente, vbi veluti in portu quodam exoptato reliquũ suæ vitæ tranquillius exigant. scaturit eis etiam FONS dulcis, & pura aquæ copiosus, ipsique SACRI habentur, ac liberi dimittuntur, & tanquam SYLVANIS, NAPEISQ; in eo tractu DIIS cura sunt*; hactenus ille, & Numina inter syluarum condensa elephantos seruare scribit: loci diuinitatem post Regem Mauritaniæ Iubam, Plinius l. 5. c. 1. sic prodit, ipsumque Atlantem *opacum nemorosumque, & scatebris fontium riguum, qua spectat Aphricam, fructibus omnium generum sponte, ita subnascentibus, vt nunquam satietas voluptatibus desit; incolarum neminem interdiu cerni, silere omnia haud alio, quam solitudinum horrore; subire tacitam religionem animos proprius accedentium, eumdemque noctibus micare crebris ignibus AEGIPANVM, SATYRORVMQ;*

la-

lasciuia impleri, tibiarum, ac fistulæ CANTV, tympanorumque, ac cymbalorum sonitu strepere. vsque modo Plinius, & Mela lib. 3. ac Solinus id ipsum referunt, vnde habes gentilium Numina, quæ pecudes curent.

73 Addit Aelianus *nullus illic barbarorum venando eis insidiatur: de iisdem hac fama increbuit, Regem quendam ex indigenis propter dentium, siue cornuum formam, & magnitudinem, vt re tam preciosa potiretur occidere voluisse, (hac enim in his belluis arma propter longi temporis æuum prægrandia esse) itaque lectos venatores trecentos in sacrum hunc gregem immisit, qui cum armati ad locum, quam celerrime accederent omnes REPENTINA PESTE prostrati, uno tantum excepto perierunt, unus ille reuersus miserabilem casum Regi exposuit, atque hinc quam CHARI DIIS sint Elephantes compertum est*: hæc ille ex Plinio, qui in fine capitis ex Iuba Ptolomæi Regis patre asserit; *saltus refertos elephantorum*.

74 Ex hac cura colligo sacrum Dei morem erga stabula, dum iusto perempto Abele, qui pastoritiam exercebat; R. Kimhi ait, Deum pauisse pro eo oues; nec semel ostendi, Mosis Deum minasse oues, postquam è rubo ipsum auocans Pharaoni misit, idque ne absente pastore disperderentur oues. sed ad quid hæc? Verbum caro factum reclinauit mater sua in presepio, vt animalium loca occupans, Rex, & pastor crederetur. deinde Atlantem sub Numinũ tutela conspicuum, parum differre à Monte Gargano arbitror. enimuero ibi Angelorum ope pecudes Michaeli dicatas à venatoribus vidicatas historiæ perhibent. sic Sigebertus in chron. refert sub Gelasio Pontif. an. 488. (licet nonnulli an. 536. factum referant) Taurum Michael à percutiente seruauit immunem, vt sagitta citra pecudis sanguinem, sagittarium portento repeteret: locus deinde tãta veneratione excelluit, vt D. Romualdus Othonem Imperatorem ad se expiandum ad montis delubrum mitteret, tanquam ad montem Dei Iacob. imo S. Autberto Episcopo curante in Gallijs, an. 709. ob simile apparitionis miraculum; D. Michaeli quique pientissimi erexerunt arã. & denuò apud Byzantium aliud Anelorum principi Templum,

plum, *Sosthenium* nuncupatum dicarunt, de quo Sozomenus, Nicephorus, Cedrenus, ac Baronius, quem vide.

75 Itaque quanti olim Numina animalia facerent, ex Homero, Euripide, & Apollonio prodit Suidas, vbi ait, in Brauronijs sacratæ fœminæ Dianæ festum peragunt, Crocotam indutæ, neque decimo ætatis anno grandiores, neque quinto minores. *Quippe VRSAM aiunt ita mansuefactam, vt in populo Phlauidarum versaretur familiariter, & hominibus compasceretur, virginem vero quandam cum illa lasciuiuscule lusisse, qua irritata puellam discerpsit, quo facto fratres eius exacerbatos Vrsam iaculis confecisse, ex qua causa pestilentem morbum Atheniensibus incubuisse, quibus oraculum consulentibus respondit Deus finem mali futurum, si virginum nonnullas compellerent in VRSAE PEREMTAE honorem, Dianæ consecrari, & decreto sanxerunt Athenienses, ne qua viro puella cohabitaret, nisi quæ prius Deæ consecrata fuisset.* agnosce factum, ac pende, Vrsa puellam interfecerat, & ob innatam Vrsæ feritatem belluæ peperpicit Numen, mœrentes vero fratres pestilenti lue ad exitium compulit ob vrsæ necem; ac pro vna vrsa Atheniēses omnes perdere festinabat: nec alio potuere supplices religionis censu indulgentiam obtinere, quam vrsæ simulachro Deæ in Brauronijs dicato; sicut Pollux, & Harpocration ex Euripidis Hysiphile, & Aristophanis Lemnia, atque Lysistrata docent. de Brauronijs Hesychius, *Brauronijs Iliada Rhapsodi cantabant in Braurone atticæ pago, & Brauronia, festum Dianæ Brauroniæ aguntur, & sacrificatur capra:* Pausanias in atticis, Dianæ simulachrum Iphigeniam Agamemnonis filiam è Tauris fugientem exportasse tradit, Brauronemque deinde Atticæ vicum Dianam dilexisse præcunctis, scribit Suidas, & apud Athenæum lib. 6. Diphilus inclamat,

O diua tutelaris, quæ tenes
Brauronis sacri Deo gratissimum locum,
Latonæ, Iouisque potens arcu Virgo.

& Iphigeniam, si illud adduxisse credis, apud Homerum, Hyginum, & Euripidem ob cæsam Dianæ Ceruam classes

Regum vt compulsas, ac ventorum turbinibus, marique obortas habes.

76 Tandem, si Augustino debetur fides, hæc Dæmon ostentabat, vulgus in errorem ducens, vt crederet se Deum curare pecudes. sed exurgat Deus, & dissipentur inimici eius; *Deo vero, & viuo cura est de bobus*; facinus asinæ Dei ope loquentis in Balaamum exhibeo. enimuero Deus prophetam noctu exterrefactum commonefecerat, ne populum Dei benedictione munitum maledictis irrumperet, at ille spe lucri, vti Abulensis, & Philo de vita Mosis scribunt, abstractus, & illectus, tentatus à concupiscentia sua, *surrexit mane, & strata Asina sua profectus est*, Num. 22. 21. Asinæ insedit prophetarum secutus morem ait Tostatus, vel potius gentilium, qui tunc super asinos bella gerebant, vti Herodotus l. 4. scribit Persas in asinis Scytarum vicisse copias; vel quia ad Euphratem reperiantur validissimi asini, Xenophonte auctore in 1. cyrop. qui cursu præcellant equos, vel quia ruditu equos terreant, sicut Germanicus in Aratum monet. itaque Balaam conuersus est in die belli, & pergens asinam percutiebat: quid faceret infelix iumentum? inter macerias, ait Philo, suos, sessorisque pedes perfregit; tandem videns Angelum, (quem Abulensis Michaelem existimat, nec Apollinarius, ac Procopius improbant; siue potius Angelum asininæ speciei custodem si Eusebio, ac Origeni fides;) *concidit sub pedibus sedentis, qui iratus vehementius cædebat fuste latera eius*. vidit dominus, & ira accensus est in Balaam, *aperuitque OS asinæ, & LOCVTA EST; quid feci tibi? cur percutis me ecce iam tertio?* hæc pro se asina, & pro asina Angelus, *cur tertio verberas asinam tuam? ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihique contraria*; ad quid os asinæ aperuit? forsan vt cum Tauro Theocriti, vel columba Dodonei, vel Xantho Achillis equo ipsam referret? de equo Homerus in Iliad. 19. inquit *vocalem illum fecisse Iunonem*; & Oppianus in Cynig.

Equus in pugna fregit aliquando vincula silentij,
Et naturæ leges superauit, & accepit VOCEM
HVMANAM, & linguam similem hominibus.

cur

cur tanta miracula in vno facinore insunt ? imo Angelus cur continuo hominis impietatem non increpat ? quare asinæ curam de more gerit ? recte Oleaster , *prius arguit eum de impietate erga animal subiugale , quam quod animam damnatam haberet in via qua ibat* ; vide , & agnosce Dei curam erga animalia , imo pietatem , & iustitiam, nam Strabus in Glossa ex Gregorio inquit , *Magus dæmones videt , asina Angelum , non quod sit digna videre , sicut nec loqui , sed vt confutetur Balaam, vnde mutum animal arguit prophetæ dementiam* . ac si diceret , dum brutescit homo peccando, bruta quæ faciunt voluntatem Dei hominum vices occupant , & indigna animalia extolluntur ad humanitatis fastigium ; sed ad rem . *Magus , & Ariolus* erat Balaam ait Lyranus ; cum brutis auctore R. Salomone , loquebatur dæmonum ope respondentibus , sicut de asino Ammonij Suidas tradit ; nihilominus Angelus ipsum de magia non arguit , sed de impietate erga asinam , vt scias *Deo curam esse de bobus* ; adde R. Salomonem, apud Abulensem , asserentem hanc asinam esse , de qua Zacharias c. 9. vaticinatus est , eamque portaturam Messiam . sed licet non eadem numero , eiusmodi pietatis specimen illam prætulisse ab apostolis adductam Christo , vt Hierusalem triumphans ingrederetur , assentior.

177 Maiora Marcus enarrat c. 1. *erat in deserto Christus quadraginta diebus , & quadraginta noctibus, & tentabatur à Sathana , eratque cum BESTIIS ; & Angeli ministrabant illi* ; germanus literæ sensus est , die VI. Ianuarij , vt inquit Epiphanius , ac Eusebius , qua baptizatus fuit , in desertum ductus est à spiritu , vt tentaretur à diabolo : distat Ieiunij locus à fluuij sinu in quo baptizatus fuit , milliariaribus fere IV. sicut D. Bonauentura de vita Ch. c. 16. scribit ; *Mons ibi altus nimis , & ascensu difficilis ; sub iactu duorum arcuum oritur Fons Elisæi* . auctore Borchardo , nuncupatur vsque modo *Quarantana* , aitque Adricomius , *Quarantana desertum est inter Hierusalem , & Hierico , incipit ab Anathot , & extenditur vsque ad desertum Thecuæ, & Engaddi iuxta mare mortuum* . ibi Iacob , teste Diuo Vincentio , vidit scalam , &

Angelos aſcendentes;ibi homo ille deſcēdes ab Hieruſalem in Hierico incidit in latrones ait Petrus Pictauienſis: ibi Eliſæus ſanauit aquas vaſculo, ac ſale immiſſo, vt obſeruat Borchardus p. 1. c. 7. v. 28. & magna olim prophetarum religio locum recoluit: ergo Chriſtus S. Spiritus oleo plenus, adinſtar Noè poſt acceptam columbam ſe ipſum Deo patri ſacrificium vt offerret montem aſcendit, *eratque cum beſtijs*. Euſebius l. 9. d. e. c. 7. per *beſtias*, *dæmones* intellexit, quos vates *Aſpidem*, *&* *Baſiliſcum*, *Leonem*, *Dragonemque* nuncupat; ſed Strabus, Beda, Euthymius, ac Theophilactus vere cum eremi feris fuiſſe teſtantur. & ratio exigit loci cum brutis commorationem habuiſſe, quia omni hominum veſtigio, teſte Chryſoſtomo, carebat. nec contextus aliter eſt intelligendus vbi litera patet; ſic inquit Euangeliſta, Chriſtus vt iugiter oraret *erat cum beſtijs*. ſicut Adam in Paradiſo animantibus nomina impoſuit, & vt Deum obſecraret cum beſtijs commorabatur. *beſtiarum vocabulo proprie*, inquit Iſidorus, *conuenit*, *Leonibus*, *Tigribus*, *Pardis*, *Vulpibus*, *Canibuſque*, *&* *Simijs*, *ac cæteris quæ vel ore*, *vel vnguibus ſæuiunt*, *exceptis ſerpentibus*: *beſtia autem dicta à vi*, *qua ſæuiunt*: hæc ille, nec male etymum quis poſſet educere *à Beſſis Thraciæ* populis, quos V. Flaccus in 2. arg. *immanes* vocat, vtpotè, *prædones tuguria incolentes*, *vitamque degentes duram*. ſicut Strabo lib. 7. tradit, ſed iſti ab illis, & illæ ab iſtis ob truculentam beſtiarum ſæuitiam nomen mereri ab antiquis potuerunt: ſed quid Ieſus cum beſtijs? attende Nicolai Monachi ſenſa, Manichæorum praua æmulantium ſecta, quæ dæmonum ſolertiam beſtiarum ſecla, gregeſque curare, aliquando aſſerere non dubitabit, ideo curam beſtiarum ſuſcipit, cum illis commoratur; vti Iſaias vaticinabatur; ex quo Gentiles Orpheum in ſyluis ſomniarunt, qui animalia traheret, diriperetque orcum; traxhit etenim beſtias Chriſtus, traxhit & impios in quibus non erat intellectus, ac inferos expoliauit Lazarum, cæteroſque mortuos denuo auocans. ſicque *Deo cura eſt de bobus*. & Niniuitis pepercit ob iumenta Ion. c. 4. v. 11.

SACRIFICIORVM, AC LIBAMINVM PARTES ex partibus animalium.

CAPVT OCTAVVM.

78 
Entilium religio, non semel aucta dœmonum ope, ex animalibus superstitiosissima quæque selegit, oblationesque suas impietate peregit. idque Athenagoras, Minutius felix, simulque Tertullianus inclamat, sed aduersus gentes etiam Arnobius sapiens auctor rē fere omnem absoluit, enimuero enarrat omnia quæ in sacris litabant, ideoque ipsum auoco, vt expendam; *Esto; concedatur infelicissimas pecudes non sine aliquo religionis officio diuorum apud templa mactari, & quod ex vsu consuetudinis factum est, rationis alicuius causam aliquam continere: sed si magnificum videtur, atque amplum iugulare Dijs TAVROS, si illibata, si solida cremari animantium VISCERA, quid sibi reliqua hac volunt Magorum coharentia disciplinis, que in sacrorum reconditis legibus pontificalia restituere mysteria, & rebus inseruere diuinis? quid inquam sibi hac volunt? APEXABO, ISICIA, SILICERNIA, LONGAVO? quę sunt nomina, & farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus? quid TÆDÆ, quid NAENIAE, quid OFFÆ? non vulgi sed quibus est nomen, appellatioque PENITAE, ex quibus quod primum est, in exiguas aruina est miculas, at ilia minutim insecta de more: quod in secundo situm est, intestini est porrectio, per quam proluuies editur succis peresiccata vitalibus: offa autem penita est cum particula visceris cauda pecoris amputata: quid POLIMINA? quid OMENTA? quid PALASEA? siue (vt quidam cognominant) Plasea? ex quibus est nomen omenti pars quædam, quo receptacula ventrium circumretita finiuntur. bouis cauda est plasea fili-gine,*

gine, & sanguine delibuta: Polimina porro sunt ea, quæ nos proles verecundius dicimus, à vulgaribus autem assolent cognonime testium nuncapari; quid FRITILLA, quid FRUMEN, quid africia, quid gratilla, catumeum, conspolium, cubula? ex quibus duo quæ prima sunt pultium nomina, sed genere, & qualitate diuersa; series vero quæ sequitur librorum significantias continet, & ipsis enim non est vna, eademque formatio: non enim placet CARNEM STREBULAM nominare, quæ Taurorum è conxendicibus demitur: pulpamenta non assa, quæ in verubus exta sunt animata prius, & torrefacta carbonibus, non salsamina denique sunt vna commixtio quadrimis copulata, de frugibus: non similiter FENDICAS (quæ, & ipsæ sunt diræ,) quas plebis oratio illa solet cum eloquitur nuncupare: non ratione eadem erumnas, quæ sunt prima in Gurgulionibus capita, quæ deijcere cibos, & referre natura est ruminatoribus seculis; non Magmenta, non Augmina, non mille species velamen sanguinum, vel fritillarum, quibus nomina indidistis obscura, vulgoque vt essent augustiora fecistis, hactenus ille lib. 7.

79 Huius viri eruditissimam dissertationem antiquorũ oraculorum face illustrare religionis suadet ratio; & quia *infelicissimas pecudes* ab initio compatitur, sacrificandi antiquiores ritus, causamque recenseo ex Porphyrio, qui lib. 1. de sacrificijs, quem Marsilius vertit, inquit, *primi sacrificatores non ANIMALIA, sed herbas primum, floresque, deinde arbores sacrificarunt, atque aromata subfumigarunt: primi qui animalibus vesci cæperunt, penuria frugum animalia inuaserunt, prius enim terræ frugibus vescebantur: tribus de causis Dijs sacrificandum est, vt veneremur, vt gratiam referamus, vt necessaria ab ipsis petamus, malaque propelamus: ad hæc autem impetranda votum animi satisfacit, cui addi possunt ex frugibus munuscula quædam: ANIMALIA vero mactare nephas est*. hæc ille ex Pythagora, & Archita Tarentino, enimuero Pythagorici animata nequaquam litabant, sed thure, & farre, floribusque numina nuncupabant. sicut ex carminibus Empedoclis patet; sed alia Magorum secta animalia

impie

impie ad aras ducebat, tanto victimarum horrore, vt expauescerent. sic v. idus Ianuarias Agonalia Romæ erant, iterumque XII. Kalendas Iunias, à Numa Pompilio originem duxisse vti Antias Valerius apud Macrobium scribit, etymon vero Ouidius in I. fastorum sic facit,

Pars quia non veniant pecudes sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem:
Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum
Vna sit vt proprio littera dempta loco.
An quia præuisos in aqua TIMET HOSTIA cultros,
Et pecoris lux est ipsa notata metu?
Fas etiam fieri solitis ætate priorum
Nomina de ludis græca tulisse diem.
Et prius antiquus dicebat AGONIA sermo:
Veraque iudicio est vltima caussa meo.

itaque siue Cain primus Idololatra, victimas quas vero Deo vouerat ob inuidiam, ac iracundiam in fratrem inferis litauit, vel Nemrod ignis cultor hostias cæsit, inde consuetudine temporum ætas sanxit bidentes ad aras, vti Eusebius, & Theodoretus ex Orpheo, ac libris pontif. enarrant: ante diluuium Enoc Idololatras redarguisse eius scripta apud Tertullianum testantur, post vero orbis eluuiem filij Cham aduersus Deum gerentes bellum venabantur, ferasque orco dicabant: sed quia nescierunt, neque intellexerunt in tenebris ambulantes deliramenta somniantium sacris prætulerunt, inde thura, & sacrorum pompa, quam Publius in fast. l. I. promit,

Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
FAR erat, & puri lucida MICA SALIS.
Non dum pertulerat lacrymatas cortice myrras
Acta per æquoreas hospita nauis aquas:
Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.

80 Sequitur, *quid sibi hæc volunt, Apexabo, Isicia, Silicernia, Longauo?* sic incipit, & sacrorum arcana prodit, de Apexabone Varro l. 4. l. l. differit, ac etymon tradit, *à Fartura, Farcimina in extis appellata, à quo, quod in eo tenuissimum intestinum Fartum, Hila ab Hilo dic-*

ta,

ta, idest minimo quod ait Ennius, neque dispendei facit hilum: quod in hoc farcimine summo quiddam eminet, ab eo, quod vt in capite apex apexabo dicta: tertium fartum est Longabo quod longius quam duo Hila: agumentum quod ex immolata hostia defectum in iecore imponendo agendei caussa: Magmentum à magis, quod ad religionem magis pertinet: itaque propter hoc montana fana constituta loceis certeis, quo id imponeretur mata. hæc Varro, & farcimina iuxta antiquitatis monumenta exposuit; & ex Horatio Grapaldus lib. 1. inquit, *inter farcimina numerantur Longanones, & sanguiculi, & apexabo à fartis intestinis nomen acceperunt, replentur quippe rebus multiiugis veluti sale, caseo, carne frustulatim, tessallatimue concisis, aromatibus, sanguine hædino, cum primis & suillo, adipe, & id genus reliquis.* hæc sunt quæ vulgo *salficcie, sanguinacci, e ceruellate* nuncupantur, & coram Numine altaris præferebant pompam, veluti sacrorum arcana: proh gentilium cæcitas! vide quomodo à Theodoreto, ac Lactantio reprehenditur. eiusmodi generis sunt *Isicia* quæ à Macrobio l. 7. sat. c. 8. & Aphrodisæo difficilia ad concoquendum existimantur. quia, Disario teste, tritura facit innatare cibum, traditque Varro l. 4. l. 1. *Insicia ab eo, quod insecta caro, (vt in carmine saliorum est) quod in extis nunc dicatur prosectum*: eorum apparatum refert Apicius lib. 2. cap. 1. nonnunquam ex piscibus inueniuntur; Lampridius in Heliogabalo, *primus fecit Isicia de piscibus, primus de ostreis, & lithostreis, & huiusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris, & scillis*: ex animalium femore fiebant, sic legimus in testamento quoque M. Grunnij Corocottæ Porcelli, cuius meminit D. Hieronymus in Esaiam ad Eustochium potius vt irrideat, *de meis visceribus dabo, donabo sutoribus setas, isiciarijs femora, &c.* Silicernium etiam, si Scaligero fides, nihil aliud est, quam id quod nos *farcimen* dicimus; licet ex Festo, Seruio, & Verrio funebrem cœnam super silicem appositam, senibusque vt mortis meminerint, datam plures autument. nihilominus Arnobius, plura nomina, idipsum vt exprimeret, congessit; de quibus vide Leonidem, & Athenæum lib. 9. Deipnosophistarum. Re-

81 Redit ad TAEDAS, NAENIAS, & OFFAS: sed variantes lectiones me tenent, nam tædas, cum sensum potius inuertisse Gelenius iudicet *Tucetas* reponit, alij *tænias*, & ad edulij genus in minutas partes concisum reducunt, sicut & *nenias*, sed tricæ, ac vmbræ: sequor nihilominus Gelenium, & si Heraldus repugnet: apud Cornutũ in sat. Persij 2. tucetum est ex carne bubula condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata: Apuleius l. 9. *pulmenta recentia tucetis temperat*: ob tuceti pinguedinem, *esca Regia* dicebatur apud Fulgentium ex Callimachio; at Papias, *Tuceta esca regia, salsicia, vulgo, tucetosus opimus fartinis*, & quia apud Cornutum Gallorum Cisalpinorum escam fuisse nouimus, inter ea recensemus, quæ *Ceruellate* vulgo dicuntur: de OFFA videndus Isidorus l. 20. c. 2. & vt artem Arnobij cognoscas, ante quam Catonem, Virgilium, ac Festum auocemus ex Grapaldo viro doctissimo eam expendimus, *Offam dicemus*, inquit, *cibarium ex frustis panis in iure pingui, caseo vetere, pipere, & cinamomo conditis, quam non ineleganter insulatum, & caseatam nuncupabimus: at Offulam, & Offellam per diminutionem frustulum: eritque porcina, à porco, quam in sartagine craticula, & prunis coquimus: vitulina à vitulo; quam præcateris ad ignem verubus versanter ad escam paramus pulpulas, & pulpellas nunc popina appellant*: Offæ sunt ergo quæ Italorum vulgus *pulpetti*, Siculi, *brusciole* appellant. & recte nam Plinius ait, Amygdalinum oleum, arefactis, & in offam contusis exprimunt: scilicet ex amygdalis contusis, & in vnum conuolutis. cæterum describitur à Scholiaste Iuuenalis, qui sat. 6. ad Vrsidium aduersus mulieres inclamat,

Sed quæ mutatis inducitur, atque fouetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas — accipit.

Schol. *appellatione offæ intelligimus frusta panis, carnis, casei, & huiusmodi rerum; vnde dicimus offam porcinam, Iuuen. sat. 2. & patruo similes effunderet offas: Persius ita appellauit, globum carnium offas*; sed quid offa in sacris? Cerbero à Sybilla, & Aenea datam inuenio penes Virgilium lib. 6.

Cerbereus hac ingens latratu regna trifauci
Personat aduerso recubans immanis in antro.
Cui vates horrere videns iam colla colubris
Melle soporatam, & medicatis frugibus offā obijcit.
Florens Christianus in Lysistratam Aristophanis, & Turnebus lib. 28. c. 45. *saporatam offam* reponunt. idque ex Lucretio, Valerio Flacco, & Suida: nec male, forsan, nam *inferis dijs* olim offa dabatur, monetque oraculum Apollinis, in frag. quæ extant.
At ignem accendito aris
Quæ circum uolitant terram sibi Numina quærunt,
Imponique atrum corpus, tum thura simulque
Inijcier salsas fruges, & DVLCIA LIBA,
cæterum hæc Cerberi figmenta, ex sacris hebræorum suā duxisse originem fatendum est, nam ibi Daniel offā soporifera, siue potius mortifera Dragonem interfecit, vt alibi dicemus.

82 *Penita offa*, procul à vulgo ex sacris effertur; de qua Festus, *Penem antiqui caudam vocabant, à qua antiquitate etiamnum OFFA porcina cum cauda in cœnis puris, offa penita vocatur: & peniculi quibus calciamenta terguntur, quod è codis extremis faciebant antiqui qui tergerent ea, dictum est forsan à pendendo*. vel offa ex frustulis carnis bubulæ Penita dicebatur Næuius apud Festum.
Theodotum compella, qui aris compitalibus
Sedens in cella circumtecta tegentibus
Lares lucentes peni pinxit bubulo.
penis bubulus à cauda, & offa ex ea facta. audi Arnobiū, *Offa penita est cum particula visceris cauda pecoris amputata.*

83 Sequitur, *quid POLIMINA, quid OMENTA*; Polimina mendo irrepsit, Heraldus, Polimenta reponit, & porcorum testiculos sic appellari docet Verrius, *antiqui dicebant testiculos porcorum cum eos castrabant, polimenta, à politione segetum, aut vestimentorum, quod similiter atque illa curentur*: colligitur etiam à Plauto in Milite, ipsoque Arnobio: *de Omento* Isidorus l. 11. *Omentum est*

est membranum quod continet intestinorum maiorem partem: huic adnectitur Lyen in sinistra parte aduersus iecur, vnde *omentata isicia* Apicio, & nobis, ait Grapaldus, *ieiusfcula omentata*, rem prodit Plinius lib. 11. c. 37. *ventriculus atque intestina pingui, ac tenui omento integuntur, præter quam oua gignentibus.* oritur iuxta spinam sub Diaphragmate, Fernelio auctore, vbi residet prima lumborũ vertebra: at Archangelus Piccolhominus à peritonæo nasci contendit, fundumque ventriculi obuoluere. à Græcis dictum est *Epiploon*, quasi intestina innatans. Aristoteles l. 4. de p. an. cap. 3. marsupij effigiem præferre scribit, componiturque ex venis, & arterijs, & tunicis sicut Galenus 4. de vsu partium c. 11. tradit, suaque pinguedine, Aristotele auctore, melior fit concoctio.

84 Hinc transit ad pultium nomina dicens, *quid Fritilla, quid Frumen, quid Africia, quid Gratilla, Catumeum, Consfolium, cubula? ex quibus duo quæ prima sunt pultium nomina, sed genere, & qualitate diuersa,* de fritilla Plinius lib. 18. cap. 8. *hodie sacra prisca atque natalitiam pulte fritilla conficiuntur.* & D. Hieronymus l. 1. adu. Iouinianum, *cum monachum esse se iactaret, & post sordidam tunicam, & nudos pedes, & cibarium panem, & aquæ potum, ad candidam vestem, & nitidam cutem, ad mulsum, & ad elaboratas carnes, ad iura Apicij, & Paxami, ad balneas quoque, & FRITILLAS, & popinas se conferat: manifestum est, quod terram cœlo, vitia virtutibus, ventrem præferat Christo, & purpuram coloris eius putet regnum cælorum*; etiam genus eius describit Hieronymus, quam [illegible] ac pluribus Athenæus in Deipnosophistis expressit (vulgo, si Perotto fides, qui *offulas ex farina factas frictasque* fritillas censet) apud Siculos [illegible] olim ex pulte, & carne concisa, melle, & sesamo: & à Leonida, ac Philippo inter placentarum genera exhibentur: in sacris erant Cereris, Proserpinæ, ac Dianæ: cæterum monet Nonnius ex Fabio Pictore, *de fritile* ex sale, & pulte: aitque, *postea id sal virgines Vestales serra ferrea secant*; idque vt sacrorum curarent adyta: nominis etymum prodit Varro l. 1. de re

 rust.

rust. 48. *illud autem in summa spica jam maturata, quod est minus quam granum vocatur frit.*

85 *Frumen* insuper ex pulte, & carne, *quae*, teste Servio in 1. Æn. *eminet sub mento, & parte gutturis*. eiusdē generis est *gratilla*, quæ grata palato forsan sic dicitur, sicut etiam *cuspolium, & cubula:* nomina posteritati ignota, quæ nihilominus id ipsum denotant, licet puls, cibus ex farina, nonnunquam lacte, caseo, iure, butyro, carne, melle multipliciter sumatur: omnino ad religionem spectabat, F. Pompeius, *Puls potissimum datur pullis in auspicijs, quia ex ea necesse erat aliquid decidere in terram, quod tripudium faceret, idest terripauium, (pauire enim ferire est) ex quo notionem caperent futuri: nam si pulli per quos auspicabantur non edissent, periculum imminere arbitrabantur, at qui pauissent bonum augurium esse putabant, si tum ex ore eis edentibus aliquid decidisset*: hæc ille: de pulte habes M. Varronem l. l. lib. 4. vbi multa refert, quæ ad sacra gentium pertinent, *Libum quod libaretur priusquam esset, ut erat coctum: Testuarium, quod in testu caldo coquebatur, vt etiam nunc Matralibus id faciunt Matronæ: circuli quod mixta farina caseo, & aqua circuitum æquabiliter fundebant, hoc quidam, qui magis incondite faciebant, vocabant Lixulas, & Semilixulas vocabulo Sabino*, (Siculorum vulgus Frascatulæ,) *idque frequentius Sabini à globo farinæ dilatato; item in oleo cocti, dicti à globo Globuli: crustulum à crusta pultis quoius ea qua vt corium exuritur crusta dicta; Placenta, quod edebatur cum pulte, ab ea Pulmentum, vt Plautus: hinc pulmentarium dictum*: hactenus Varro: de *Terripauio* autem pullorum, diximus *in nostro Numa*, nunc pullorum exhibemus caueam ex antiqua Romanorum cælatura, pullosque tripudium facientes.

Mar.



86 Hæc itaque nomina à vulgo, ac exteris abſcondita Arnobius prodit, vt gentilium ſacra damnet, ac vanitatis inſimulet. & vt de vno Ariete dicam Varronem auoco, qui lib. 4. l. l. inquit, *Aries quod eum dicebant, Ares, veteres noſtri Aruiga*, ex Heſychio Scaliger *Aringa* reponit, hinc Aruignus: *hæc ſunt quarum in ſacrificijs Exta in olla non inueru coquuntur, quas & Actius ſcribit, & in pontificalibus libris videmus in hoſtijs eam Aruigem, quæ cornua habet, quoniam is cui oui mari teſticuli dempti, & ideo vt natura verſa Veruex declinatum*; O perditam hominũ ſectam! recte illam omnes irrident, & nos tantæ impietatis pompam eduximus, vt ex Athenagora, Theodoreto, Lactantio, ipſoque Arnobio cognoſcas quomodo temporũ plenitudine nobis ſedentibus in tenebris, ac vmbra mortis euangelij fit orta lux, vt gratias agamus Deo, qui nos ad cœleſtia regna vocauit.

IN SACRIS, ANIMALIVM POMPA ſacerdotia ornat.

CAPVT NONVM.

87 ARcana olim gentilium religio in pontificum adytis ſeruabatur, ac hominum vulgo ſacra apud veteres perſcrutanda ſuperſtitio vetuit; hinc

hinc ex lib. 9. Liuij, inquit Valerius l. 2. c. 5. *ius ciuile per multa sæcula inter sacra, ceremoniasq; Deorum immortalium abditum solisque pontificibus notum Cn. Flauius libertino patre genitus, & scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus Ædilis Curulis vulgauit, ac Fastos pene toto foro exposuit*; nihilominus sacerdotum religio ab illis vt populos arceret, animalium formis innexuit, enarratque Apuleius l. 11. metamorphoseos, & vbi se initiatum describit eleganter inquit, *iniecta dextera senex comissimus ducit me protinus ad ipsas fores ædis amplissimæ, rituque solemni aperitionis celebrato ministerio, ac matutino peracto sacrificio, de opertis adytis profert quosdam libros literis ignorabilibus prænotatos partim figuris huiuscemodi ANIMALIVM concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim nodosis, & in modum rotæ tortuosis capreolatimque condensis apicibus, curiositate prophanorum lectione munita*. hæc etiam Tacitus, & Lucanus in Pharsalia, noto illud *capreolatim*: non à capra de qua Varro à *carpa* lib. 4. d. l. etymon facit, sed ab aurium vorticibus, nam capreolus est apud Pollucem, & Rufum exterior auriculæ ambitus, vel à tricis, ambagibusque vinearum de quibus Isidorus lib. 17. c. 5. *Capreoli dicti quod capiant arbores; sunt enim vincinni, vel uncinuli, quibus se innectent vites, & suspendere solent arboribus, quo adminiculo freti palmites ventos, ac turbines sustinere queunt, & sine lapsu pediculorum fructus suos sustineant, & se vaga proceritate diffundunt*; an huc respexerit Apuleius pende, habes nihilominus inter arcana hieraticas literas animalium figuris expressas.

88 Primam in sacris pompam, *sacerdotum vestem*, recensendam ex Hierophantis, & Eleusinorum apparatu, Hesychio, & Suida auctoribus credo, & amictu, atque alio ornatu apud veteres conspicuam prodit Apuleius lib. 11. met. *in ipso ædis sacræ meditullio ante Deæ simulacrum constitutum tribunal ligneum iussus superstiti, byssina quidem, sed floride depicta veste conspicuus. Et humeris dependebat pone tergum talorum tenus pretiosa clamyda, quaqua tamen viseres colore vario [illegible] notatis IN-*

SI-

SIGNIBAR ANIMALIBVS; hinc DRAGONES INDICI, inde GRYPHES hiperborei, quos in speciem pinnatæ alitis generat mundus alter: hanc Olympiacam STOLAM sacrati nuncupant: ad manum dexteram gerebam flammis adultam facem, & caput decore corona cinxerat, palmæ candidæ folijs, in modum radiorum prosistentibus: sic adinstar solis exornato, & in vicem simulachri constituto, repente velis reductis in aspectum populus errabat: ex hinc festiuissimum celebraui natalem sacrorum, & suaues epulæ, & faceta conuiuia. hæc ille de se ipso in sacerdotum albo, post lauacra, ieiunia, ac preces ascripto, rituque magico ante quam vestium sacrarum ornaretur amictu, inquit, accessi confinium mortis, & calcato Proserpinæ limine per omnia vectus elementa remeaui: nocte media VIDI SOLEM candido coruscantem lumine, Deos inferos, & Deos superos, accessi coram, & adoraui de proximo: mane processi duodecim sacratus stolis, habitu quidem religioso satis: en habitus sacerdotum Osyridis, siue Serapidis, & Isidis: siue potius vnius Numinis multijugi nomine nuncupati, nam apud Ausonium epigr. 29. legimus,

Ogygia me Bacchum vocat,
Osirin Ægyptus putat,
Mystæ Phanacen nominant,
Dionyson Indi existimant:
Romana sacra Liberum,
Arabica gens ADONEVM,
Lucaniacus Pantheum.

nam ex Orpheo Macrobius, SOLEM eundem Bacchum esse scribit: sicut Plutoni, & Adoneo eadem tribuit, quia teste Plutarcho in Theseo, Adoneus est inferorum Deus: ergo Apulei vestis concordat cum veste byssina Hebræorum, quam talarem nuncupant, cuius meminit Ioannes in Apocalypsi, & post Iosephum l. 6. belli iud. Hieronymus, Suidas, Oecumenius, cæterique illam describunt: nec male fortasse Beroaldus inquit: dependebat post tergum vsque ad talos, denotabatque tunicam talarem sacerdotalem, cui consimilis videri potest illa quam describit Iosephus l. 3.

an-

antiq. dicens, Princeps sacerdotum super induitur tunica de byacinto facta, quae & ipsa talaris est, quae Zona constringitur, floribus exornata, auro contexta, variata, ornatusque in fibrijs eius est, ita vt inter duo tintinabula malumgranatum habeatur, itemque inter duo malogranata tintinabulum: huc vsque ille.

89 Cuius verba expensionis nouum genus referant, & Pontificis vestem apud hebraeos animalibus exornatam indicant: quod ille grammaticus non intellexit, ego demore iuxta patrum oracula expendo; sap. c. 18. v. 24. *in veste poderis totus erat ORBIS TERRARVM, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta*: de veste poderis, *scripsi lib. 1. in Apocalypsi*, vbi ex Philone l. 3. de vita Mosis, Iosepho l. 3. a. Hieronymo ad Fabiolam, Tertulliano, ac Clemente Alex. l. 5. strom. plura scitu digna diximus; & licet nunc aliquid expendere possem ex animo mitto: tantummodo animaduerto, *Terrarum orbem* non solum in podere expressum, (quam Arias cum *talari Romanorum stola* confundit, vtpote *Ocellatam*, sicut Lippomanus, ac Vatablus vertunt:) sed in omni sacerdotis ornatu, docentque ex pluribus Comestor, & Holcot, vnde colligitur in illo sacerdotis amictu *animalia* fuisse, etenim Clemens Alexandrinus l. 5. stromatum inquit, *duodecim gemmae, quae sunt in quatuor ordinibus locatae super pectus describunt nobis CIRCVLVM ZODIACVM conuenienter quatuor anni conuersionibus*. hunc sequitur Holcot, Rueus in lib. de gemmis, caeterique quãplures. enimuero Iudaeorum Rabbini vocant Zodiacum, *opus Phrygionarium*, idest, *Limbum textilem*, in quo animalia veluti intexta videntur: & auctor Alcabicij, *Mantica est circulus, qui latus est in medio, & in ligatura strictus, & habet significare circulum Zodiaci*. accinitq; Manilius lib. 1. astron.

Sed nitet ingenti stellatus Baltheus orbe,
Insignemque facit caelato lumine mundum:

caelaturam Ausonius, ac Ptolomaeus ex Eratosthene, & Eudoxo animalium figuris exprimunt, quae recte per lapides scriptura perhibet, dum lapides á signis, & animalibus

Zo-

Zodiaci pendere docet Albertus, & Georgius Venetus ex Alexandro peripatetico, & Platone, apud quem Zaccharias ad Mitridatem in Ponto Regem scribit, *MAGNAM VIM, & FATA HVMANA lapidibus inesse*: itaque in gemmis animalia pontificis vestimenta gestabant, siue potius mauis in orbe terrarũ, veluti ipsius partem animalia fuisse cum plurimis dicamus. at si Clementem vtpote antiquitate, & sapientia præstantissimum sequi exigeret ratio, *quattuor anni conuersiones*, quas exhibet habebis ab Ausonio edyl. 16.

Æternos menses, & tempora quattuor anni
Quattuor ista tibi subiecta Monosticha dicent,
Martius, Aprilis, Maius sunt tempora Veris
Iulius, Augustus, nec non & Iunius Æstas;
Septembri, Octobri Autumnus, totoque Nouembri;
Brumales, Ianus, Februarius, atque December.

90 Cæterum Alcisthenes Sybarita vestem similiter cõtexit, de qua Aristoteles de adm. aud. nu. 90. inquit, *Alcisthenes miro sumptu clamydem confecisse, exornasseque legitur, ac eam in Crotonis Promontorio ad Iunonis nundinas præposuisse, ad quas vniuersæ Italiæ indigenæ confluunt: cæterum præter omnia, quæ ibi mira videntur hoc incredibili admiratione Italos maxime detinuit, illamque in suam potestatem Dionysius senior redegit, qui hanc Carthaginiensibus centumuiginti quinque talentorum pretio vendidit; colore quidem purpureo erat, amplitudine vlnarum quindecim, vndique autem MINVTIS ANIMALIBVS velabatur intextis, desuper quidẽ Susæ, deorsum autem Persæ, Oppida inserta, in medio vero Iuppiter, Iuno, Diana, Mineruа, Apollo, Venus inoderant; in vtroque autem extremo Alcisthenes inerat, vtrinque vero Sybaris ipsa eminebat.* sic veteres pretiosissima principatus ornamenta figuris deinde illustrarunt, & Gratianus Imperator ad Ausonium, quem Consulem designauerat, scribens ait, *Palmatam tibi misi, in qua Diuus Constantius parens noster intextus est*; eamque Ausonius *Pictam vestem* nuncupauit; nec semel apud fideles adhuc florentis ecclesiæ, in sacris pontificum ornamentis *agnos crucesque* in-

signitos, *leones*, *aquilas*, *vitulos* quoque intextos historia demonstrant, vt Dei Agnum, Cherubinos, ac Apostolos denotarent.

91 Post sacerdotum vestes, sacrorum vasa recenseo, in quibus animalium pompa refulget; etenim Apuleius lib. 11. metam. Isidis vrnulam describens ait, *Vrnula faberrime cauata, fundo quam rotundo, miris extrinsecus simulacris Ægyptiorum effigiata, eius orificium non altiuscule leuatum in canalem porrectum longo riuulo prominebat: ex alia parte vero multum recedens spatiosa dilatione adharebat ansa, quam contorto nodulo super sedebat ASPIS SQVAMMEAE CERVICIS stricto tumore sublimis:* hac ille, & *Vrnulam* paludes, ac Nili latices donotare apud Plutarchum compertum est. ibi Aegyptiorum simulacra, quæ ex animalibus elaborata Tertullianus, Dio Chrysostomus, Arnobius cæterique tradunt: Aspis vero, Ammiano Marcellino auctore, inumeras in Aegypto serpentes, decore, ac magnitudine supereminet, vnde, & simulachris Isidis peculiaris; Valerius Flaccus de Iside,

Aspide cincta comas, & ouanti persona sistro.

Herodotus *sacros* illos nuncupat, sicut Orus, quem vide.

92 Addo *aras*, sepissime animalium pompa insignes: & vt altare Salomonis prætersileam Cherubinorum cælatura conspicuum, illud Apollinis auoco, quod gentilium ætas inter orbis terrarum portenta recensuit, fuitque ex animalibus, quia totum corneum miraculo sistebat, vti antea diximus, & Ouidius in epist. Cydippes ad Acontium,

Miror, & inumeris structam de CORNIBVS aram:

Martialis de eadem,

Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

Ibi Choreas festiue Theseus, ludosque curauit, de quibus Plutarchus, *simulacrum hoc anfractuum labyrinthi, & egressuum ad certos modos alternis peragitur gyris: hoc genus saltationis dicitur à Delijs GRVS, vt memoria prodidit Dicæarchus*; vide præter aram choreas, in quibus flexus Gruem efformabant, ac labyrinti ambages.

93 Deinde *sacra ipsa* animalium pompa efferuntur, vnde Gregorius Pontifex Nazianzenus inclamat, *neque nobis*

nobis Proserpina rapitur, nec Ceres errat, nec Celeos adducit, nec Triptolemos, & Dracones, partimque agit, & partim patitur: scit Eleusis hoc, & spectatores rerum, quæ tacentur, & certe silentio dignę sunt. hæc ille de Eleusinorum Festo: de Panathenæa Festo, (quod Hellanico in 1. Atthidis auctore, egit Erichthonius Vulcani filius: siue, vt Pausanias in Arcadicis, Theseus; vel sicut Theodoreto placet, Orpheus.) compertum est, pompam omnem carnibus animalium compleri; tangitque Aristophanes in neb. vbi Scholiastes inquit, *Panathenæa Atheniensibus Festum maximum ab omnibus iactatur: quoniam omnes ciuitates Athenas deducta Bouem ad sacrificium mittebant, accidebat esse carnium abundatiam, vt omnes implerentur, & in ea copia carnium præter decorum ederent*; Lupercalia, Brauronia, Dijpoleia, Pithœgia, Megalartia, Ilicia, Amphidromia, cæteraque fere omnia animalium pompa veteres peregisse latet neminem.

394. *Simulachra* animalium ornatu excolebantur. de Corydone marmoreo Ausonius epigr. 30. eleganter lusit,

Capra, Caper, Pera, Pastor, Virgifer, Oliua
Vnus lapis ex cunctis exilis ego Corydon.

Plinius lib. 34. c. 30. *ætas nostra vidit in Capitolio priusquam id nouissime conflagraret à Vitellianis incensum. in Cella Iunonis CANEM ex ære, vulnus suum lambentem: Cuius eximium miraculum, & indiscreta verisimilitudo, non ex eo solum intelligitur, quod ibi dicatus fuerat, verum & noua satisdatione, nam summa nulla par videbatur*; symbolū cūctis patet ex antiquis numis, Numen fertilitatis, & animal. Cererē, scilicet, cum face, & animalibus vt in Eleusinis, de qua Statius syl. 4.

Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votiuam taciti quassamus lampada Mystæ:

Seneca in Hippolyto,

Iactare tacitis conscias sacris faces,

Claudianus,

Sanctasque faces attollit Eleusis.

qua de re vide Lactantium lib. 1. c. 21. & Apollinem cum cane exhibeo.

M 2 Quid



95 Quid si Deos ipsos ornaret animalium apparatus? diximus in curru Matris Deorum, ex Lucretio, & Ouidio, Leones fuisse: at leonis specimen in ea Apollodorus refert, quod vt expendam, ipsius formam exhibeo: Lucianus, & Liuius hanc LAPIDEM fuisse ex Phrygia Pessinunte testantur. deinde superstitiosissima omnium Roma ipsam auocãs vidit, vnde & scriptores posteritatem de illa monuerunt, audi Arnobium lib. 7. adu. gent. *Nihil quidem aliud scribitur missum ab Attalo Rege nisi LAPIS quidam non magnus, ferri in manu hominis sine vlla impressione, qui possat: coloris furui, atque atri: angulis prominentibus, inaqualis, quem hodie videmus indolatum, & asperum, & simulacro faciem minus expressam simulatione prabentem:* forsan *leonis*: Liuius, *Attalus legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrumque ijs Lapidem, quem* MATREM DEVM *esse dicebant tradidit*: eumque tanta veneratione prosequebatur gens illa togata, vt caneret Prudentius ludens,

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos, Matris Idea sacris,
LAPIS NIGELLVS *euehendus assedo*
Muliebris oris clausus argento sedet.

lapis genus *Magnetem* fuisse ex Eusebio, cæterisque compertum est, dabatque oracula, ac si viuens coleretur, Ar-

no-

nobius, *è petra seu Monte Agdo ferebatur informata, ac diuinitus* ANIMATA: Photius Patr. Constantinop. *Lapis Betylus locum dabat oraculis*: asseritque Eusebius l. 24. præp. euang. Homerus de Heleno,

Illi Lapidem Apollo habere VOCALEM

Concessit MAGNETEM *germanum, quem hominibus*

Placuit nonnullis vocare anima præditum Ophitem.

at cur curru, ac leonum pompa ipsam ornarant? Macrobius ad terræ symbolum refert, accinitque Placiades; sed Apollodorus, cuius fragmentum eruditissimo ab Amico Romæ habui, (si tamen illius est,) *Lapis sacer leonis figuram representabat, eumdemque religiose leonum simulacris colebant*; ita vetus ille in membranis antiquitate corrosis. nec abest à vero, dum Sirius, Isis, in cœlestibus astrum est, *sothis* ab ægyptijs nuncupatum, ac si dicas *astrocanem*, & à Suida *Sirius canis* dicitur, idque Diodorus Siculus testatur, qui Isin in forma canis exprimit; cæterum Aesculapium, Iouem, Panem, aliosque Deos animalium insignitos forma dedimus; nunc de Baccho Senecam in Hippolyto canentem adduco, & obseruo ritus, ac specimen:

Et tu thyrsigera Liber ab India
Intonsa iuuenis perpetuum coma
Tigres pampinea cuspide territans,
Ac mitra cohibens CORNIGERVM CAPVT
Non vinces rigidas Hippolyti comas.

Propertius lib. 3.

Quod superest vita per te, & tua CORNVA viuam
Virtutisque tua Bacche poeta ferar.

qua de re plura Athenæus lib. 2. Deipnosophistarum, & Nicander, cæterique Scholiastes Senecæ, quorum messem doctior recens collegit, exhibuitque dicens, Bacchum Euripides vocat *Deum Tauricornem*, Sophocles *Bouis cornua habentem*, alij *bicornem*: Bacchi cornuum varia ratio redditur: Festus abijt ad *ebriorum truculentiam*, Plinius lib. 23. c. 1. ad eorum *furorem*: Phurnutus, & Porphyrion ad *audaciam*, quæ cornibus significetur; Plato l. 2. de leg. Xenophon, Athenæus, & Nicandri Scholiastes

volunt, eo quod *antiquis cornua in vsu poculorum*: Plutarchus in qq. Græcan. q. 37. & de Osiri, & Diodorus lib. 5. bibl. quia primus Bacchus, (qui & Osiris) Boues iugo iunxit: vel vt idem Diodorus Siculus lib. 4. quia Bacchus Iouis Ammonis, qui Arietino capite fingebatur, filius: alij vero aliter, vide Eustathium: additque ille, *sed forte hoc finxere, quia de Mose scriptum legerant, faciem eius CORNVTAM Iudæis visam Exod. 34.* videndus D. Paulus 2. Cor. 3.

96 Tandem *flammas* inquiro, easque victimis de more positis mira enunciantes obseruo; enimuero postquam Manto, & Tiresias apud Senecam in Oedipo, sacris focis thura donantes, à flamma *Pyromantiam*, à fumo *Capnomantiam*, & ab extispicio *Hieroscopiam* mutua obseruatione curarunt, fordam iuuencam aræ imponentes admiranda scrutati sunt, quæ Seneca recenset,

Quod hoc nefas? conceptus inupta Bouis
Nec more solito positus, alieno in loco
Implet parentem; membra cum gemitu mouet,
Tremulo rigore debiles artus micant;
Infecit atras liuidus fibras cruor,
Tentantque turpes mobilem trunci gradum,
Et inane surgit corpus, ac sacros petit
Cornu ministros, viscera effugiunt manu.
Neque ipsa quæ te pepulit armenti grauis
Vox est, nec vsquam territi resonant greges.
IMVGIT ARIS IGNIS, & trepidant foci.

si sapis, habes gentium ritus, & sacra.

HVMANAS HOSTIAS ANIMALIBVS VETERES commutasse.

CAPVT DECIMVM.

97 VAnitates, & insanias falsas gentilium prophetarum oracula increparunt, præcipue dum homines iugularent ad aras; imo Tertullianus in apologetico, ipsissimis gentium legibus pessi-

pessimum illud facinus damnat, *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam, vsque ad Proconsulatum Tiberij, qui eosdem sacerdotes in iisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votiuis crucibus exposuit, teste militia patriæ nostræ, quæ id ipsum munus illi Proconsuli functa est*. hactenus ille ex Iosepho lib. 18. ant. c. 4. & Plinius l. 30. c. 1. Tiberium Gallorum Druidibus humanas victimas interdixisse scribit; enimuero in Scorpiaco inclamat, *Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercuriũ, aut Afrorum Saturnum, hominum victima placari apud sæculum licuit; & latio in hodiernum Ioui media in vrbe humanus sanguis ingustatur*; Lucanus,

Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Syluani, Nymphæque tenent, sed barbara ritu
Sacra Deum structæ diris altaribus aræ
Omnis, & humanis lustrata cruoribus arbos.

imo Clemens Alexandrinus vbi gentes adhortatur inquit, *Dæmones cum ciuitates, & gentes tanquam pestes inuasissent, sæua postularunt libamina, & Aristomenes quidem Messenius Ithometæ Ioui trecentos homines mactauit, se tot, & tales hecatombas rite sacrificare existimans, in quibus etiam Theopompus Rex Lacedæmoniorum erat præclara victima: Tauri autem populi, qui habitant circa Tauricam Chersonesum, quoscumque hospites apud se ceperit, ex ijs qui mari aberrarunt Dianæ Tauricæ eos statim sacrificant: hæc tua sacrificia Euripides in scena tragice decantat: Monimus autem in collectione rerum mirabilium refert, in Pella Thessaliæ Achæum hominem sacrificari Peleo, & Chironi: Lycios autem (sunt hi vero gens Cretensium,) pronuntiat itidem Anticlides in reditibus, Ioui mactare homines, & Lesbios Dionysio simile offerre sacrificium, dicit Dosidas: Phocenses autem, vt scribit Pythocles in 3. de concordia, hominem holocaustum offerunt Dianæ Tauricæ: Erechtheus autem Atticus, & Marius Romanus sacrificarunt filias suas, hic Dijs Auerruncanis, seu malorum depulsoribus, vt Dorotheus scribit in 4. rerum Italicarum: ille quidem Persephonæ, vt Demaratus in 1. rerum Tragicarum.*

Recte

98 Recte dixit SÆVA LIBAMINA, etenim cuncta perfusa hominum sanguine peragebãtur in sacris, quod Minutius in Octauio, Athenagoras, & Theodoretus demonstrãt, inter quos Tertullianus in apologetico vociferatur, *de sanguinis pabulo, & eiusmodi tragicis ferculis legite necubi relatum sit (est apud Herodotum, opinor) diffusum brachijs sanguinẽ ex alterutro degustatum nationes quasdam fœderi comparâsse: nescio quid sub Catilina degustatum est: aiunt & apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque à suis comedi; longe excurro, hodie istbic Bellona sacratus sanguis de fœmore proscisso in palmulam exceptus suis datur signatis*, sic impia gentium secta homines trucidabat, nec multum Deo fecisse credebat, nisi sanguinis effusione sacra peragerent, vnde Heraclitus in epist. ad Hermodorum, aduersus *Dianam Multimammam*, inquit, *quanto Ephesijs meliores Lupi, atque Leones! non se inuicem mancipant, nec Aquila aquilam emptitat, nec Leoni Leo ministrat pocula, sed neque Canis canem execat, vt vos Deæ sacerdotem execuistis Megubysum, metu ne virgini vir consecretur, & quo pacto impij aduersus naturam, pij sitis aduersus simulachrum, à principio enim id agitis, vt Dijs primus imprecetur sacerdos amissa virilitate*: Lucretius lib. 1.

Relligio peperit scelerosa, atque impia facta
Aulide quo pacto Triuiai Virginis aram
Iphianassa turparẽt sãguine fœdè Ductores Danaũ

Iphigeniam intelligit in Aulide immolatam. Propertius libro 1. eleg. 4.

Idem Agamemnoniæ ferrum ceruice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.

Oraculum Phœbi, Eurypilo interpetre, apud Virg. l. 2.

Sanguine placastis ventos, & virgine Cæsa,
Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærẽdi reditus, animaq; litãdũ Argolica.

apud Senecam in Troade Pyrrhus ad Agamemnonem,

Priamique natam, Pelei nato, ferum
Mactare credis? at tuã natã parẽs Helenæ immolasti.

99 Sic isti Cæsam virginem occinunt, & in Aulide à

patre

patre immolatam, quod Euripides in Iphigenia priore, Theognis, Ouidius, & Tullius l. 3. offic. tradunt; nihilominus seruatam puellam cæteri perhibent, eiusque loco animal immolatum: animaduertit Scholiastes controuersiam de Iphigeniæ in sacrificio metamorphosi; etenim Nicandrus ait mutatam in TAVRVM: Phanodemus historicus in *Vrsum*: Meryllus primo Bœoticorum in *Buculam*: Hyginus in *Ceruam*, & fab. 98. rem omnem absoluit, *Agamemnon cum Menelao fratre Asiæ delectis ducibus Helenam vxorem Menelai, quam Alexander Paris auexerat repetitum ad Troiam cum irent, in Aulide tempestas eos ira Dianæ retinebat, quod Agamemnon in VENANDO CERVAM eius violauit, superbiusque in Dianam est locutus: is cum Aruspices conuocasset, & Chalcas se respondisset aliter expiari non posse, nisi Iphigeniam filiam Agamēnonis immolasset: re audita pater recusare cœpit; tunc Vlysses eum consilijs ad rem pulchram transtulit, idem Vlysses cum Diomede ad Iphigeniam missus est adducendā, qui cum ad Clytemnestram matrem eius venissent, ementitur Vlysses eam Achilli in coniungium dari: quam cum in Aulidem adduxisset, & pater eam immolare vellet, Diana virginem miserata est, & caliginem eis obiecit, CERVAMQVE pro ea suppofuit: Iphigeniamque per nubes in terram Tauricam detulit, ibique templi sui sacerdotem fecit*; hæc ille: acta inde Pausanias in Atticis prosequitur, *Brauronem Iphigenia e Tauris fugiens cum simulachro Dianæ appulit, quæ relicto ibi simulachro Athenas, & postremo Argos deuenit statua vero ibidem est antiqua.* locus veneratione percrebuit, ac eodem Pausania in Arcadicis auctore, legimus, *Regem Persarum Xerxem Darij filium præter ea, quæ ex Atheniensium vrbe abstulit, illud quidem ex Braurone simulachrum Dianæ nouimus accepisse*. eius Festum celebre, vnde Hesychius, *Brauronijs Iliada Rhapsodi cantabant in Braurone Atticæ pago, & sacrificabatur Capra*.

100 Sic Cerua Iphigeniam redemit, vt Euripides in altera Iph. canit, & Hyginus fab. 261. plura enarrat digna scitu, *Iphigenia numinis misecatione sublata est, &*

CERVA SVPPOSITA , & translata ad Tauricam ciuitatem Regi Thoanti tradita est sacerdosque facta, ductum vt Dianæ secundum consuetudinem statutam humano sanguine Numen placaret, cognouit fratrem Orestem, qui accepto oraculo carendi sororis causa cum amico Pylade Colches petierat, & occiso Thoante simulacrum sustulit, absconditum fasce lignorum, (vnde & Fascelis dicitur, notandum à FACE, cum qua pingitur, propter quod & LVCIFERA dicitur.)





& Ariciam detulit: sed cum postea Romanis sacrorum CRVDELITAS displiceret, quamquam serui immolarentur ad Laconas Diana translata est: vbi sacrificij consuetudo adolescentum verberibus seruabatur, qui vocabantur Bomonicæ, quia contendebant, qui plura posset verbera sustinere: hæc vltima Pausanias in Laconicis prodit, *edito oraculo iussi sunt aram humano sanguine cruentare, cum autem immolaretur quemcumque sors tetigerat Lycurgus rem in adolescentum flagra commutauit, & sic quoque humano sanguine ara implebatur:* Tertullianus ad Martyres huiusmodi moris meminit, *hodie apud Lacedæmonios sollemnitas maxima est FLAGELLATIO, in quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes affliguntur adstantibus parentibus, & propinquis, & vti perseuerent adhortantibus.* hinc, Alciade teste, apud Ælianum lib. 13. bel-

bellicas disciplinas fortiter instituere curabant: hinc si Xenophonti fides, *ex dolorum patientia laudem* legislator attendebat: hinc Stobæo penes Cragium edocente, Sybarita ille nouit, Lacedæmones mortem obire haud horruisse: enimuero si verbera attendis, Plutarchus in Laconicis, mirum describit, *pueri apud ipsos per totum diem ad Orthiæ Dianæ aram flagellis cæsi sæpe numero ad mortem vsque hilares, & gestientes verbera tollerant, de victoria inter se certantes, quis ex ipsis longiore, & maiore in verberibus tolerantia vtatur, & qui cæteros ea superauit maximam inde gloriam consequitur, vocatur autem hoc certamen flagellatio, & quotannis celebratur*: concluditque Pausanias *adeo id signum è Taurica translatitium HOMINVM SANGVINE lætabatur*.


101 Post Iphigeniam, auoco Metellam, quam bucula à sacris redemit, factum enarrat Plutarchus in paral. *cum Pœni societatem cum siculis aduersus Romanos machinarentur, Metellus Romanorum Dux soli Vestæ rem sacram non fecit, ea ventum classi auersum immisit, C. autem Iulius Aruspex cessaturum edixit, si filiam suam Dux immolasset, coactus itaque hic filiam Metellam produxit mactatum: Vesta eius miserta BVCVLAM eius in locum immisit, ipsamque Lamusium detulit, & DRACONIS, qui ibi colitur Antistitam fecit*; hactenus ille ex Pythocle.


102 Numæ Pompilij portentum occinunt vates: enimuero dum fulminum procurationem peteret, ac Iouis humanam exposceret victimam, pisce pro illa oblato Numen auertit; quod Antias vetus auctor apud Arnobium sic prodit, *Iouem diu cunctatum, expiabis, dixisse, capite, fulgurita: Regem respondisse Cepitio: Iouem rursus, humano: retulisse Regem sed Capillo: Deum contra, anima: subiecisse Pompilium, piscis: tunc ambiguis Iouem propositionibus captum extulisse hanc vocem, decepisti me Numa*. id ipsum enarrat Plutarchus in Numa, Dionysius, & nos *lib. 2. de vrbe Roma*: sed eleganter Ouidius lib. 3. Fastorum rem, vt assolet, absoluit,

Vtque animus redijt da certa piamina dixit
Fulminis altorum, Rexque, paterque Deum.

Cæde caput dixit, cui Rex, parebimus inquit,
Cædenda est hortis eruta cepa meis.
Addidit hic, Hominis sumes, ait ille Capillos:
Postulat hic animam: cui Numa Piscis, ait,
Risit, & his, inquit facito mea tela procures,
O vir colloquio non abigende Deum.

Piscem hunc scholiastem *Mænam* fuisse scribit, de quo nos infra: Antiphanes, & Speusippus smaridem, boacemque similem mænidi faciũt: Melanthius de mist. Eleusinijs ait, *Hecatæ mullum, & mænidem sacrificari*; Athenæus id probat, & Philodemus. dæmoni placet, quia Plinio auctore colorem mutat, candida hyeme, æstate nigrior. habet cum capite aliquod pretiosum; si Dioscoridi, ac Plinio fides, *nam mænarum ex capitibus cinis si illinatur callosas fedis rimas abolet*: vide Galenum l. 3. de fac. simpl. med. Plinius l. 32. c. 8: *capitis mænarum cinis ad rhagadas, & condylomata utilis est*, cæterum apud Martialem l. 12. *inutilem mænam* legimus. sed quam post Aristotelem, Plinium, Ennium, Oppianum, cæterosque antiquiores infudent, qui animalium perscrutantur arcana, vt hunc indigitent piscem, consultissimi nesciunt, ego imaginem exhibeo ex his quæ obseruare potui, at iudicium penes lectorem relinquo. enimuero altera Mæna est, quæ dicitur *cãdida*, Ouidio, ac Oppiano *Smaris*: hãc Hesychius laudat, & Dioscorides l. 2. c. 30. Plinius, Paulus Ægineta, cęteriq; eãdẽ virtutẽ cineris capitis vtriusq, enarrãt; nõnulli Mænã cũ *Leucomænide* cõfũdũt, hũc Speusippus *Bocẽ*: Polyochus apud Athenæum, *Boacem*: Epenetus *Cynoseunam*, existimant, at ego *Smaridem* primũ, deinde Mænã propono.





103 E sacris etiam animalium laus enitet: etenim Genes. 22. iubet Dominus Abrahamum filium suum tollere, illũque offerre in holocaustũ super vnum montium, non renuit fidei nostræ parens,

Senile pignus, qui dicauit victimæ
Dicens, ad aram cum litare quis velit
Quod dulce cordi est, quod piũ quod vnicũ
Deo libenter offerendũ credito.

vt Prudentius in præph. psichom. occinit; de nocte itaque cõsurgens perrexit, ac Montem ascendens, *alligauit Isaac filium suum*, & D. Zenone auctore, non tantum illius ligauit manus, sed etiam pedes, *ne in exitu mortis concitata victima calcitraret*: non inuitum adstrinxit, inquit Lyranus, quia iam erat xxv. annorum, vt scribit Iosephus, & Abraham cxxv. erratque Aben-Ezra qui xii. annorum illum recensuit. alligauit eũ forsan morem secutus sacerdotum, qui animalia in holocaustum litanda colligabant. & vt *per hoc Christi ligatio significaretur ante immolationem ipsius in cruce*, ait Lyranus ex Origine: aram extruxerat eo in monte, ac loco vbi postea Salomon, Iosepho edocente, Templum erexit: Diodorus, Montem ibi Caluariæ cognoscit, quod D. Augu-

gustinus ex Hieronymo probat, nec desunt qui eodem in loco Abelem Deo litasse ouem primum scribant. ibi RR. apud Abulensem, docent illuxisse *columnam ignis*, quæ immolationis aram signauit: petierat, & recte filius, *Pater mi, ecce ignis, & ligna, vbi est victima holocausti?* pater hanc Deo curam ascribit, forsan prophetæ munus gerens prænouerat; si Chrysostomo credis, vnde Origenes apud Gloss. *mouet me Abrahæ diligens, & satis cauta responsio: nescio quid videbat in spiritu:* etenim pueris dixit, *cum adorauerimus reuertemur ad vos*: securus de filij resurrectione post holocaustum vt Origenes, Alcuinus, & Augustinus docent: sed ruit pater in filium, eique propter Deum non parcit, imo moras simul præcipitat, *extenditque manum suam, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum*. grande facinus, ac Deo dignum; num quid oracula, angelorumque promissa peribunt? nequaquam, adest animal, & hominem liberat: completur in ariete sacrificium, & Isaac liber descendit. inclamat Angelus, *ne extendas manum tuam super puerum, nec facias illi quicquam: leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum ARIETEM inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio*: sic aries repromissionis filium redemit: de ariete Lyranus ex Rabbinis inquit, *dicunt hebræi quod ibi fuit paratus à principio creationis Mundi, scilicet sexta die in qua creauit Deus animalia, sed hoc nec ratione, nec scripturæ habet apparentiam, & ideo reputandum est fictitium, propter quod dicendum quod fuit ibi adductus ministerio angelico*: sed verba sacri contextus sacramento non carent; Lxx. *ecce aries post tergum eius tenebatur in virgulto Sabec cornibus*, Theodoretus, & Gennadius in Catena Lippomani, *Sabech* nomen proprium alicuius arboris censent; impugnatque Hieronymus Eusebium Emissenum, qui sic Hircum nuncupatum autumat; & ex Symmacho, Aquila, ac Theodotione vepretum spinis varie implicitum eo nomine perhibet.

104 Portentum memoria posteritatis dignum recenseo an. orb. c. 2083. ante Ch. n. 1865. Isaaci 35. Ismaelis 56. Abrahami 135. Saræ 125. Semi 524. Tharæ 205. quo pluribus

bus adſcriptus emigrauit: Ario Rege Aſſyriorum VII. Ioſephus lib. 1. ant. cap. 14. inquit, *Iſacus tunc annum vigeſimum quintum agebat*, ſed hebræi in chronologia, quam vocant *ſeder Olam Rabba*, tradunt eo tempore fuiſſe 37. annorum, & quia ætas 35. an. veritati magis conſonat, vt alibi dicemus, hanc illi adſcripſimus; & conſentiente Sara eius matre, vti Auguſtinus ait, & Niſſenus de funere Pulcheriæ (licet Chryſoſtomus neget) die 20. Septembris facinus aggreſſus eſt Abraham: non aſſentior *tubarum Feſtum* hinc cæpiſſe. die 1. ſcilicet Septembris, nam ſeptimus hebræorum partem menſis Septembris, ac Octobris partem alteram occupat, vnde prima menſis omnino dies excludatur: alibi de Tubarum feſto diximus, & ex Auguſtino, Hieronymo, ac Strabone, ſi me ratio non fallit, tempus, ac dies non concinnunt: ſed vnde arietem reliqui? imo & Chriſtum Redemptorem? ne lorgior ſim, Ambroſium auoco l. 1. de abr. c. 8. dicentem. *ARIETEM vidit, quaſi præſtantem vtique cætero gregi, & erat ille ſuſpenſus cornibus, vt aduertere liceret hoſtiam illam non eſſe terrenam, & quod carnem ſuam virtute ſuperiore à terris leuaret iuxta quod ſcriptum eſt, cuius principatus ſuper humerum eius: quis enim ea re alius præfiguratus eſt, niſi is de quo ſcriptum eſt, exaltauit cornu populi ſui? cornu noſtrum Chriſtus eſt, qui præſtitit omnibus, ſicut legimus, ſpecioſus forma præ filijs hominum: ſolus, & exaltatus à terris, quemadmodum ipſe nos docet dicens, ego non ſum de hoc mundo, ſed de ſupernis ſum: hunc vidit Abraham in illo ſacrificio, huius paſſionem proſpexit, & ideo ipſe Dominus de eo dixit, Abraham vidit diem meum vidit, & gauiſus eſt: quam etiam ob cauſam vocauit Abraham, nomen loci illius, DOMINVS VIDET, & dicatur hodie Dominus in monte apparuit: hoc autem eſt, quod apparuerit Deus Abrahæ reuelans futuram ſui paſſionem corporis, qua mundum redemit, demonſtrans etiam genus paſſionis cum ſuſpenſum oſtendit arietem, & per virgultum illud crucis patibulum; & in hoc ligno præſtantiſſimus ductor gregis exaltatus omnia traxit ad ſe, vt ab omnibus cognoſceretur, vnde, & ipſe ait, cum exaltaueritis filium ho-*

hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. hæc sunt aurea diuini Doctoris verba è scripturarum penu deprompta, quæ ab alio interprete tandem præsignata noui.

105 Exempla refert Plutarchus Helenæ, & Valeriæ Lupercæ in paralellis, quæ huc referre fert animus, *Pestilentia Lacedæmone vrgente, diuinitus significatum est cessaturam luem, si pro more generosam immolarent virginem. Helena autem cum esset aliquando sorte ducta, & ornata produceretur, aquila deuolans gladium abripuit, & in armentum deferens BVCVLÆ imposuit; quo factum est vt cęde virginis abstineretur*. hæc ille ex Aristodemo in tertia congerie fabularum. *Falerijs grassante peste, oraculo indicatum est finem fore mali, si quotannis Iunoni virgines litarent. ea superstitio cum perduraret, sorte lecta victima loco Valeria Luperca strictum ab ea gladium rapuit Aquila, depositoq; in ea, quæ comburenda igni erāt bacillo, cui exiguus erat præfixus malleus, gladium iniecit BVCVLÆ cuidam prope Templum pascenti. id intelligens Virgo Bucula mactata rem sacram fecit, sublatoque malleo secundum domos circumiuit, leniq; ictu excitauit ægrotantes, VALERE vnicuique dicens. atque hinc est, quod illa sacra in hunc vsque diem peraguntur*. Aristides factum enarrauit lib. 19. Italicorum.

106 Et ne sim multus in oraculis gentilium recensendis, omitto prophanorum exempla, & scripturæ locum, expendo. *postquam impleti sunt dies purgationis eius*. scilicet, *Mariæ* inquit Bernardus, & Augustinus: male Origenes, Theophilactus, & Euthymius *illorum* legunt, non enim ille, qui peccatum non fecerat purgatione indigebat: *secundum legem Moysi tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino: sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur. & vt darent HOSTIAM, secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum:* prima lex Leu. c. 12. altera Exod. c. 13. sic vtrique Deipera legi paruit; obtulit enimuero HOSTIAM pro filio inquit D. Thomas 3. p. q. 37. a. 3. ad 4. & D. Bonauentura de vita Christi, & ambo ex D. Hieronymo, ac Leo-

Leone Pontifice, suadentque verba legis in Leuitico, *cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, vel pro filia deferet agnum,&c.* nec est quod Abulensis sensum inuertat, & purificationem pro filio accipiat, munus ob mulieris expiationem, ita vt teste Serrano, cum partum mulier diebus quadraginta masculinum perficiat, ob dira post Adæ lapsum, tanto dierum spatio à Templi ingressu se abstineat: nam fere omnes *pro filio* oblationem intelligũt, occinitque Origines ho. 14. in Lucam. *par turturum, vel duos pullos columbarum pro Saluatore videmus oblatos.* ipsum sequuntur Augustinus, Rupertus, Beda, Euthymius, Chrysostomus, Hidelphonsus, Cyrillus, Magister Historiæ, Caietanus, cæterique ex quibus vnum auoco, S. Eligium homil. de purific. dicentem, *audistis quod lex ita precepit, vt qui posset pro filio, vel pro filia offerret, agnum, & turturem?* ideo Iansenium temeritatis nota damnandum sapientiores assentiuntur, dum lapsum ob hanc expensionem Augustinum euulgauit. cæteros forsan, vel non legerat, vel sua cæcutiens sententia non intellexerat: at si conferre cupis oracula, Dionysius Carthusianus, Hugo, & Guerricus Abbas pro matre, ac prole hostiam Deo oblatam tradunt: vnde humilitatis fulget arcanum. nam neque mater purificatione indigebat, vti D. Thomas docet 3. p. q. 37. a 4. quia semen non acceperat, per quod fieret obnoxia, vti Origenes, & Titus Bostrensis exponunt. neque filius, qui à superueniente spiritu sancto conceptus, velut sol claustra Deiparæ illustrans pertransijt.

107 Fit subditus ergo, ac legi obnoxius, quia venerat in similitudinem carnis peccati, illumque coram Deo sistũt, vt tanto dicatus Numini non matris amplius, sed Dei esset hostia: sic etenim præceperat Exod. c. 12. 2. *sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filijs Israel, tam de hominibus, quam de iumentis, mea sunt enim omnia*: quod Lucas expressit, *omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur*. Rupertus, Iansenius, & Abulensis, vuluam aperire, primo nasci denotare tradunt: alij cum Origene, & Ambrosio, Christum legem hac seruatum ostendunt, quia ex virgine natus matris clau-

ſtra non violauit: hanc itaque vulgauit per Moyſen legem, quia hebræos redemerat ex Ægypto in manu potenti, & brachio excelſo, eo quo tempore eorum primogeniti apud ægyptios interficiebantur. cauſam Strabus in Gloſ. tradit, *quia occidi omnia primogenita Aegyptiorum in liberatione veſtra*: Lyranus, *ſaluans primogenita hebræorum fuerunt illa Deo obligata*. inſuper Beda addit, omnia vere fuiſſe Dei præcipientis, quia omnia ab ægyptiaca ſeruitute redemerat: & Chriſtus filius Abrahæ ſimul inter reliquos ſiſtit: quis redimet hunc hominem cuius caput aurum optimum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei? illum redimet vtique mater, & ipſa pauper: nam aurum, cæteraque oblata magorum obſequio, inquit Abulenſis, Deo dicauerat: imo Bonauentura, ac Dionyſio edocentibus, in pauperes erogauerat: poterat nihilominus agnum offerre, eoque filium redimere, ſed renuit paupertate gaudens; aliter, & vere pie Nouarinus noſter in Luc. c. 2. ex Cano Epiſcopo factum expendit, *poterat etiam agnum offerre, qua quinque ſiclis filium redemit, ſed abſtinuit, tum quia verum Agnum Chriſtum Deo patri offerebat: tum ne plus afferret, quam conditio ſua ferebat aliena prorſus à faſtu, modeſtiæ cultrix*. quinque ſiclis, ſcilicet, quinque florenis barbanticis, qui faciunt duos aureos Romanos; grande pietatis opus, inquit Bonauentura de v. Chr. *oblatum infantem ſediſſe ſuper altare*, vel Thymiamatis, vel Holocauſtorum; illumque mater Deo litandum videns, rugiebat à gemitu cordis ſui, donec columbarum oblatio filium ab ara redimeret: vere oculi Deiparæ columbarum, quia extunc columbas reſpiciens ob oculos habebat. Nec obſtat cæteros in atrio templi infantes fuiſſe oblatos, ſolus Chriſtus altare inſedit, quia inter multos à Simeone cognitus templi adyta ſolus introiuit, vt impleretur oraculum, *&* *ſtatim ueniet ad templum ſanctum ſuum dominator quem uos quæritis*. erat ille ſacerdos vti Cyrillus Ieroſolimytanus, Epiphanius, pluresque docent: nec erat orbatus oculorum luce, ſicut neſcio quis apud Cyprianum autumat, ſed plenus ſpiritu ſancto legum percallebat arcana, vnde poſt Galatinum, Genebrardus l. 2. chron. tradit, *Hillelis doctoris*,

toris insignis, cuius meminit Hieronymus in c. 8. Isaiæ, *octoginta fuerunt discipuli, clariores fuerunt Ionathas filius Vziel, cuius Paraphrasis Chaldaica in vetus testamentum magna ex parte extat: & Simeon iustus, qui Christum vlnis excepit, in Simeone spiritum Synagogæ magnæ; qui erat prophetico minor, communi maior, defecisse auctores sunt Talmudici in tractatu Pirce Auoth; Rabi Moses Ægyptius, non tantum discipulum, sed Hillelis filium fuisse scribit, Gamallielisque ad cuius pedes Paulus sedens legem didicit præceptorem, imo vero, & patrem*, hæc ille, cuius veritas dum tradionum monumentis innititur, male ab Iansenio impugnatur; potuit ergo Simeon Christum, quem prophetæ prædicauerant, sancto illum edocente spiritu cognoscere, & extra communem cæterorum morem in altare, tanquam in propitiatorio reponere, vt diceret cum Isaia, *vidi Dominum sedentem super solium*, forsan ex tunc mori flagrabat, at turtures, siue columbæ pro Deo suo morientes à morte illum redimisse compertum est.

108 Redemptionis hanc diem, qua animalia Deum à morte absolutum dederunt, mense Februarij patres recoluisse vt Lupercalia euerterent Baronius tangit; at ego nonnulla profero, eaque scitu digna: Ouidius in 2. fast.

Tertia post idus nudos aurora Lupercos
Adspicit, & Fauni sacra bicornis erunt.
Dicite Pierides sacrorum, quæ sit origo
Attigerint latias vnde petita domos.

ad hæc Scholiastes. xv. Kalendas Martias erant Lupercalia: nomen habuerunt à Lupercis quorum plures sodalitates: vna fuit Fabiorum: alia Quintiliorom: & hæ antiquissimæ: addita postea ea Iuliorum ab illo C. Cæsare, cuius institutionis mentio apud Dionem lib. 44. aliquando remissa ab Augusto eodemmet fuerunt restituta: Suetonius, *nonnulla etiam ex antiquis ceremonijs paullatim abolita restituit, vt salutis augurium: Diale Flaminium: sacrum Lupercale*: mansit hoc postea vsque ad Anastasij Imperatoris tẽpora Theodorico Amalo in Italia regnante: hæc ex Panuinio: & in Kalendario rustico, Februarius signatur.

MENSIS. FEBRVAR. DIES XXVIII. NON. QVINT. DIES. HORAS. XI. NOX. HOR. XIII. SOL. AQVARIO. TVTEL. NEPTVNI. SEGETES SARIVNTVR. VINEARVM. SVPERF. COLIT. HARVNDINES INCENDVNT. PARENTALIA. LVPERCALIA. CARA COGNATO. TERMINALIA. cæterum, vide, quæ lib. 1. & 2. de *Vrbe Roma* dedimus.

109 Finem dabunt Plutarchi verba, vbi postquam de superstitione disseruit eleganter ait, *Nonne expediebat magis Gallis istis, & Scytis nunquam in mentem venisse aliquid de Dijs, nihilque eos de vllo numine imaginatos fuisse, aut auditu percepisse, quam opinari DEOS ESSE QVI SANGVINE iugulatorum hominum gaudeant, idque esse perfectissimum sacrificium statuant? nõne vtilius erat Carthaginensibus iam inde ab initio Critia, vel Diagora ad condendas leges adhibito decernere nullum esse Deum, nullum Genium, quam talia sacra facere, qualibus illi Saturno operabantur? vbi non vt Empedocles ait, reprehendens eos qui animalia sacrificant,*


Mutata genitor iugulans sua pignora forma
Immolat, & vanis stultus fecit aera votis.

sed scientes, prudentesque suos ipsi liberos sacrificabant, & quibus nulla erat proles ij à pauperibus INFANTES TANQVAM AGNOS, aut pullos auium ad eam rem emebant, adstabatque mater sine luctu, aut gemitu, quem si ederet, aut fleret pretio mulctabatur, & infans nihilominus mactabatur, & ante simulacrum omnia strepitu, fistularum, tympanorumque opplebantur, ne eiulatus mactati exaudiri posset: quod si Typhones aliqui, aut Gigantes Dijs profligatis nobis imperarent, putas ne alia eos sacrificia, aliosque ritus fuisse desideraturos? Amestris quæ Xerxis fuit vxor, Plutoni duodecim pro se viuos homines defodit, quem quidem Ditem, siue Haden, Plato ait hoc nominis inde habere, quod humanus cum sit, & sapiẽs, atque diues persuadendo, ac sermone animas detineat. hæc ille, additque à Xenophane physico Ægyptios ideo acriter fuisse reprehensos: & antea, *Athenis cum Thimoteus caneret Dianam insanam, furiosam diuino instinctu concitam,*

tam, rabiosam, surgens de spectatoribus Cinesias cantilenarum conditor: talis, inquit, tibi detur filia: atqui similia bis atque etiam deteriora superstitiosi de Diana sentiunt: neque his meliora de Apolline, Iunone, & Venere, omnes enim hos Deos metuunt, ac tremunt; & vero quid tam contumeliose dixit Niobe de Latona, quam de hac credere fecit superstitio fatuos homines? Obijcimus Hecubæ immanitatem, vt Belluinam, & barbaram qua dicit,

Vtinam medium iecur eius — Nacta vorare queam.

at Syriam Deam superstitiosi putant, si quis Mænam, aut APVAM edat eius crura corrodere, corpus vlceribus opplere, iecur colliquare: hactenus ille! & vt scias gentilium deliria, post Mænam, quam antea vidisti, Apuas en offero;



sicque inspicis immanem truculentiam, pessimis quibusuis figmentis occlusam, vt recte cum Tullio de nat. Deorum, Plinio, Euhemero, cæterisque ex gentilibus ambigas, an Numen illud verum aliquo, vel lumine naturæ gentes cognouissent; Apuam appono, non quam Oppianus l. 4. ex Aristotele describit, eam namque vulgus *Nonnata* nuncupat; Athenæus l. 7. *Veneri* sacram illam autumat, oriturque ex spuma maris, vti Archestratus scribit. sed hic Apua Mugillorum est recensenda, vel Engraulis, siue Encrasicholus, isti-namque Dianæ sunt sacri, & Plutarchi locus confert, vt intelligamus arcanum.

GEN-

GENTILIVM SACRA EX HEBRAEORVM abdytis.

CAPVT VNDECIMVM.

110 
Ertullianus, qui à conſultiſſimis eloquentię cultoribus lauream ſcribendi meruit, demonſtrat aduerſus hęreticos gentilium ritus ab hebræorum ſacris habuiſſe originem. *Nec periclitor dicere, ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hereticis materias subminiſtrarent, cum legam, Oportere hereſes eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſent: ſed quæritur à quo intellectus interpretetur, eorum quæ ad hereſes faciant? à diabolo, ſcilicet, cuius ſunt partes interuertendi veritatem, ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum IN IDOLORVM MYSTERIIS ÆMVLATVR; tinguit & ipſe quoſdam, vtique credentes, & fideles ſuos, expiationem delictorum de lauacro repromittit, & ſi adhuc initiat Mithræ: ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat, & Panis oblationē, imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit Coronam; Quid? quod & ſummum Pontificem in vnius nuptijs ſtatuit? habet, & virgines, habet & continentes. cæterum ſi Numæ Pompilij reuoluamus ſuperſtitiones, ſi ſacerdotalia officia, inſignia, & priuilegia, ſi SACRIFICALIA MINISTERIA, & inſtrumenta, & vaſa ipſorū ſacrificiorum, ac piaculorum, & votorum curioſitates cōſideremus, nonne manifeſte diabolus moroſitatem illam IVDAICÆ LEGIS imitatus eſt?* hactenus ille, aduerſus Celſum, quem reprehendit Origenes, aſſerentem ex ſacris gentilium ſacramenta chriſtianorum deſumpta, & antea in apologetico aduerſus gentes c. 19. de Moyſe loquens inclamauerat, *omnes ſubſtantias, omneſque materias, origines, ordines, venas veterani cuiuſcumque ſtyli veſtri, hiſtoriarum cauſſas, & memoriarum; ipſos Deos veſtros,*

ipſa

ipsa Templa, & Oracula, & sacra vnius prophetæ scriniũ sæculis vincit, in quo thesaurus collocatur totius iudaici sacramenti, & inde etiam nostri: si quem audistis interim Moysen Argiuo Inacho par est ætate quadringentis penè annis, nam & septem minus, Danaum, & ipsum apud vos vetustissimum præuenit; mille circiter cladem Priami antecedit; possem etiam dicere quingentis amplius, & Homerum, habens quos sequar. cæteri quoque prophetæ, & si Moysi posthumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores deprehenduntur primoribus vestris sapientibus, & legiferis, & historicis; id ipsum pertractat Eusebius de de præp. eu. lib. 10. c. 3. & praph. in chron. ibi ex Iosepho adu. Apionem, Africano an. lib. 5. Clemente Alexandrino cæterisque Tertulliani sententiam perhibet, quamquam in chronicis firmius dicatur floruisse Moyses tempore Cecropis 300. circiter annis post Inachum, quem sequitur etiam D. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei c. 8. attamen illa Tertull. sẽtẽtia præter citatos, Tatianũ habet, Porphyrium, Clementem, ac Iustinum Martyrem: & nos infra, vbi *de venationis origine*, plura exhibemus, interim ad sacra reddit oratio.

111 Et vt à Mythræ ceremonijs ordiar, noui apud Orpheum Numen illud solis præferre specimen; de quo Porphyrius in com. antri Nimpharum ex 13. Odys. inquit, *Primum Zoroastres apud Persas naturalem speluncam, & fontibus scatentem in proximis Persidis montibus consecrauit, in honorem rerum omnium auctoris, parentisque Mythræ, vt per speluncam, quidem, mundum significaret fabricatum à Mythra*: hactenus ille ex Eubulo, qui Mythræ historiam scripsit, euulgauitque Celsus hæreticus. cuius sacra Crinitus, & Lilius expendunt, præoccinitque Claudianus,

—Defixaque hospite pulchro
Persides, arcanum suspirauere calorem,
Thuris odorata cumulis, & messe Sabaa,
Pacem conciliant aræ penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque iuuencos
Chaldæo strauere Magi: Rex ipse micantem

In-

Inclinat dextra pateram, secretaque pelli,
Et vaga testatur voluentem sidera mythram.

hunc Cyrus apud Xenophontem in Oeconomico *omnium Deorum maximum* nuncupat, forsan quia Hesychio teste, fuit *Deorũ primus:* colebatur in antris vbi aquarũ gurgites inũdabãt, & baptismatis, ac penitẽtię insignia Dœmõ, scripturarum, imo Dei ipsissimi Simius præludebat. cuius de more baptismata posteritas ethnicorum recoluit, nec antea quispiam sacra peregit, nisi viui fluminis ablutus latice; & dum Tertullianus Numæ meminit, Ouidium auoco de ipso in fastis canentem,

Hic geminas Rex Numa mactat oues
Prima cadit Fauno: leni cadit altera somno.
Sternitur in duro vellus vtrumque solo
Bis caput intonsum fontana spargitur vnda.

morem Apuleius enarrat lib. 11. metamorphoseos, *iamque tempore (vt aiebat sacerdos) id postulante, stipatum me religiosa cohorte deducit ad proximas balneas, & prius sueto lauacro traditum, præfatus Deum veniam purissime circum rorans abluit:* Virgilius hanc cæremoniam ad preces rite peragendas astruit, lib. 8.

Surgit, & Ætherij spectans orientia solis
Lumina rite cauis vndam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effudit ad athera voces.

Ouidius lib. 5. fastorum verba profert, & preces,

Ablue præteriti periuria temporis, inquit,
Ablue præterita perfida verba fide:
Siue ego te feci testem, falsoue citaui,
Non audituro numina vana Ioui.

112 Ablutionem hanc Deum sanxisse, ac inter hebræorum sacra legimus, Exod. 29. *cumque laueris patrem cum filijs aqua indues Aaron uestimentis suis:* & ideo Exod. 38. v. 8. *Dei iussu Moses fecit labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi*, Caietanus specula mundietiem æris denotasse tradit: Abulensis, de speculorum integumentis vas factum autumat; at Lyranus rem prodit, *dicunt expositores nostri cõmuniter, quod ista erant mulieres deuotæ, quæ ueniebãt fre-*

frequenter ad ostium tabernaculi ratione cultus diuini, & in signum, quod nolebant amplius intendere ornatui exteriori obtulerunt specula sua, quorum capsea erant ænea, & de ipsis factum est vas prædictum. Rab. Salomon dicit, quod hic est textus verus de speculis mulierum exercitantium, vel circumuenientium ad ostium tabernaculi, & secundum primam significationem exponit dicens, quod mulieres hebrææ quando Pharao voluit impedire multiplicationem populi per generationem opprimendo viros laboribus ne vacarent amplexibus, vxores eorum componebant se ad specula, vt prouocarent viros suos ad actum matrimonij, non libidine ducti, sed prolis amore, & sic procreauerant exercitum filiorum Israel, quorum principes tribuum consistebant ad ostium tabernaculi, & sic vt viderent, qua ratione illos genuissent specula ante ostium aptarunt in labri cælatura: erant forsan ex ære nitenti, ac polito, sicut Plinius l. 35. c. 9. præstantissima describit specula: sed haud vsquemodo me euincit ratio; potius dicendum cum pluribus apud Lyranum, *quod circa labrum æneum erant specula affixa, vt sacerdotes viderent MACVLAS ABLVENDAS, & illa specula fuerunt oblata à mulieribus deuotis*; addit Chald. *illarum, quæ veniebant vt orarent*; placet expositio, quia Glossa Int. & Gregorius hom. 17 in euang. per illas mulieres, *animas sanctas* intelligit; & Glos. mor. per specula *præcepta diuina*: aitque Magnus ille Pontifex *labrum de speculis mulierum fecit, quia lex Dei lauacrum compunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet per quæ sanctæ animæ superno sponso displicuerunt*, &c. si petis ad quid vas æneum? respondet idem Gregorius apud Glos. *vt sacerdotes se lauarent sacrosanctum ingressuri*, vt maculas eluerent, seque componerent indigebant speculis. Plutarchus in præc. coniug. *Socratis est præceptum, adolescentes si in speculum intueantur turpes formæ vitium debere morum virtute corrigere; formosos adhibere diligentiam, ne pulchritudinem prauitate morum contaminent*; imo vt munda quæque exhiberentur, vasa alia deinde Salomon fecit, & MARE ÆNEVM. sic dictum, si hebræorum Rab. fides, ob aquarum capacitatem, cum antea congre-

gationes aquarum appellasset Maria: capiebat enim aquæ *Batos bis mille*, vt exprimitur 3. Reg. c. 7. vel *ter mille metretas*, vt dicitur 2. paral. c. 4. v. 5. *batus namque metreta vna, & semis: librat hanc quantitatem Torniellus ex Iosepho à Ruffino latinitati dato. qui labrum vsque ad summitatem plenum aqua batorum tria millia excipere scribit; cæterum si batus vnus minor, seu metreta vna capiebat aquæ libras, quas vocant paruas 120. facile erit scire quot aquæ libras, unciasque caperet: nam si multiplices 120. per 2000. inuenies aquæ libras 240000. quæ per duodecim ductæ faciunt uncias 2880000. vel si easdem libras 120. multiplices per 3000. erunt libræ 360000. seu unciæ 4320000.*

113 In CANISTRO victimas coram Deo, Dei iussu apposita indigitat scriptura Exod. 29. *Tolle vitulum de armento & arietes duos immaculatos, panesque azymos, & crustulam absque fermento, quæ cõspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de simila triticea cuncta facies, & posita in CANISTRO offeres.* huius sensum literæ præcũctis facit Lyranus, veteres vero vt Mayronius, Beda, Strabo, recentioresque ad tropologiam conuersi, vel morem non expendunt, vel silent: itaque vt lector arcana veritatis agnoscat Lyranum auoco: *Tolle Vitulum in memoriam expiationis peccati Aaron pro fabricatione vituli: & ARIETES DVOS vnum in memoriam obedientiæ Abraham, qui obtulit arietem pro Isaac, cuius obedientiæ debebant sacerdotes imitatores esse: alium pro agno immolato in exitu populi Israel de Ægypto per quem fuerunt liberati ab Angelo exterminatore, & seruitute: (immaculatos:) quia nullum animal habens maculam debebat immolari: Panes azymos ad denotandum, quod sacerdotes debebant esse absque fermento corruptionis, & malitiæ 1. Cor. 5. item quia sacerdotes Idolorum offerebant panes fermentatos: crustula modicus est panis valde tenuis, ita quod quasi totus est crusta, & in pistatione eius ponebatur aqua, & oleum. (Lagana) dicunt aliqui quod erant panes frixi in patella: Rab. Salomon dicit, quod erat pasta cocta in aqua calida, & talem modum cibi vocant Lombardi lagana. (oleo lita)*

ist i linitio secundum expositionem primam erat frixio in oleo: secundum Rab. Salomonem erat figura quadam protracta super lagani cum digito in oleo tincto, & erat illa figura similis literæ Caph. hactenus ille, sed D. Isidorus vtramque expensionem concordat, & Lagani etymum tradit, *Laganum est latus, & tenuis panis, qui primum in aqua, postea in oleo frigitur*. proprie erat placenta è similaginea farina in oleo frixa: at vet.dict.rem fere omnem absoluit, *fiunt Lagana de pasta, quasi quadam membranula, quæ quandoque statim in oleo friguntur, & postea melle condiuntur: quandoque prius in aqua coquuntur, postea in oleo friguntur, illa uero uulgo dicuntur Crustella, ista Lasania*. hæc apud Martinium, qui locum Exodi ex Lxx. Acrone, & Suida pendit.

114 Itaque habemus PANES in sacris, PLACENTAS, LAGANA, VITVLOS, & ARIETES: eaque omnia in canistris, oleoque, ac melle conspersa: & vt à Pane azymo incipiamus: apud Athenæum lib. 3. Deipnosophistarum Sophron, *Placita cuiusdam panis meminit in Mimis muliebribus ait, sub noctẽ me queritat cũ pane placita: idem Tyrontis panis mentionem facit in fabula, cui titulus est Socrus, Pane ut Tyronte recenti uescantur consulo puellulis: Nicander Colophonius in Glossis PANEM AZYMVM Daratum vocat*: hunc in sacris Eleusinorum fere omnes exhibent, ferebaturque in Numinum pompa, Athenæus *Obeliophori* vocabantur, qui super humeris panes illos in pompa gestarent: Socrates lib. 6. appellationum *à Baccho inuentum, cum exercitum duceret panem hunc tradit: Eunites panis is est, quem, & Lecythiten* appellant, vt inquit Eucrates: quod Græcis *ἄρτος*, est gentibus alijs *Panis*: plenitudinem corporis *Paniam* Messapij vocãt, & quidquid corpus implet *Panion*: ita Blesus in Mesotriba, Archilochus in Thelepho, & Rinthon in Amphytrione: *Ἄρτον* Romani *panem* vocant: Naston panem fermentatum nominant, & eum magnum vt inquiunt Polemarchus, & Artemidorus: Heracleon vero *Placentæ* genus esse vult; de quo Nicostratus in Lecto: *Nastos albus ea magnitudine fuit, vt eius crassitudo super canistrum emineret, opercu-*

lo detracto sursum odor euolabat, ac vapor melli quidem admixtus subibat nares; adhuc enim tunc calidus erat; melle namque, & aromatibus conficiebatur, nonnunquā etiam & vuis passis; *de pane rasile* apud Iones scribit Artemidorus Ephesius; apud Neantem Cyzicenum est *Tronos* nomen panis, cuius etiam meminit Codrus: cæterum Scholiastes Aristophanis Daducum, (qui facem postea ferebat) in sacro Cereris panes demore parasse tradit: Mystæ deinde paratum ante altaris pompam efferebant, caussam refert Arnobius; *Eleusinia illa mysteria, & sacrorum reconditi ritus cuius memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquisitione Ceres fessa, oras ut uenit in Atticas TRITICEAS attulit fruges?* hunc sequitur Lactantius, & Augustinus lib. 7. ad Marcellinum c. 20. *dicit deinde multa in mysterijs eius tradi, quæ nisi ad frugum inuentionem non pertineant:* forsan huc respexit vetus in formatione panis religio apud Varronem lib. 4. l. l. vbi etymon sic facit; *Panis, quod primò figuras faciebant mulieres in panificio panis: posteaque figuras facere instituerunt alias.* quid si in illis Cereris imago?

115 Sequitur *Crustula conspersa oleo*: respexit Deus, vt Mosen, & Aaronem instrueret, absque S. Spiritus oleo munus quodcunque Deo esse indignum: vnxit Deus Christum sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech oleo lætitiæ, vnxit & crustulas, vt oblatio litanti responderet, essetque vtrique par gratiæ monimentum: hinc apud gentes oleum in sacris; Plutarchus in Theseo refert ab eo Eiresionem institutam, in cuius libamine, mel, & oleum, frugesque tradit, ac recitat Sophoclis carmina,

Pingueque oliuum, uariumque maxime
Flaua quod apis munere sit Cereum.

Chrysippus Thyaneus Artopoijcon scripsit, scilicet de pane conficiendo. meminitque *panis Cappadocij*, qui oleo condiebatur: Syri panem hunc *Lachman* nominant: Boletinum panem antequam pinsant oleo inungunt: adde Streptitium, Artolaganum, Capyrium, Saturnium, cæterosque panes illitos oleo: potius dicebatur placenta, quam panis. sicque Philemon in Mendico, & Diphilus in Hecate *Dianæ*

triuiæ

triuię sacram hanc exhibet. ac Philochorus tradit *Amphiphontem*, vocari, *Dianęque sacris inferri, et in triuijs ea die, poni, qua Lunam occidentem Sol oriens occupat, et illustratur utrinque cœlum*: sic Delij in Insula Irinæ, Semo auctore l. 2. Deliadis, *Hecatę sacrificant placentas, quas uocant Basynias*, sic Clycinia apud Cretenses paratur ex oleo, & passo, vt ait Seleucus in linguis: *Crustam* vero, quam sacer contextus perhibet inter placentas recensendam assentior, ex eo quod Athenæus in 14. Deipnosophistarum scribit, Chrysippum Thyaneum, refert in opere panario, indigitatque Spiram, Argyrothryphema, Luculios, Libum, Aixapham, ac *Crustam*: & vt patrium morem non obliuiscar, apud Messanenses mos inoleuit placentæ cuiusdam generis, quam Harpocratius Mendesius in libro de placentis effert, aitque *apud Alexandrinos quandam naminari Pancarpiam: ibidem, contrita liba, cocta cum melle, et post cocturam in globosas pilas formata, et congesta tenui papiro colligari, vt cohęreant, ne dissoluantur*; vulgo, *Pignolate*, & in hyeme prope carnispriuium propinquiores hac mutua familiaritate donantur.

116 Expendo insuper illa verba, *LAGANA quoque azyma oleo lita*: expositores eruditissimam cum potuissent expositionem facere siluerunt, nos breuiter ex antiquissimis expensa dabimus. Athenæus lib. 3. Deipnosophistarũ, *Laganum leue alimentum est, parumque nutrit, eo tamẽ minus, qua Apanthracis nominatur*; Lagani Aristophanes meminit, in Concionatricibus, Epanthracidis vero Dyocles Charystius lib. 1. de tuenda valetudine his verbis; *inter lagana cœteris delicatior, et ad coquendum facilior est Epanthracis, uidetur quidem hoc panis genus è pruna coqui, quemadmodum Encryphias apud Athenienses, quem et Alexandrini Saturno dicatum in eius Delubro edendum apponunt cuiuis eo uesci cupienti*: fallitur ergo, qui iuxta Hesychium, vel Pollucem coniecturam facit, apponitque lagana cum nostris lasagnijs: nam Italorum vulgus tenuem, licet, quamsæpe pastam in aqua coctam, oleoque consperſam, vel caseo comedat, non super prunas, sed in olla præpaprat, nisi leuem, extensamq; pultem comparent.

His

117 His itaque libaminibus Vitulorum carnes, & arietum in canistris exhibebantur ad aras: Dionysius Halicarnassæus l. 7. *postea uictimam corio nudantes, membratimque dissecantes è singulis intestinis primitias capiebant cæterorumque membrorum: illas farina igitur hordei conspergentes in CANISTRIS ad sacrificantes afferebant: illi super altare imponentes ignem accendebant, uinumque libantes in eas uictimarum primitias effundebant*; Apollodorus Ceruam pro Iphigenia cæsam in canistris oblatam occinit; & in lib. iudicum c. 6. v. 19. *ingressus est Gedeon, et coxit hędum, et de farinę modio azymos panes, carnesque ponens in canistro, et ius carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, et obtulit ei*. sacrificium hoc Deo per Angelum litandum obtulit; & teste Lyrano, *ex hoc hebręi dicunt quod erat solemnitas paschalis, in qua iudęi septem diebus utuntur azymis, sed hoc argumentum non ualet, quia panes Deo oblati debebant esse azymi etiam alijs temporibus*. Procopius notat, *sacrificium dixisse id, quod ad epulum destinatum erat; Victima enim non coquebatur iuxta legem*; addit D. Augustinus q. 36. in lib. iud. sub quercu sacrificium obtulisse, angelo annuente, licet in Silo, vbi Domini tabernaculum venerabantur esset sacrificaturus, idque exemplo Abrahæ, Heliæ, & Salomonis excusatur. at carnes non nisi in canistro litauit, antiquorum secutus morem, non solum Domini sacerdotum, sed Baal, qui Deū ęmulabātur, cuius aram deinde subuertit.

118 Addo *Vellus* olim ad oracula; & locum Iud. c. 6. 36. *dixitque Gedeon ad Dominum si saluum facis per manum meam Israel sicut locutus es, ponam hoc uellus lanę in aera, si ros in solo uellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam sicut locutus es liberabis Israel, factumque est ita*, Vellus hoc fuerat ex eo quē litauerat agno, quod Chrysostomus probat apud Glossam, *Vellus sacrificia iudęorum significabat, in quibus iusserat sibi dominus pecora offerri*: est namque vellus, ipsum coirum ouis, sic dictum, quia teste Varrone lib. 4. l. l. *pastores Palatini ex ouibus ante tonsuram inuentam uellere lanam sint soliti; ex quo uellera dicuntur*; eoque expanso

ſo apud Deorum Deum oracula expoſcebat, anno ab orbe condito 2687. ante C. n. 1261. Ianiſci Sicyoniorum Regis an. 2. quo Siculi Hiſpanorum genus à Pelaſgis, Aboriginibuſque depulſi Trinacriam occuparunt, ſuoque ex nomine Siciliam dixerunt. idque Philiſtius verſat an. 80. ante bellum Troianum: vt videre eſt apud Dionyſium Halic. lib. 1. ex tunc mos inoleuit, vt oracula velleribus expanſis ſupplices deprecarentur, & vt Tertullianum ſequar, qui Numã à dæmone præmotum, ſcribit, hebræorum ſacra tranſtuliſſe ad gentes, apud Ouidium factum recenſeo lib. 4. Faſt.

Silua uetus, nullaque diu uiolata ſecuri
Stabat, Mænalio ſacra relicta Deo:
Ille dabat tacitis animo reſponſa quieto
Noctibus, hic geminas Rex Numa mactat oues
Prima cadit Fauno: leni cadit altera ſomno.
Sternitur in duro VELLVS VTRVMQ. ſolo:
Veſper vbi eſt tectum ſupra noua vellera corpus
Ponit adorato per ſua uerba Deo:
Interea placidam redimita papauere frontem
Nox uenit, & ſecum ſomnia nigra trahit,
Faunus adeſt, ouiũq. premens pede VELLERA duro,
Edidit à dextro talia uerba toro.

Strabo lib. 6. geog. morem eundemque enarrat; & nos in Apocalypſis cap. 1. plura diximus.

119 Tranſeo, & locum Clementis Alexandrini in hortatoria ad gentes expendo, *Dionyſium Menolen orgijs Bacchi celebrant crudarum carnium eſu ſacram agentes inſaniam, et c'æſarũ carnium peragunt diuiſionem coronati ſerpentibus ululantes Euan, Euam illam per quam error eſt conſecutus, et ſignum Bacchicorum orgiorum eſt SERPENS myſterijs initiatus: ea uero ſi accurate uox ſpectetur hebraica, nomen Heuia aſpiratum exponitur ſerpens fæmina*: locus arcanum reſpicit, vel ſerpentis Euam decipientis, vel ſerpentis Ænei in deſerto, de quo Num. c. 21. de illo D. Thomas 1. p q. 94. a. 4. vbi ait, allectam mulierem nouitate loquelæ cecidiſſe. dæmon etenim ardẽs inuidia pellere nitebatur homines, eoſque in barathrum ſecum præcipites impellere vti Seuerianus, Procopius, &

Au-

Augustinus lib. 14. de ciu. Dei, cap. 11. docent: hinc error Iosephi l. 1. ant. c. 1. quem irridet Abulensis, dum loquentem suapte natura inducit serpentem: cuius verba dabimus infra, cum de animalium loquela: idque in Politico Plato affirmat apud Eusebium pr. eu. l. 12. Eugubinus in Cosmopæia Cyrillum auocat l. 3. adu. Iulianum apost. illumque nequaquam verum serpentem, sed fictum à dæmone, ac eius impulsu colloquentem prodit: Caietanus proprium fuisse dæmonem, ex scripturæ oraculis contendit, serpentis inuolucro suadentem mulierem; sed potius serpentem suscepisse, cuius organum ad humanas aptauit voces, vel falso vt deciperet: traditque Augustinus l. 14. c. D. c. 11. *animal lubricum, et tortuosis anfractibus mobile, et operi suo congruum per quem loqueretur elegit, eoque per angelicam præsentiam, præstantioremque naturā spiritali nequitia sibi subiecto, et tanquam instrumento abutens fallaciam sermocinatus est fœminę*; imo & venenum euomit, quo hausto mulier mutauit aurum optimū gratiæ in carbones denigrantes illam super orcum: audi Prudentium in Enchir.


Heu, columba fuit tum candida: nigra deinde,
Facta per anguineum malesauda fraude uenenum
Tinxit, et innocuum maculis sordentibus Adam
Dat nudis ficulna draco mox tegmina uictor.

hinc assentior imo, & credo *Cerasten* habuisse dæmonem velut organum, illudque impietatis monumentum, quo exprimitur Antichristus assumpsisse, vt deciperet: de ipso Nicander, & antea sacer contextus, *fiat Dan coluber in uia, CERASTES in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro*. Gen. c. 49. v. 17. D. Ambrosius de ben. patr. c. 7. *prænuntiat Antichristum qui futurus est ex tribu Dan sęuus iudex*; num quid nonne hic ex patre diabolo? quid illo nequior? quid elatior? Reusnerus,

Cornua prætendens immania fronte Cerastes
Dum torquet spinam sibilat ecce uagus.

spolium dæmonis vide, & cum Alberto, Olao, ac Nicandro damna.


Vel



120 Vel serpentem æneum, quis intelligens, ad sanitatis arcanum, epulumque hebræorum respiciet: enimuero Num. 21. & sap. cap. 16. *misit Dominus in populum ignitos serpentes: et cum illis superuenit sęua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur*; male Hugo ad serpentes ægyptiorum sensa deuoluit, nam inquit Abulensis in c. 2. Num. 9. 7. *decebat, ut quos ceperat fastidium manna in quo erat omne delectamentum saporis punirentur per serpentes, quibus quęcunq ue comedunt uidentur terra*; quo ductu Rab. Salomon hebræos non solum à serpentibus, sed omnium iumentorum morsibus, quæ secum deferebant afflictos, tradit; forsan ex eo Mosis Deut. 32. 24. *deuorabunt eos aues morsu amarissimo, dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque SERPENTIVM*: Abulensis credit ab Africa collectos serpentes, de quibus Nicander occinit, & Solinus c. 30. vel ab Arabiæ terra deserta, & inaquosa, angelorum ope congregatos ad populi exterminiũ: ignem veneno missum morsibus intulisse Hugo, Holcaster, & Abulensis demõstrant, ex eo quod illos scriptura *ignitos serpentes* nuncupat: si quis epistolam Alexandri ad Aristotelem legisse se meminit proculdubio populorum exterminium præ oculis conspiciet; percussi siti, tabe, ac delirio emigrabant. & quia misericordia superexaltat iudicium: iussit Deus Moysi, vt faceret serpentem æneum, *et poneret pro signo, qui percussus aspexerit eum*, inquit, *uiuet*; fecit ergo Moyses *serpentem ęneum, et posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent sanabantur*. proh mirum!

Q Rab.

Rab. Dauid Kimhi, iuxta medicorum arcana, æris aſpectum enecare à ſerpentibus percuſſos docet, Deumque contrarijs, neque noxia ſanaſſe iam perditos; ſicuti maſſa ficuum Ezechiam curauit, ac ligno amaro amaritiem ſanauit aquarum: vel Auguſtino auctore, ſicut ſerpentum ictus ſerpentis adipe curantur, altiſſimus de cœlo medicus curam de more eandem geſſit. Ruffus erat ſerpens, teſte Oleaſtro; & iuxta ſapientiæ oraculum adinſtar colubri coronam gerentis in capite; Rabbinorum ſcola, neque alatum, neque Draconis forma illum effingit, ſed recte coronatum, lubricum, ac tortuoſum, vti iconem vides:



hunc exaltauit, vt videntes ſanarentur: vim ſupernaturalem Abulenſis in illo recenſet, æris virtutem omnino præcellentem, vnde B. Thomam Alberti Magni præceptoris ſui caput confregiſſe æneum ſcribit: Theophanes Ceramenus Archiepiſcopus Tauromeniæ in Sicilia hom. in dom. ante exal. cruc. *ænigma* hoc facinus nuncupat, & ad dominicæ crucis myſterium refert, ſicut Seuerianus Gabalorum Epiſcopus orat. ded. S. C. probat, ex eo quod ſculptile dominus præceperat non faciendum in populo, conflatūque Vitulum Moſen comminuiſſe, *at ſerpentem in populi ſalutem*

salutem constituit, vt eiusmodi experimento exercitatus Crucis imaginem, & seruatorem, ac redemptorem in ipsa pendentem precognosceret: Tertullianus insuper adu. Marcionem c. 4. canit,

Exuit exuuias carnis, & debita mortis
Serpentis spolium, deuicto principe mundi
Adfixit ligno refugarum immane tropaeum.
In cuius signum Moses suspenderat ANGVEM,
Vt quotquot fuerant multis serpentibus icti,
Adspicerent ipsum fictum, fixumque draconem.

121 Itaque morientes solo intuitu curabantur, eo quo tempore vitae, ac virium subsidio destituti agebant animam; nam vt exemplar habeas, audi Lucanum Lybicum serpentem sua in Pharsalia occinentem, ac ab eo percussũ,

Ecce subit virus tacitum carpitque medullas
IGNIS EDAX, calidaque incendit viscera tabe:
Ille vel in Fanaim missus, Rodanũq; Padũq.—Ardet.

infelix de salute tunc certior factus serpentem aereum inspiciebat, non adorans, vti Sanderus, & Catharinus in op. de ad. imag. scripserunt, sed spe Mesiae gratiam excipiens curabatur: praecipue quia Rabbinorum magister *Rabbenu hakkados*, quem *sanctum* nuncupant, Galatino teste li. 6. cap. 15. serpentem sustulisse in virga sua Moysen tradit, qua dum portenta coram populo Deo iubente, ediderat, miraculorum hoc maximum edidit: sanati ergo non solum ipsi serpentis intuitu, sed etiam ipsorum iumenta, vti Abulensis docet, hylares epulabantur, ac serpentes pro nihilo existimantes festiue carnibus vescebantur, & illudentes quos antea carnifices intellexerant, capita illorum exuuijs, pectora, brachia circumducentes vociferabantur, cursu velocissimo amicorum tabernacula circumibant, ac si prae gaudio bacchãtes, serpẽtũ corpora ostẽtabant, simulq; serpẽtũ *Heuia, Heuia* nomina inclamabãt, quos attrectãtes, vel à morsibus se abstinebãt, vel mordẽtes non laedebant: Festum hoc Bacchicum gentilium dedit Festum: quod si recẽseas: voces, serpentes, excursus, carnesque semicrudas ob famis peruicaciam post iugis inediae malum, vtrumque cognosces.

122 Vitulum, tandem, in deserto Aaronis ope conflatum exhibeo, moresque deduco: Exod. 32. 4. *dixit Aaron tollite inaures aureas de vxorum filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me, quas cum ille accepisset formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem: dixeruntque HI SVNT DII TVI Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* causam tantæ impietatis moram Mosis in monte sacer contextus exhibet, *videns populus quod moram faceret Moyses congregatus aduersus Aaron dixit, surge fac nobis Deos, qui nos praecedant*, absque Deo pergere haud posse credebant, & tamen Deum pellere ex animo tentabant: sapiens Aaron mulierum auaritia eos tentare curauit, petijtque inaures filiarum, ac vxorum vt ipsis reclamantibus pessimum non admitterent facinus, inquit Lippomanus, simulque Theodoretus, Abulensis, & Caietanus; tentauerat eos Sathanas, & vanis colorum imaginibus mortuum iam Mosen ostentauit, quod ex Rabbinis Lyranus sic tradit, *dicit Rab. Salomon, quod Moyses recedens de castris volens ascendere ad Dominum dixit se redditurum quadragesima die circa horam sextam, populus autem intellexit, quod dies sui recessus esset de numero illo, sed non erat, quia Moyses intelligebat de diebus naturalibus integris, dies autem illa non erat integra, quia tota nox praecesserat, & aliqua pars diei artificialis: trigesimo autem nono die, quem populus credebat esse quadragesimus, Sathan turbauit aerem, & ostendit similitudinem FERETRI, dicens quod mortuus esset Moyses, & tunc populus concitatus fuit ad fabricandum Idolum, cuius nutu deducerentur loco ducatus Moysi*; hæc ille; hinc clamor ad Aaronem pontificem, *fac nobis Deos, qui nos praecedant*. ad hæc Theodoreto auctore apud Glos. *primum impetum populi compescere tentauit Aaron, sed postquam intellexit populum non acquiescere aureas inaures postulauit, vt animũ ornatus, pecuniarumque maxime amantem superstitionis insania tanquam militem militi apponeret. verum ne hac quidem ratione rabiem illorum extinxit, quapropter VITVLVM FORMARE COACTVS EST*; agnosce insaniam,

niam, *fac nobis Deos*, num quid non Deus terrarum cuncta in orbe fecit? audiat gentilis, *sine ipso factum est nihil*; vere simulachra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum, eodemque pacto vitulus surrexit in Deũ; enimuero, postquam, teste Rab. Salomone apud Lyranũ, Hur interfecerant populum ab impietate auertentem, detulit populus inaures ad Aaron, *quas cum ille accepisset formauit opere fusorio, & fecit ex eis VITVLVM CONFLATILEM; dixeruntque, hi sunt DII TVI Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti: surgentesque mane obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus MANDVCARE, ET BIBERE, & surrexerunt ludere*; Moncelius Rabbinos adducit, qui docent; vitulum Magorum ope, qui ab Ægypto hebræos sequebantur conflatum; Lyranus ex Rab. Salomone, *Aaron primo depinxit cum stilo in tabula formam vituli, & tradidit artificibus, vt facerent ad similitudinem illius; quia Apis qui reputabatur maximum Numen Ægypti apparuerat eis in Ægypto in specie Tauri*: Glossa Strabi, obseruat illud, *fac nobis Deos*, inquit, *cum vnus tantum vitulus factus sit ad similitudinem bouis Apis, quem in Ægypto coluerunt, sed qui Idololatriam colit omnibus vitijs se subijcit, & quasi tot Dijs, & dæmonibus quot vitijs seruit*; hactenus ille.

123 Sed vt verum fatear, Ægyptij ab hebræis vitulos receperunt vt tanquam Numina colerent: etenim Apis nomen primum Ægyptijs innotuit an. O. C. 1978. ante C. N. 1970. cum Telchino III. Sicyoniorum Rege, qui regnauerat an. 20. defuncto Apis successit, à quo Peloponnesus Apia dicta fuit; regnauitque an. 25. vt Africanus tradit; anno ætatis Noe 924. Semi 428. Abrahami 30. Nahor 129 Semiramidis Assyriorum Reginæ an. 21. fuit deinde alter Apis Argiuorum post Phoroneum Rex III. ac Africano auctore præfuit an. 35. & an. O. C. 2212. Memphim in Ægypto vrbem condidit, quam Apollodorus ab Epapho voluit conditam: poro Apis, inquit Herodotus ab Ægyptijs, à Græcis *Epaphus* appellatur, licet Ælianus neget. fuitque Vrbis primordium an. 9. Regni sui; obijt an. O. C. 2238. & Argus nepos Phoronei ex filia Niobe, quam com-

122 pref-

presserat Inppiter succedit Argiuorum Rex IV. & si Africano fides, Argiuorum vrbem construxit: cæpit imperium eo quo anno Iacob ingressus est Ægyptum, ac filium Iosephum quem ploranerat mortuum reuisit: sic simul è viuis exeunte Api, hebræorum gens introiuit Ægyptum; ibiq; sicut postea Moses scripturarum arcana vulgauit, cæperunt sacra edicere, & incipientes ab orbis primordio sacrificium forsan recensentes Abelis, miraculum illud enarrarunt caput VITVLI, scilicet flammarum ab ethera erumpentium in medio fulgens descendisse, vti apud Genebrardum in chron. testantur Rabbini; & sic quæ ad spem Messiæ cælitus coruscabant, ad idololatriæ facinus conuerterunt: proh cæcutiens gentilium gens? inde inter litandum Regem suum Apim in Vituli apparuisse specie somniarunt; idque occinit sententiæ Rab. Salomonis apud Lyranum in c. 32. Exodi, vbi ait Apim in Tauri formam se illis exhibuisse; hinc *Tauripolium* Dianæ templum in Samo, apud Strabonem l. 4. Marti insuper sacrum; & post Iphigeniæ hostiam Taurus ornabat aras, in Ægypto Memphis fere tota taurorum imaginibus ornabatur; imo numorum cælatura illos ostentat.



124 Hinc commessationes, hinc ludi, nam inquit sacer

cer contextus, *sedit populus comedere*, teste Lyrano, *de immolatis coram idolo, & surrexerunt ludere:* quod deinde Theseus apud Plutarchum, cæterique sanxerunt: de quibus alibi; nunc obiter Apim describimus; Lactantius lib. 4. c. 10. *Aureum caput bouis* fuisse tradit, Pomponius Mela, *Apis populorum omnium Numen est, BOS NIGER certis maculis insignis; & cauda linguaque dissimilis aliorum: raro nascitur, nec coitu pecudis, sed diuinitus, & cælesti igne conceptus, diesque quo gignitur genti maxime festus est*: ab Ammiano Marcellino Lunæ sacer nuncupatur: & ex Aristagora plura Plinius, Ælianus, ac Marcellinus, & nos alibi nonnulla scripsimus.

125 Serapin in Ægypto nouimus, quem teste Diodoro alij *Dionysium*, alij *Iouem* dicunt, participemque malignorum dœmonum Eusebius de pr. e. l. 4. ex Porphyrio nuncupat. *eius Templa altis suffulta fastigijs*; ab Ammiano describuntur, *atrijs columnarijs amplissimis, & spirantibus signorum figmentis*; hunc Reges venerabantur, & veluti Numen terrarum orbi conspicuum Germanicus Cæsar religiosissime coluit, & vsque ad Theodosij Magni ætatem, qua à Theophilo Patriarcà percussus ingniominiose corruit ingenti veneratione percelluit, vti Suidas, ac Sophronius scribunt: hic Serapis non diuersus à Iosepho Ægyptiorum saluatore à sapientissimis recolitur, testatur id ipsum Ruffinus in hist. eccles. *Serapin alij Iouem putant, cuius capiti modius superpositus, vel quia cum mensura, modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi: alij virtutem Nili fluminis, cuius Ægyptus opibus, ac fecunditate pascatur, quidam in honorē NOSTRI IOSEPH formatum perhibent simulachrum ob dimensionem frumenti, qua famis tempore subuenit Ægyptijs*. cæterum quæ de Noè dicuntur ad Dionysium referunt. facinora Eliæ ad Phaetontem: Samsonis fortitudinem ad Herculem, & pleraque ab Eusebio, & Augustino apprime comparata.

GEN-

GENTILES CVR ANIMALIA VELVT NVMINA coluerunt?

CAPVT DVODECIMVM.



126 Entilium superstitio eo vsque peruenit, vt animalia tanquam Deos coleret, arisque, ac libaminibus veneraretur: quod ex ipsissimis gentium sapientibus, præter Euemerum, Diagoram, ac Theodorum, sapientissimus omnium Socrates exprobrauit, & constantem haud citatam haurire renuit, posteritatem monẽs de superstitione Atheniensiũ erga bruta: & Clemẽs Alexandrinus in adhort. adu. gentes, postquam turpissima gentilium Numina exhibuit, inclamat, *Et quanto melius Ægyptij, qui vicatim, & per Oppida BRVTA COLVERVNT ANIMALIA, quam Græci, qui tales Deos adorant? illa enim, & si sint feræ, non sunt tamen adulteræ, nec stupro, ac fornicationi dedita; hi autem quales sint quid opus est amplius dicere, cum satis eos conuincerimus? porro autem Ægyptij dispersi sunt in varios cultus, ac religiones: ex his Euenitæ quidem colunt piscem Phagrum, Mœoten autem (est vero hic alius piscis) colunt qui habitant Elephantinam, Oxyrinchitæ autem piscem similiter, à quo eorum denominatur Regio; præterea autem Ichneumonem Heracleopolitæ, Saitæ autem, & Thebani Ouem: Lupum autem Lycopolitani: Canem Cynopolitani: Apim Memphitani: Hircum Mendesij: vos autem, qui estis Ægyptijs omnino meliores, vereor autem dicere deteriores, qui non cessatis ægyptios ridere quotidie: quales vos quoque estis in Bruta animantia? ex vobis quidem Ciconias honore affecerunt Thessali propter consuetudinem: Thebani autem Mustelas, propter ortum Herculis: quid vero Thessali rursus dicuntur colere Formicas, quoniam didicerunt Iouem assimilatum formicæ, coijsse cum Eu-*

ryme-

rymedusa filia Cletoris, & genuisse Myrmidonem? Polemo autem refert eos qui habitant circa Troadem colere Mures, qui sunt in his regionibus, quos ipsi appellant σμίνθυς, *quoniam arrodebant chordas arcuum bellicorum, & Sminthium Apollinem ab illis Muribus appellarant: Heraclides autem, dicit in ædificationibus Templorum in Arcanania, vbi est Actium promontorium, & Templum Actij Apollinis, Bouem prius sacrificari muscis; neque vero obliuiscar Samiorum, qui Ouem colunt, vt dicit Euphorion: sed nec eorum qui colunt Phœniciam Syrorũ, quorum alij quidem Columbas, alij vero Pisces, tam impense colunt, quam Elei Iouem*: hæc Clemens. & alibi plura.

127 Causam nihilominus perpendissem, sed quia Ethnici illam passim delirantes ostendunt, ab ipsis petendam assentior: Ælianus l. 11. h. a. 10. postquam de Api Ægyptiorum numine disseruit inquit, *Extat & propheticus quidam sermo non passim notus, Ægyptiorum Regem Menin*, (alij Mneuin habent) *nomine, quum inquireret, quodnã potissimum animal esset colendum, cæteris omnibus TAVRVM prætulisse, quod illum omnium esse fortissimum iudicaret, Homeri quidem secutus hac in re, vt ferunt vestigia in Iliade canentis; Taurus in armento præcellit, vt omnibus vnus dux gregis, ac princeps*; Heraclides ob terræ culturam bouem coluisse tradit, annuitque Theocritus, nec male Aelianus ibid. *Apin sane Aegyptij etiam Oro comparant, quem frugum prouentus, & totius anni fertilitatis præcipuum esse auctorem existimant*. sed quia latet arcanum Macrobij verba ex 1. sat. c. 21 auoco, vt innotescat, *Taurum ad Solem referri multiplici ratione ægyptius cultus ostendit, vel quia apud Heliopolim Taurum soli consecratum, quem Netiron*, siue ex M. S. Neuton, *cognominant, maxime colunt: vel quia Bos Apis in ciuitate Memphi Solis instar excipitur; vel quia in Oppido Hermunsi magnifico Apollinis Templo consecratum Soli colunt Taurum Bacchin cognominantes insignem miraculis conuenientibus natura solis, nam & per singulas horas MVTARE COLORES affirmatur, & hirsutus setis dicitur*

R inad-

inaduersus nascentibus contra naturam omnium animalium, vnde habetur veluti imago solis inaduersam mundi partem nitentis. hæc ex Plutarcho, Democrito, & Aristagora; & nos plerisque in locis plura enarrauimus.

128 Ergo *ob culturam* veteres Apin, Bouesque coluisse compertum est, imo Taurum Apollinem nuncupasse, eique olim primitias frugum sacras legimus. Pausanias in Atticis, *in Prasiensibus (populus est Atticæ) Apollinis est Templum, quo Hyperboreorum primitias mitti aiunt: eas enim Hyperborei Arimaspis committunt: Arimaspi Issedonibus; ab ijs acceptas Scythæ Sinopen, inde ad Prasienses Græci deportant: eas deinde Delum Athenienses mittunt; absconditæ quidem illæ in triticea stipula sunt, neque eas, cuique fas est intueri*: si autem per Apin intelligis Dionysium, Damaratus, (cuius fragmenta nuper vidimus) auctor græcus id ipsum perhibet, *per festum Dionysij diem apud Athenienses, Virgines nobiles, quæ ad pubertatem accesserunt, tum primum canistros ferebant, qui canistri erant ex auro confecti, in quibus omnium fructuum imposita erant primitiæ*. festum *Haloa* recensebant veteres, cuius meminit Athenæus lib. 13. Deipnosophistarum ex Demosthene in or. contra Neæram, & Eustathius in 1. Iliad. festum istud Bacchi, ac Cereris fuisse prodit, *sciendum est quod post comportationem frugum, sub quam Thalysia quoque sacrificabantur, festum agebatur Cereris, & Bacchi secundum Pausaniam Haloa nuncupatum, quod ex aera (quam Græci vocant Halon) delatæ Eleusinem primitiæ tunc absumerentur*. hactenus ille, Harpocration, & Suidas ex Philochoro id ipsum scribunt. Sophocles apud Plutarchum in Theseo,

Erat enim vellus, et erat vitium
Libamen, vuaque probe recondita,
Eratque fructus mistus omnis generis.

fruges vero in ara apponebantur, sicut ex ruderibus collapsæ Vrbis altare exhibemus.

Alij



129 Alij ope dæmonum infeliciter seducti bruta Deorum obsequijs prosequebantur, vnde recte in sap. c. 15. v. 16. *nemo sibi similem homo poterit Deum fingere: sed & ANIMALIA MISERRIMA colunt: insensata enim comparata his, illis sunt deteriora:* quibus verbis, ait Bonauentura idololatrarum ignorantiam denotare, & Paulus in epist. ad Rom. c. 1. *mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & VOLVCRVM, & QVATRVPEDVM, & SERPENTVM*. idque insipientiam arguit, quam in Babyloniorum Rege damnauit Daniel, etenim c. 14. *erat Daniel conuiua Regis, & honoratus super omnes amicos eius; & erat DRACO MAGNVS in loco illo, & colebant eum Babylonij, & dixit Rex Danieli, ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit Deus viuens, adora ergo eum;* de hoc rege plura expositores inquirunt, Pintus ait, cum Astyages, hoc est Darius, filius Assueri, Rex Medorum excessisset è vita obtinuit Regnum eius Cyrus Rex Persarum, qui familiariter vtebatur Daniele: itaque per Astyagem intelligitur Darius Auunculus Cyri, qui Darius, & Astyages appel-

labatur, eoque defuncto Cyrus regnauit, hæc ex illo, ergo si circa initium Regni Cyri Daniel serpentem interfecit, facilè annorum computum exhibere poterimus, regnauit etenim ille Astyagis Medorum Regis ex sorore nepos an. O. C. 3391. captiuitatis Babylonicæ 40. fuitque ab vrbe condita 192. ante C. n. 557. Nabonassaris 187. itaque Cyrus, vt Daniel draconem coleret tentat, eumque viuentem Deum demonstrare conabatur cibis quibus vescebatur: simile enarrat Ælianus h. a. l. 11. c. 17. dicens, Non temere canit Homerus, *Conspexisse Deos homini, non vtile, non fas: nam & DRACO SACER, ac venerandus diuinum in se aliquid habet, quodque præstet ignorari; nempe in Melite Ægyptia Draco diuinis honoribus afficitur in turri quadam, adsunt ei sacerdotes, & ministri, mensa, & Crater ponuntur. Crateri quotidie immittunt libum ex farina subacta melicrato, & recedunt, postridie reuersi Craterem inueniunt vacuum, & cum aliquando maximus natu summo videndi draconem desiderio teneretur, solus ingressus, & libo proposito recessit, & mox dracone mensa conscensa epulante, ille subito magno cum strepitu fores, quas pro more clauserat, aperuit, draco indignatus abijt, at ille viso quem voluerat suo quidem malo mente captus, & suum confessus crimen mox obmutuit, & paulò post collapsus interijt*. hinc colligitur, quare insipiẽtes corde animalia colerent: Deum verum ignorantes tyrannidem dæmonum timebant, qui illos truculenter cum exterreret ad religionis obsequium coarctabat. Herodotus etiam lib. 8. in quadam Atheniensium arce serpentis meminit, quem libamine ex melle, ac pulte nutritum venerabantur. sed Daniel Dei suffultus numine, *tulit picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter fecitque massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco*: locum hũc Virgilius expressit, vbi pro dracone Cerberum occinit: lib. 6. æneid.

Cerberus hic ingens latratu regna trifauci,
Personat, aduerso recubans immanis in antro.
Cui vates horrere videns iam colla collubris
Melle soporatã, & medicatis frugibus offã obijcit, &c.

Cer-

Cerberum serpentem Seneca in Her. Furente vocat;

—Ecce latratu graui

Loca muta terret, sibilat totos minax

Serpens per armos, vatis orrenda fragor

Per ora missus terna, felices quoq; —exterret vmbras;

130 Ad hominum insaniam, accedit vana, & incerta fides scriptorum, qui posteritatem erudire ausi sunt. anilibus fabulis, tanquam religionis arcano haud perscrutando, idque docet Athenagoras in leg. pro Christ. ad Antoninum, & Comodum Imp. *Orpheus qui nomina Deorum inuenit primus; & generationes, & gesta singulorum carmine prosecutus est, & in explicandis rebus diuinis caterisque fide dignior visus est, quem & Homerus cum in alijs multis, tum circa Deos maxime sequitur, similiter primam eorum generationem ex aqua constituit;*

Oceanusque Deis cunctis communis origo.

fuit enim aqua secundum ipsum, principium omnium: ab aqua subsidente creata est Ilys, hoc est lutum, his parentibus ORTVM EST ANIMAL DRAGO: cui adnatū erat caput LEONIS, corpus vero medium continebat faciem Dei Herculis, aut Chironi dicti; ab Hercule natum est OVVM immensa magnitudinis, quod cum completur, & incubatur, ac fouetur vim passum à genitore suo ex attritione in duas partes dissilijt, & superior quidem in cœli formam perfecta est, inferior vero delapsa terram constituit, itaque terra iam integro corpore, iamque Dea prodijt. hactenus ille, & mundi originem DRACONI adscripsit, ac si ab eo animali cætera fuissent, hunc sequitur Homerus, & Hesiodus imo Aristoteles, teste Plutarcho, Deum à quo cuncta emanarunt, velut animal grande effinxit, illudque *ex anima, & corpore compositum*, sicut Eusebius pr. eu. l. 1. c. 7. obseruat, nec male Athenagoras, *Aristoteles, eiusque sectatores Deum, & ipsi vnum celebrant, sed illum tanquam ANIMAL quoddam ex corpore, & anima componunt, corpus eius æthereum, vel ipsum ætherem esse arbitrati, & stellas erraticas, & siderum fixorum sphæram, quæ in orbem suo motu aguntur, animā vero ratione motionis istius, quæ quidem ipsa non moueatur,*

tur, sed corporis motum efficiat, eique præsit; non ergo mirum sit, si sedentibus in tenebris, & vmbra mortis animal velut Numen effulsit.

131 Plutarchus lib. 1. de plac. phil. apprime rem perpendit dicens, *qui cultum Deorum nobis tradiderunt tribus formis vsi sunt: naturali, fabulosa, & testimonio legum: naturalem Philosophi, fabulosam poetæ docent, leges suas singulæ habent ciuitates: tota doctrina in septem tribuitur partes, prima est eorum, quæ in cœlo, & sublimi fiunt obseruatio: homines enim cæperunt Deum agnoscere cum viderent stellas tantam concinnitatem efficere, ac dies, noctesque, æstate, & hyeme suos seruare statas ortus, atque obitus, indeque terram animantia, & fructus proferre: itaque pro patre cœlum, pro matre terram acceperunt, patrem illum quod aquam instar seminis effunderet, matrem hanc, quod conciperet, & pareret: cumque viderent stellas perpetuo moueri, & in causa nobis esse, vt solem, & lunam contemplaremur, Deorum ijs nomen fecerunt à cursu ductum: secundo, & tertio loco Deos distinxerunt in VTILES Iouem scilicet, Iunonem, Mercurium, ac Cererem, & DAMNOSOS diras, furias, Martem, quos vt violentos, & sæuos placant sacris, atque auertunt: quartum, & quintum locum rebus, & motibus animi adsignauerunt, vt amori, Veneri, & desiderio, & de rebus spei, iustitiæ, ac æquitati: sextum locum figmenta poetarum occupauerunt: Hesiodus enim cum genitis Dijs vellet patrem statuere, hos Deorum genitores protulit;*

Cœlumque Indupenantem, Iperionaq; Iapetumq.

septimus ijs est tributus, qui ob beneficia in vsum communis vitæ collata honoribus diuinis sunt affecti, humano nati more, vt Hercules, Castor, & Pollux, ac Bacchus: sic causas ob quas Deos vetus religio coluit sapiens ille recensuit: & antea Varro, ac Ennius. quos alibi auocasse sufficiat.

132 Alias causas apud Heraclidem, & Apollodorum legimus, imo penes Ælianum, qui lib. 10. c. 14. inquit, *Accipitrem Apollini consecrant Ægyptij, et venerantur: Oron sua lingua Deum hunc appellant, auem autem eiusmodi*

modi

modi Thaustum nominant, cum Apolline iccirco conuenientiam habere aiunt, quod de auibus soli accipitres semper nullo negotio aduersos solis radios intuentur, neque intentis oculis sursum versus iter suscipere grauantur, nec diuina flamma offenduntur. Contra etiam quam cætera aues supino interdum volatu ferri accipitres quidam obseruarunt; quo quidem corporis gestu cœlum intuentur, ac rerum inspectorem omnium libere intrepideque aspectant: iidem ipsi serpentibus, et venenatis bestijs inimicissimi sunt, nec etiam ipsos serpens, vllaue alia mala bestia latere potest. Nullas fruges edunt: sed et carnes vorant, et sanguinem exorbent iisdemque suos alunt pullos. ad libidinem sunt inflammatissimi. os tibiæ illorum si ad aurum admoueatur; sic ipsum illecebra quadam mirabili ad se allicit quemadmodum Heracleoten lapidem sua vi prædicant quasi præstigijs, et captionibus ferrum ad se attrahere. huius alitis vitam Ægyptij dicunt ad annos vsque septingentos pertingere, quibus ego non facile crediderim. Homerus Accipitrem Apollini, et Latonæ gratum esse insinuare videtur, vbi de Apolline canit: Ille per Idæos mõtes descendere pergit Accipitri similis celeri, solitoque palumbos infestare; sic in Accipitre Ægyptij Deum agnoscũt. dum serpens illius capite insignitus diuinitatem ostentat, Pierius lib. 21. *ab Eusebio fertur, à Zoroastro traditum, Deum Accipitris habere caput:* apud Adamantium *Apollinis Nuncius* nuncupatur, quia Euanthe auctore, sacer censetur soli: imò Plutarchus propter eximiam videndi facultatem hunc Osyridem, ac solem appellat: & forsan ob fœcunditatem, quæ tres testes habens pollet; eoque nomine Timæus in hist. Agatoclem Siciliæ tyrannum indigitauit; vel quia solaris existimatur, dum ossa ex eius tibijs admota auro ita id attrahunt, quemadmodum magnes ferrum sibi cogit adhærescere: quod antea Aelianus dixit.

133 Animalia plures colebant, eo quod in eorum formam mutatos homines virtute præstantes crederent, qua de re Nicander in metam. Ouidius, & Athenagoras apprime scribunt; de Derceto idem Athenagoras, *Dercetus filia fuit Semiramis lasciua mulier, et homicida, quæ*

Dea Syria est existimata; et propter Derceto, et COLVMBAS, et Semiramim colunt Syrij: mutationem hanc refert Ctesias apud Strabonem lib. 16. illamque *Athergaten*, et *Atharan* dictam tradit. Diodorus vero lib. 3. iuxta Ascalonem hanc à columbis enutritam prodit: *deinde illa pudore acta in stagnum se abiecit, et in piscem conuersa est: quare Syri piscibus abstinent, et Templum in stagni litore constituerunt Derceto, facie quidem formosae mulieris, reliqua parte PISCIS simulacrum coluerunt*; quod Manilius astronomicorum lib. 4. cecinit,

Scilicet in PISCEM sese Cytherea nouauit,
Cum Babyloniacas summersa profugit in vndas
Anguipedem alatos vngues Typhona ferentem
Inseruitque suos squamosis piscibus ignes:


hæc ille parum diuersus a Diodoro. Ouidius.

Dubia est de te Babylonia narret
Derceti, quam versa squamis velantibus artus,
Stagna Palestini credunt mutasse figura:
An magis vt sumptis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus ageret annos.

134 Sed Venerem hanc Erythraeus apud Diogenetum, & Hyginus in fabulis indigitant; nam Venus cum filio Typhonem gigantem fugiens in Euphrate se proiecit, vnde, nouim'auctore Eratosthene *ex eo pisces natos homines*; pertinet etiam ad Dagon Idolum hæc forma, vti lib. 2. dicemus. Ergo Plinius lib. 5. Theon in Aratum: Diodorus Siculus lib. 3. cæterique quamplures Syrios Piscem adorare scribunt ob cultum Veneris, quæ eius induit formam: de pisce vero Lilius inquit ex Nigidio, *bodie quoque Syrij neque bos pisces edunt, et columbas potestate decorant*: *demum, nec desunt, qui scribant Piscem BOREVM hirundinis habere caput, ea videlicet ratione, quod piscis CHELIDON nuncupetur, qua voce grece hirundo vt notissimum est vocatur*; recte, etenim hirundines volare Plinius, & Aristoteles l. 4. h. a. c 9. docent. imo ardere, si Rondeletio fides, ille namque locum Plinij l. 9. c. 26. & 27. emendat, & hirundinem cum lucerna confundit, vt noctu lucceat etiam mortua, & in mari ardeat, sicut de Venere Manilius,

In-

Inseruitque suos squamosis piscibus ignes.



135 Obseruo hæc piscium formam apud astrologos inter Zodiaci signa recensendam, nam stellas præferre vides, & caput rotundum aliquid de cœlo denotat, præcipue quia pisces hinc ad astra eleuata nouimus: traditque Nigidius in com. Arati, *Venus Iouem rogauit, vt pisces, qui suam originem seruassent immortali præmio afficerētur; Iuppiter in duodecim signis pisces siderum splendore decorauit, unde hodie quoque Syri, neque hos pisces edūt, & columbas potestate decorant;* videndus etiam Hyginus, & Ouidius in fastis lib. 3.

136 Ergo, vti Augustinus ad Marcellinum scribit, virtus animalium impios olim impulit, vt bruta velut Numina colerent: quod ex Æliano manifeste colligitur lib. 10. c. 16. h. a. vbi ait, *Suillum pecus tantopere explendo abdomini deditum est, vt ne proprijs quidem suis fœtibus parcat, neque helluationem suam ab humano corpore abstineat: quæ causa est cur huiusmodi animal vt impurum, detestabile, & voracissimum apud Ægyptios in summo odio habeatur; contra autem MITIORES BESTIÆ naturæ misericordis, & pie participes præcipuo quodam honore à prudentibus viris, solitę sunt affici: CICONIAE enim apud AEgyptios eo venerationem habent, quod senectute affectos parentes alunt: ijdemque ipsi idcirco VVLPANSERIBVS, & VPVPIS honorem habent; quia illi quidē sunt pullorum suorum amantes, hę autem aduersus pa-*

rentes extimantur pij; Manethonem porro Aegyptium summa sapientia virum accepi dicere, eum vitiliginibus, & lepra oppletum iri, quos quidem morbos Asiani omnes pessime oderunt, aegyptij vero, quibus persuasissimũ est Sues Soli, & Lunae inimicissimos esse semel tantum, quum festos dies agitant, alias vero nunquam, nec huic ipsi, nec cuipiam alij Deorum sacrificant, idque propterea faciunt, quia execrandos, & detestabiles ducunt: tum Athenienses in mysterijs iure optimo Sues immolant propter perniciem quam segetibus moliuntur; nam ex spicis saepe illas, quae non dum ad maturitatem peruenerunt vastant, alias effodiunt; Eudoxus vero inquit, aegyptios ab immolandis suibus parcentes eis se sustinere, quod postea quam sementem fecerunt eorum greges, ad proterendam, & conculcandam frumentorum sationem, atque depellendam in altiorem terram, & humidiorem inducere soleant, vt hac quasi occasione terra obducta ne ab auibus semina exhauriantur; hinc facile compertum sit qualiter veteres ex animo numina habuere, vt grata quaque homini colerent, aduersa potius destruerent, idque ex suibus patet; canitque Ouidius fast. l. 1.

Prima Ceres auida gauisa est sanguine PORCAE
Vlta suas merita caede nocentis opes,
Nam sata vere nouo teneris lactentia succis
Erata setigerae comperit ore suis.
Sus dederat penas, exemplo territus huius
Palmite debuerat abstinuisse Caper.

narrat etiam Apollodorus, & Ctesias hinc sumpsisse rei animatae sacrificium, nam Dea Sues, & Capras, quae vastauerant sageres, palmitesque mactare sanxit; morem tangit Varro lib. 2. de re rust. *Sus graece dicitur* ὗς, *olim thysus dictus ab illo verbo, quod dicunt* θύειν, *quod est immolare, ab suillo genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur*; qua de re alibi.

137 Inclamat insuper Isaias c. 2. 20. *in die illa proijciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quae fecerat sibi, vt adoraret TALPAS, & VESPERTILIONES*: obseruatque Heterianus Deos olim sibi fecisse, &

& iuxta placitum artificis, deinde populos illos coluisse: sic in Exod. *fac nobis Deos*, fecitque Aaron VITVLVM, ac continuo vociferati sunt adinuicem *isti sunt Dij tui Israel, qui eduxerunt te*; & recte Dauid *opus manuum suarum* idola nuncupauit; idque Athenagoras vir consultissimus aduersus gentiles inclamat: *Cæterum imagines Deorum antequam plastica, pingendi & statuaria ars in vsum venissent, ne nominabantur quidem: donec tandem nati flouerunt, Saurias Samius, Craton Sicyonius, Cleanthes Corinthius, & Core* (*in hic tamquam proprium nomen accipere licet, vel virginem interpetrari Corinthia*) *vmbratilem enim picturam equi, vmbra in sole circumscripta, Saurias inuenit: Graphicen verò, idest picturam res cum suis coloribus repræsentantem Craton ostendit, qui in tabula dealbata viri, & mulieris vmbras delineauit. Cores inuentum est coroplasticè, hæc enim illius quem amabat dormientis vmbram in pariete quum consignasset, pater tam expressa similitudine delectatus (figlinam is exercebat) lineamenta exculpta luto repleuit, qui typus etiamnum in Corintho seruatur: his posteriores Dædalus, & Theodorus Milesius statuariam, & plasticen adinuenerunt; nempe adeo breue tempus post inuentas imaginis, & simulachrorum vsum effluxit, vt nomina etiam artificum, qui deos expresserunt, singillatim referre possimus. Dianæ enim Ephesiæ idolũ & Mineruæ oleaginũ vetus, & eandem sedentem Endyus Dædali discipulus fecit. Pithius Theodori, & Teleclis opus est, Delius Apollo, et Diana in Delo (Idectei, et Angelionis ars. Iuno in Samo, et Argis, Smidilis manus: simulachra cætera Phidiæ. Venus Hetæra (hoc est meretrix) in Gnido Praxitelis; denique Aesculapius in Epidauro Phidiæ; et vt paucis absoluam, omnes vbique imagines ab hominibus factæ sunt: quod si Dij isti ab initio non erant, illisne à quibus facti sunt posteriores erunt? vel cur, vt essent hominibus, et arte indiguerunt? Terra hæc sunt, et lapides, et materia, et ars curiosa*, hactenus ille; similiterque Apollonius Tyaneus apud Philostratũ disserit, nec semel Pausanias in Corinthiacis, Plinius, Apollodorus, cæterique quamplures simula-

chrorum; ac artificum meminerunt, vt tanquam illorum opus idolum indigitarent.

138 Quid de Aesculapio dicam omnino anceps me oratio tenet: enimuero serpentem pro Deo vetus religio coluit, inculcatque Tertullianus, Clemens, & Arnobius. itaque potius iuxta D. Cypriani oraculum de idol. van. caussam insaniae, imo daemonum astum, vt insanirent gentes perpendere pretium operi esse assentior, inquit enim, *Horum omnium ratio est illa, quae fallit, et decipit, et praestigijs caecantibus veritatem stultum, et prodigum vulgus inducit: spiritus insinceri, et vagi, qui postea quam terrenis vitijs immersi sunt, et à vigore caelesti terreno cõtagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, et deprauati errorem prauitatis infundere: hos et poetae daemonas norunt, et Socrates instrui se, et regi ad arbitrium daemonis praedicabat, et magis inde est ad perniciosa, vel ludicra potentatus, quorum tamen praecipuus Sosthenes formam veri Dei negat conspici posse, et angelos veros sedi eius dicit assistere, in quo et Plato pari ratione consensit, et vnum Deum seruans, caeteros angelos, vel daemonas dicit; Hermes quoque Trismegistus vnum Deum loquitur, eumque incomprehensibilem, atque inaestimabilem confitetur: hi ergo spiritus sub STATVIS, et IMAGINIBVS conseruati delitescunt, hi afflatu suo vatum pectora inspirãt: extorum fibras animant: auium volatus gubernant: sortes regunt: oracula efficiunt: falsa veris semper inuoluũt: nam et falluntur, et fallunt, vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam spiritus corporibus occulta mentis terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, vt ad cultum sui cogant, vt nidore altarium, & rogis pecorum saginati, remissis, quae constrinxerant curasse videantur: haec est de illis medela cum ipsorum cessat iniuria, nec aliud his studium est, quam à Deo homines auocare, et ad superstitionem sui ab intellectu verae religionis auertere, et cum sint ipsi poenales quaerere sibi ad poenam comites, quos ad crimen suum fecerunt errore participes.* haec Antistes ille sapientissimus, & simillima habet Minutius in Octauio, quem vide.

139 Ergo dœmones Apim excitabant ad oracula, dæmones Veneris in Herycio, ac Iouis Columbas, Osyridis Capras, Bacchi Dracones, Lyciorum Pisces, Aesculapij Anguem, Apollinis denique monstra implebant vt deciperēt, adinstar illius qui Euam decepit, trahitque tertiam stellarum partem, vt recte illum Ioannes in Apocalypsi damnet, tanquam ad orbis perniciem aduersus hominem ex patre diabolo natum.

ANIMALIA CVR AD ARAS olim litabant.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

140 

Ruspicinam superstitiosissimam veteris religionis vanitatem, post orbis deliria ab *haruga*, teste Varrone, nouimus, eoque nomine olim *aries* dicebatur, cuius sacra ad aras occinit Tages Hetruscorum Deus, sicut Tullius de diuin. tradit. *Tagem*, scribit Fest. Pomp. *Genij filium, nepotem Iouis, puerum disciplinam aruspicij dedisse duodecim populis Hetruriæ:* cuius ortum Ouidius l. 5. metam. sic prodit,

Haud aliter stupuit, quam cùm Thyrrhenus Arator
Fatalem glebam motis aspexit in aruis,
Sponte sua primum, nulloque agitante moueri,
Sumere mox hominis, terraque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis:
Indigenæ dixere Tagem, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem, casusque aperire futuros.

huius oracula Antistius Labeo, quindecim voluminibus exposuit, at si materiam diuinationis, reique futuræ indicia quisque flagret recolere, adest Arnobius, qui lib. 1. adu. gentes inquit, *Magi spondent commendaticias habere se preces, quibus emollita nescio quæ potestates vias faciles prabeant ad cœlum contendentibus subuolare: neque*

quod

quod Hetruria libris in Acheronticis pollicetur certorum animalium sanguine numinibus certis dato diuinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi; hinc animaliũ sanguis apud Macrobium ex Virgilio, hinc aruspicum diuinationes, magorumque portenta postquam litarent recoluit Domocritus, quem Cornelius refert: continent hæc omnia Acherontici libri, de quibus Seruius in lib. 8. æneid. ad illa vatis carmina,

Nec pater omnipotens Troiam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos:

inquit, *sed sciendum secundum Aruspicinæ libros, et sacra Acherontia, quæ Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri, quod nunc dicit Vulcanus potuisse fieri: ergo non est contrarium, nam fata differũtur tantum, nunquam penitus immutantur*: rationem vero fuisse sacrificia ex animalibus oblata patet.

141 Primo sacra facientes, Dijs litabant, quæ hominum victui maximopere, vsuique Dij tribuere dignati sũt: quod post Labeonem, eleganter Arnobius lib. 7. promit, gentilesque sic alloquitur, *Si animantium cruore honorari, et affici superorum animos existimatis cur non eis, et mulos, et elephantos mactatis, et asinos? cur non et canes, et vrsos, et uulpes, et camelos, et beluas, et leones? et quoniam uolucres hostiarum etiam in numero ponitis, cur non uulturios, aquilas, ciconias, immussulos, buteones, ceruos, accipitres, noctuas? cumque illis salamandras, natrices, uiperas solifugas? nempe subest, et ijs sanguis, et consimili ratione uitali agitantur spiritu: quid in illis maioris est operis, aut solertiæ in his minus, ut ista non augeant superorum illa amplificent dignitatem? quia rebus ex his (inquitis) Deos par est honorare cælestes quibus ipsi alimur, sustentamur, et uiuimus; et quas nobis ad uictum sui numinis tribuere benignitate dignati sunt*: sed hæc ratio haud omnino sacrorum originem nectit, etenim non semel legimus Canes, Equosque in aris litasse veteres, quod Ouidius in Fastis occinit,

Pauit ouis pratum, uerbenas improba carpsit
Quas pias Dis ruris ferre solebat anus:

Quid

Quid tuti superest, animam cum ponat in aris
Lanigerumque pecus, ruricolaque boues?
Placat EQVO Persis radijs Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri uictima tarda Deo.
Quæ semel est triplici pro uirgine cæsa Dianæ,
Nunc quoque pro nulla uirgine Cerua datur.
Exta CANVM uidi Triuiæ libare Sabæos,
Et quicunque tuas accolit Hæme niues.
Caditur, et rigido custodi ruris Asellus, etc.

de equo huic Numini immolato Xenophon lib. 4. Cyrop. tradit; & Herodotus lib. 1. de cane vero Aristophanes cæterique, quos præter morem imò nequaquam homines vsu illos comedisse nouimus: quid si Priapo cadat Asellus? itaque præter hanc rationem aliam inquirendam restat, & si Clemens Alexandrinus, & antea quamplures hanc exhibentes gratitudinis erga numen monimenta edixerunt.

142 Hinc Tertullianus in apologetico ad ritus remvertit dicens, *Volo, et ritus uestros recensere, non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta, et tabidosa, et scabiosa quæque mactatis, cum de opimis, et integris superuacua quæque truncatis capitula, et ungulas, quæ domi quoque pueris, et canibus destinassetis; quum de decima Herculis, nec tertiam partem in aram eius imponitis, laudabo magis sapientientiam, quod de perdito aliquid eripitis*. obseruo primùm cum Scholiaste *capitulum* posuisse *pro paruo capite*, Plauto vsitatum in Curcul. & Terentio in Eunuch. & ipsi Tertulliano in lib. de Pallio; elegantissime autem, teste Scaligero, circumloquitur quæ græci, & antiqui vocant *ablegmina*, idest, *partes quæ Dijs porriciebantur*; deinde, ritum, consuetudinem dixisse reor: sicut auctore Plutarcho, & Dionysio Halicarnasseo Herculi decimam offerebant maiorum more, ita, & sacrificabant, huc respicit Sibyllæ carmen apud Clementem in exhort. ad gentes,

A se uisa Deum qui omnino templa negabunt,
Surdorum, et lapidum quæ sunt altaria, sedes:
Ex lapide, et manibus simulacbra effecta uirorum,
Cæsorum quæ sunt animato infecta cruore

Quæ-

Quatrupedum, Bipedum, Volucrumq. et cęde ferarũ. obsequium itidem respicit Lactantij Firmiani ratio l. 7. c. 6. *quę potest esse ratio in his erroribus prauarum religionum, et in hac persuasione philosophorum, qua putant animas interire? profecto nulla: quid enim habent dicere, cur Dij hominibus tam diligenter suis quęque temporibus exhibeant? an ut illis far, et merum demus, et odorem thuris, et SANGVINEM PECVDVM, quę neque immortalibus grata esse possunt, quia sunt fragilia, etc.* sensus est, immortalitatem animorum veteres recensuisse, dum Numina pecudum sanguine colebant, secus futilis litatio omnis euanuisset: quod & Nemesius, ac Hugo Etherianus scripserunt.

143 Virgilius ex Homero, Euripide, ac Sophocle, imo iuxta Xenophontis, ac sapientum oracula sacrificia pecudum extulit, vt sanguine eorum Numina placaret. quod Arnobius lib. 7. sic pendit, *sequitur ut illam quoque inspiciamus partem, quam iactari audimus uulgo, et populari in persuasione uersari; sacrificia superis ea fieri Dijs causa, ut iras, atque animos ponant, reddanturque mites, et placidi feruidorum pectorum indignatione sedata.* Ouidius fastorum lib. 2.

Omne nefas, omnemque mali purgamine caussam
Credebant nostri tollere posse senes:
Grecia principium moris dedit, illa nocentes
Impia lustratos ponere facta iubet:
Actoridem Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Cęde per Aemonias soluit Acastus aquas.
Vectam frenatis per inane draconibus Aegeus
Credulus immerita Phasida fouit ope:
Amphiaraides Naupacteo Acheloo
Solue nefas, dixit, soluit, et ille nefas.
Ah nimium faciles, qui tristia crimina cędis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

at si Beroso fides, apud Iosephum lib. 1. orig. à Noè morem posteris manasse nouimus, à quo & alia: cæterum in Exodo, & Leuitico, imo in sacris omnibus fere scripturis oblationes, & holocausta pro peccatis litanda de more legimus; idque

idque Origines in Num. Augustinus ad Marcellinum, Hieronymus ac plures alij tradunt ob spem Messiæ, qui obtulit semetipsum pro peccatis nostris, adinstar arietis Abrahę, & agni apud ægyptios: sed quam stulte hæc gentium superstitio tractet, Arnobius lib. 7. prodit, *Quæ causa est vt si ego Porcum occidero Deus mutet affectum, animosque, & rabiem ponat: si Gallinulam, Vitulum sub illius oculis, atque altaribus concremaro, obliuionem inducat iniuriæ, & ab sensu penitus offensionis abscedat. quid ad eius dolorem, ex opere hoc migrat, aut remedij, cuius est Anser, caper, aut pauus, vt ex eius cruore medicina adhibeatur irato? ergo ne iniurias suas Dij vendunt, atque vt paruuli pusiones, animis parcant, abstineantque ploratibus passerculos, pupulos, eculeos, panes accipiunt, quibus auocare se possint, ita Dij immortales placamenta ista sumunt, quibus iras, atque animos ponant, & in gratiam suis cum offensoribus redeant, at quin ego rebar Deos (si modo rectum est credere, quod motibus exagitentur irarum) sine ullis premijs, nullisque mercedibus iras atque animos ponere, & peccatoribus delicta donari, hoc est enim proprium Numinum, liberales venias, & concessiones habere gratuitas*. ac Dei nostri morem expendit ad quem Propheta inquit, *cum iratus fueris misericordiæ recordaberis*, & alibi, *pro nihilo saluos facies illos*.

144 Alij vt vota soluerent sacra peragentes litabant, sicut Ionæ oratio occinit, & Virgilius l. 5.

Dij quibus imperium est pelagi, quorũ ęquora curro
Vobis lætus hoc candentem in littore TAVRVM
Constituam ante aras VOTI REVS, extàque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Macrobius l. 3. sat. c. 2. *hęc vox propria est sacrorum, vt Reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat, dãnatus autem, qui promissa vota non soluit*, obseruabatque antea Eustathius. Ouidius lib. 8. metamorph.

Templa coronantur, bellatricemque Mineruam
Cum Ioue, Disque vocant alijs, quos sanguine VOTO
Muneribusque datis, & acerris turis honorant.

obseruo oblationes olim, ac Templa vouisse, in quibus sa-

cra fierent, traditque Ouidius lib. 5. Fastorum,

Vouerat hoc iuuenis tunc cum pia sustulit arma
A tantis princeps incipiendus erat,
Ille manus tendens astanti milite iusto
In coniuratos talia dicta dedit:
Si mihi bellandi pater est, Vestaque sacerdos
Auctor, & vlcisci nomen vtrumque paro:
Mars ades, & satia scelerato sanguine ferrum
Stetque fauor causa pro meliore tuus
TEMPLA feres, & me victore vocaberis ultor
Vouerat, & fuso lætus ab hoste redit.
Nec satis est meruisse semel cognomina Martis
Persequitur Parthi signa retenta manu.

voti Cæsaris meminit, & ex prædictis, ait Scholiastes, sumit ansam dicendi de alio Templo eiusdem cognominis ab Augusto in Capitolio extructo ob recepta signa Romana à Parthis iam cum dedecore Imperij detenta: nec dubium duo Romæ fuisse Templa Martis Vltoris, cum & in nũmis totidem diuersæ Ichnographiæ appareant. vide Dionem l. 54. sacrificia deinde, statisque diebus sacra apud omnes comperta fileo.

145 Macrobius ad cœlorum motum, ordinemque sacra componit, additque ex eo cantilenas olim instituisse veteres, lib. 2. som. scip. c. 3. *Musas esse mundi cantum etiam rustici sciunt, qui eas Camænas, quasi Canenas à canendo dixerunt, ideò canere cœlum etiam Theologi cõprobantes, sonos musicos sacrificijs adhibuerunt: qui apud alios Lyra, & Cithara: apud nonnullos tibijs alijsue musicis instrumentis fieri solebant. in ipsis quoque hymnis Deorum per strophum, & antistrophum metra canoris versibus adhibebantur: vt per strophum rectas orbis stelliferi motus, per antistrophum diuersus uagarum regressus prędicaretur: ex quibus duobus motibus, primus in natura hymnus dicandus Deo sumpsit exordium*: hanc rationem reddidit Onesander Platonicus in Strategico dicens, *Itaq; plures hostiæ eodem die mactandæ. hora enim vna, & breuissimum temporis momentum, siue importunam occasionem præripias, siue opportunam amittas, non parum abesse*

se potest. & meo quidem iudicio extispicina, alio quandam contemplationis genere astrorum in cœlo motus, ortus, occasus, figurarum triquetras, quadratas, recti lineares, siue ex diametro inclinationes, & conuersiones imitari, ac repræsentare videtur. eorum certè per breuissima momenta variæ vires, ac significationes, diei vnius imò horulæ, & Reges faciunt, & captiuos; nec male Salomon inter litandum musica instrumenta, simulque cantores ordinauit, sicut Lacædœmonij rite faciendum curarunt.

146 Porphyrius ex Platone, ac Plotino præceptore in lib. de sacrif. inquit, *tribus de causis Dijs sacrificandū est, ut veneremur, vt gratiam referamus, vt necessaria ab ipsis petamus, malaque propellamus, ad hæc autem impetranda votum animi satisfacit. cui addi possunt ex frugibus munuscula quædam:* tangit etiam venerationem iuxta gentilium credulitatem Arnobius lib 7. *idcirco Dijs hostias, & cætera impendimus munera, vt familiares quodammodo nostris supplicationibus facti res tribuant prosperas, auertantque à nobis mala, cum gaudijs faciāt agere nos semper, tristitias uero propellant, & ex casibus imminentia fortuitis.* sic apud Romanos *Arungus*, & *Rubigo* colebatur, causamque Aulus Gellius l. 4. c. 6. refert, *in his Deis, quos placare oportet uti mala à nobis, uel à frugibus natis amoueantur*, de Rubigalibus Varro, Plinius, Augustinus, & Festus *Robigalia dies festus* VII. *Kal. Maias, quo Robigo Deo suo, quem putabant rubiginem auerte sacrificabant:* eius templum recenset Ouidius, de quo Festus, *Catularia porta Romæ dicta est, quia non longe ab ea ad placandum caniculę sidus frugibus inimicam rufę canes immolabantur, ut fruges flauescentes ad maturitatem perducerentur*. post Catonem Columella:

Hęc ne ruricolę paterentur monstra salutis
Ipsa nouas artes, uaria experientia rerum,
Et labor ostendit miseris, vsusque magister
Prodidit agricolis uentos sedare furentes,
Et tempestatem Tuscis auertere sacris
Hinc mala Rubigo uirides ne torreat herbas:
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.

147 Plinius lib. 18. c. 29. *Rubigalia Numa instituit anno regni sui xi. quę nunc aguntur ad* VII. Kalendas *Maij, quoniam tunc fere segetes Rubigo occupat: hoc tempus Varro determinat sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio: sed uera causa est, quod post dies undeuiginti ab aequinotio uerno per id quatriduũ uaria gentium obseruatione, in quartum* Kal. *Maij* canis *occidit, sidus per se uehemens, & cui pręoccidere caniculam necesse sit*. de canis ortu: Nigidius in Aratum, Virgilius, ac Manilius astronomicorum lib. 1. eoque tempore segetes rubigine vitiari Cato, ac Columella tradunt, oratque Ouidius libro 4. Fastorum,

Parce precor, scabrasque manus à messibus aufer:
Neue noce cultis: posse nocere sat est.
Vtilius gladios, et tela nocentia carpes,
Nil opus est istis, otia mundus agat:
At tu ne uiola Cererem, semperque colonus
Absenti possit soluere VOTA tibi.

sequitur, & sacrificium enarrat, ac canis exta: tandem *Floralia* eodemque pacto instituisse legimus, traditque Plinius ibidem, *itaque ijdem Floralia* IV. Kalendas *Maij instituerunt urbis anno* DXVI. *ex oraculis Sybillę ut omnia bene deflorescerent, hunc diem Varro determinat solem Tauri partem quartadecimam obtinere, ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges, et omnia quę florebant lędi necesse erit.*

148 Ergo sacrificijs animalium, in quibus litabant sãguinem, prospera cuncta à Dijs exorabant, malumque vt omne repellerent pro salute Regum, ac orbis incolumitate, simulque litantis denuo ea peragebant. nam ad Scapulam Tertullianus scribit, *itaque sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, et ipsius, non enim eget Deus conditor uniuersitatis odoris, aut sanguinis alicuius: hęc dœmoniorum pabula sunt*; sed quia non dum bona nouimus, nisi malorum fugata serie, ex Catone de re rustica, *Preces et sacra exhibeto, priusquam messem facias PORCAM PRÆCIDANEAM hoc modo fieri oportet: Cereri porca pręcidanea, porcam fœminam priusquam hasce fruges*

ges condantur far, triticum, hordeum, fabam, semen rapicium, thure, uino, Iano, Iunoni, Ioui prefato: priusquam porcam fœminam immolabis Iano struem commoueto sic, Iane pater te hac strue commouenda bonas preces te precor, uti sies uolens propitius mihi, liberisque meis, domos familieque mee, mactus hoc ferto: Fertum Ioui moueto, et mactato sic: Iuppiter te hoc ferto obmouendo bonas preces precor uti sies propitius mihi liberisque meis, domos familieque mactus hoc ferto: postea Iano uinum dato sic, Iane pater uti te strue commouenda bonas preces bene precatus sum, eiusdem rei ergo macte uino inferiori esto, postea Porcam precidaneam immolato: ubi exta proiecta erunt: ita Iano struem commoueto, mactatoque item uti prius obmoueras: Ioui item fertum obmoueto, mactatoque uti prius feceras: item Iano uinum dato, et Ioui uinum dato, ita uti prius datum fuit ob struem obmouendam, et fertum libandum, postea Cereri exta, et uinum dato: hæc ille, ac sæpius ferti meminit, de quo Festus, *fertum genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec fine strue altero genere libi, qua qui afferebant struferctarij appellabantur*.

149 Tandem animalium sanguine inferias mortuorum recolebant, de quibus Pollux l. 8. c. 14. & Varro l. 5. l. l. Virgilius,

Sic fatus, uelat materna tempora myrto,
Ille concilio multis cum millibus, ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterua,
Hic duo ritè mero libans Carchesia Baccho,
Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro,
Purpureosque iacit flores, ac talia fatur;
Salue sancte parens, iterum saluete recepti
Ne quicquam cineres, animaque umbraque paterna.

nouissimum carmen illud respicit de more oraculum, quod Tertullianus de anima c. 56. vulgat, *aiunt immatura morte preuentos eousque uagari, donec reliquatio compleatur etatis, qua cum peruixissent, si non intempestiue obiissent, proinde extorres inferùm habebuntur quas ui ereptas arbitrantur, crucis dico, et securis, et gladij, et fe-*

fere; hæc ſapiens ille apprimè, etenim Plautus in Moſtellar. de inſepultorum pœna inquit,

Nam me in Acherontem recipere Orcus noluit
Quia præmature vita careo per fidem,
Deceptuſque ſum, hoſpes hic me necauit, iſque me
Defodit inſepultum;

inferias itaque ac Manes componebant ad aras. Virgil. Georg. 4.

Inferias Orphei lethæa papauera mittes,
Et nigram mactabis OVEM.

idem libr. 3. Æneid. de funere Polydori,

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis, & ſacri pateras, animamque ſepulchro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

denuo idem lib. 5.

Nec non, & ſocij, & quæ cuique eſt copia læti
Dona ferunt, onerantque aras, mactantque iuuencos;

Ouidius defunctorum paupertatem reſpiciens 2. faſt. canit,

Eſt honor, & tumulis animas placare paternas,
Paruaque in extructas munera ferre pyras.
Parua petunt Manes, pietas pro diuite grata eſt,
Munere, non auidos ſtyx habet ima Deos.
Tegula proiectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſæ fruges, paruàque mica ſalis.
Inque mero molita Ceres, violæque ſolutæ,
Hæc habeat media teſta relicta via.
Nec maiora veto, ſed & his placabilis vmbra eſt,
Adde preces poſitis, & ſua verba focis.

maiora quæ haud vetat Apollonius l. 2. arg. occinit,

Magnifice exequias ſtruxerunt, tota parentat
Vrbs cum Rege Lyco, iugulant in funere multas
Lanigeras pecudes, defunctis munera ſueta.

pecudum liratione, puroque ſanguine animas purgari, ac deinde ad Elyſium euolare Apollodorus tradit, ac Apollonij Tianæi apud Philoſtratum ſacra ſuper ſe pulchra heroum demonſtrant; pœnas ſuſtinent poſt obitum animæ, quod & gentiles ex Platone in Phedon. oſtendit, canitque Virgilius 6. Æneid.

Ergo

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt; aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: alijs sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

hæc deinde Tertullianus de anima, & Athenagoras; imo idem Virgilius,

Quisque suos patimur Manes, exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus
Donec longa dies perfecto tempore orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit,
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

150 Satis de sacrificiorum ratione; at recte Arnobius lib. 7. aduersus gentiles animaduertit dicens; *ecce si BOS aliquis, aut quodlibet ex his ANIMAL, quod ad placandas caditur mitigandasque numinum furias, vocem hominis sumat, eloquaturque his verbis: Ergo ne ô Iuppiter, aut quis alius Deus es, humanum est istud, & rectum, aut æquitatis alicuius in æstimatione ponendum, vt cum alius peccauerit, ego occidar, & de meo sanguine fieri tibi patiaris satis, quid nunquam te læserim, nunquam sciës, aut nesciens tuum numen maiestatemque violarim? animal (vt scis) mutum, naturæ meæ simplicitatem sequens, nec multiformium morum varietatibus lubricum: num quid aliquando tuos ludos minus sancte diligenterque perfeci? num quid aliquem præsulem, tuum nomen qui offenderet ante traduxi? num quid iuraui per te falsa? num quid sacrilegis furtis tua rapui expoliauique donaria? num quid erui sacratissimos lucos, aut religiosa quadam loca substructionibus pollui, profanauique priuatis? quenam est ergo causa, vt alienum crimen meo luatur è sanguine, & in nefas extraneum mea vita, & innocentia perducatur? an quod animal vile sum, nec rationis, nec consilij particeps, quemadmodum pronuntiant isti, qui se homines nominant, & ferocitate transiliunt belluas? nonne primordijs iisdem eadem, & me genuit, informauitque natura? nonne spiritus vnus est, qui, & illos & me regit? non consilij ratione respiro, & video, & cæteris afficior sensibus? habent iecora, pulmones, corda, intestina, ventri-*

triculos: & mihi membrorum non idem est numerus attributus? amant suos fœtus, & gignendis conueniunt liberis: non & mihi prolis & subrogandæ est cura, & dulcedo cum fuerit procreata? sed rationales illi sunt, & articulatas exprimunt voces, & vnde illis notum est, an & ego quod facio, meis rationibus faciam, & vox ista, quam promo mei generis verba sint, & solis intelligantur à nobis? interroga pietatem, vtrum ne sit æquius me occidi, me confici, an hominem venia, & commissorum impunitate donari? quis in gladium formauit ferrum? non homo? quis cladem gentibus, quis nationibus imposuit seruitutē? non homo? quis parentibus, fratribus, quis vxoribus, quis amicis mortiferas subdidit commiscuitque potiones? non homo? quis maleficia reperit, aut commentatus est tanta, quanta vix explicari decem millibus nequeant, vel annalium, vel dierum? non homo? ita istud non ferum non immane, non seuum est? non tibi ò Iuppiter iniustum videtur, & barbarum, me occidi, me cædi, vt fias tu placidus, et vt scelerosis contingat impunitas? hæc essent miseri bouis, si eloqui posset, voces, easque Arnobius Rethor proposuit; enimuero cur Proserpinæ, ac Plutoni necyomantiæ numinibus Sybilla animalia litat? Virgilius rem occinit lib. 6. vbi sacrum in Auerno describit;

Quattuor hic primum nigrantes terga iuuencos
Constituit, frontique immergit vina sacerdos,
Et summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imposuit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cœloque, hereboque potentem:
Supponunt alij cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris: ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi Proserpina Vaccam
Tum stygio Regi nocturnas incohat aras,
Et solida imponit Taurorum viscera flammis,
Pingue, superque oleum fundens ardentibus extis.

Cumæ speluncam vates descripsit, quam Aristoteles in adm. auscult. refert, vocatque *Arnon*, siue *Aornum*: & ait, *mirandum tamen hoc fortasse, quod circumpositis vn-*

deq ua-

dequaque, et super incumbentibus dentissimis arboribus non cernas vnum in lacu natans folium: locum Graij dixerunt *Auernum*: Lucretio etymon, *quia est sine auibus;* lacum hunc, & Lucrinum Cæsar purgauit syluarum iam densitate obductos: describitur à Claudiano in Raptu Proserpinæ, & à Petronio in satyr. *forma circulari, profunditate immensa, tumulis vndequaque septum, trium ad minus stadiorum magnitudine* ab Aristotele ostenditur: sed quid hæc? dœmonum vtique monimenta, ergo cur inferis dantur bruta? dixit, at potius irrisit Porphyrius,

Hostia terna Deis alba est mactanda supremis:
Terna, quoque, at furuo terrestribus atra colore.

hinc ad diuinationem,& euocationem dœmonum sacrificia Seneca in Oedipo occinit, apud quem Tiresias,

Nec alta cœli pinna, quę leuis secat,
Nec FIBRA VIVIS RAPTA PECTORIBVS potest
Ciere nomen: alia tentanda est via.
Ipse euocandus noctis ęternæ plagis
Emiss' crebo, vt cędis auctorē indicet. reserāda tellus.

deinde post sacrum inferorum Numina auocat, & impia exposcit vota. Tandem Libanius pro filijs patrem immolantem facit, & alia plura lubenter silemus.

151 At dices cur hebræis permissa? respondendum ex Hieronymo, Gaudentio, Augustino, cæterisque sapientibus omnia figuraliter hebræos peregisse; præmonstrabant sacrificia illorum Agnum in cruce immolandum; nec aliud clamans per prophetas illud indixit Oraculum, *num quid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem bircorum potabo?* adde Tertullianum lib. 2. adu. Marcionem scribētem, *sacrificiorum quoque onera, et operationum, et oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi Deus talia sibi proprie desiderauerit, qui tam manifeste per Esaiam exclamat, quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? et quis exquisiuit ista de manibus vestris? sed illam Dei industriam sentiat, qua populum pronum in idololatriam, et transgressionem eiusmodi officijs religioni suæ voluit astringere, quibus superstitio sęculi agebatur, vt ab ea auocaret illos, sibi iubens fieri, quasi*

desideranti, *ne simulachris faciendis delinqueret*.

PYTHAGORICI CVR ANIMALIA non litabant?

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

152 
Egnum diuisum Principis mundi huius falsitatem enormissimam denotare D. Augustinus l. 2. ad Marcellinum tradit; hinc apud ethnicos M. Varro, & Labeo animalium exta, Porphyrius, tantummodo fruges Pythagoricorum de more iubet offerri, vt recta à varietate delirantium monimenta perpendas: etenim Philostratus l. 1. c. 1. vit. Apol. inquit, *Pythagoram dicunt ab animalium omnium esu se abstinuisse, nec tale quicquam omnino SACRIFICANDVM putasse, quod nefas esse diceret Deorum aras sanguine fędari, sed libis mellitis, thureque, et laudationibus magis erga Deos vtendum esse putaret: talia enim ab hoc uiro sæpe Dijs offerebantur, asserebat insuper sibi compertum esse Deos immortales huiusmodi sacris longe magis, quam Hecatombe, quamque in canistro cultro gaudere; se enim aliquando DEORVM interfuisse concilio, atque ab eis didicisse, quę illis grata, quę contra haberentur.* hæc somnia Hierocles Pythagoricus, Iamblicus, ac Porphyrius enarrant, & nos ex eorum oraculis exhibemus.

153 Inter Pythagoricos adest Apollonius Tyaneus, qui teste Photio in bibl. *Pythagoream sectam cum moribus, tũ doctrina expressit*: hic ægyptiorum sacra damnauit, cũ primum animalia vidit ad aras, vt ex flamma diuinarent Antistites, quod Philostratus in eius vita l. 5. c. 9. sic refert, *quum templum ascendisset ornatus, et apparatus, qui in eo erat pręclarus quidem, et Deo dignus, sapienterque institutus uisus est, TAVRORVM autem, ANSERES, et ANIMALIA cętera, quę sacrificij causa ducebantur* mi-

minime laudabat, et indigna conuiuijs Deorum esse dicebat: interroganti autem sacerdoti, quid sibi vellet, quod talia non sacrificaret: imo potius velim tu mihi dicas, inquit Apollonius, quid causæ sit quapropter tu talia sacrifices: cumque sacerdos diceret, quis adeo solers est, vt Ægyptiorum instituta valeat emendare? quilibet sapiens, inquit Apollonius, si modo ab Indis veniat; at enim ego sacerdos inquit, BOVEM comburam hodie, tu saltem odoris particeps nobiscum fias velim; neque enim hanc sortem arbitror dedignaberis, siquidem, & Dij ipsa fruuntur: liquescente igitur Tauri corpore, respice inquit Apollonius sacra; quanam vero respiciam, ait Ægyptius, ego enim hic video nihil, tunc Apollonius, Iamidæ, inquit; & Telleadæ, atque Clytiadæ, & omnis omnino Melampodidarum diuinatio delirauit, tam multa de igni locuta, tantasque ab eodem coniecturas capiens: quin etiam absurdissimum est, qui ex intensa picea, aut cedro nascitur ignem arbitrari posse diuinationem aliquam nobis monstrare: hunc qui ex pinguissimis, purissimisque lacrimis manat, non multum esse illo, quem dixi, præstantiorem ad vaticinia facienda putandum est: quod si igneæ sapientię peritus esses in Solis nascentis circulo præmonstrata videres permulta. hactenus ille.

154 Itaque in igne, quo cremabantur animalia diuinationes attendisse Ægyptios Apollonius tradit; & antea Seneca in Oedipo, opima victima, thureque impositis obseruationes occinit,

Non vna facies mobilis flammę fuit,
Imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores: parte quæ magna poli
Curuato picto nunciat nimbos sinu:
Quis desit illi, quisue sit dubites color;
Cærulea fuluis mista oberrauit notis,
SANGVINEA rursus, vltimum in tenebras abit;
Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit, & se scidit vnius sacri
Discors fauilla: Genitor horresco intuens
Libata Bacchi dona permutat cruor,

V 2 *Am-*

Ambitque densus regium FVMVS caput,
Ipsosque circa spissior vultus sedet,
Et nube densa sordidam lucem abdidit.
Quid sit parens effare? —Sunt dira, sed in alto mala
Solet ira certis Numinum ostendi notis.

huius execrandæ superstitionis meminit Ioannes Salisberiensis l. b. 1. polycratici c. 12. & in hoc sacro pyromantico multa obseruat, *colorem* imbriferæ, scilicet, Iridis, de quo Plato in Cratylo, & in Theæteto: *tenebras* quæ in Capnomantia principaliter obseruari solent: *flammas* deinde diuisas, quas in rogo Etheoclis cum in eum Polynicis cadauer fuisset iniectum inspexerunt: sic Æschylus in sep. ad Thebas: Sophocles in Oedipo: Euripides in Phœnys: Apollodorus in bibl. l. 3. Scholiastes Senecæ, cæterique quamplures edixerunt.

155 Hinc Porphyrius, quem latio Ficinus dedit in lib. de sacrificijs, Pythagoræ mentem, iuxta Empedoclis carmina prodit, *Pythagorici circa lineas, numerosque versati ex his etiam Dijs plurimum dedicabant, alij quidem numerum Palladem nominantes, alium vero Dianam, aliũ Apollinem, rursus alium iustitiam, alium temperantiam, ac similiter in figuris, atque ita similibus sacrificijs adeò Dijs placuerunt, vt vnumquemque Deorum suis oblationibus aduocarent, eorumque beneficio frequenter ad vaticinium vterentur, & si quo ad examinandum aliquid indigerent; Dijs autem qui sunt intra cœlum, siue cursu quodammodo pererrantibus, siue non errantibus, quorum Ducem esse Solem primò, deinde Lunam existimandum est, commode sacrare possumus ignem, iam quasi cognatum, & quę mandat Theologus seruare debemus: inquit autem ille, ANIMATVM NVLLVM SACRIFICANDVM, SED VSQVE AD FARINAM, ET MEL, TERRÆQ; FRVCTVS, ATQ; FLORES, nouit enim virum pietatis vere cultorem, Dijs quidem animatum nullum aliquando sacraturum, sed dæmonijs, atque alijs, siue bonis, siue malis*. hactenus ille satis dilucide: de numeris vero Hierocles in carm. Pyth. inquit, *quo pacto Deus ille sit ex sacro libro, qui Pythagoræ tribuitur facile ipse didiceris in quo*

NV-

NVMERORVM NVMERVS DEVS IPSE CELEBRATVR: si enim omnia quæ sunt sempiternis ipsius consilijs subsistant, certum est etiam, & numerum, in quaque eorum specie, quæ existunt ab illorum caussa dependere, primumq; ibi numerum reperiri: inde enim etiam apud nos. præstat hæc Plutarchus de plac. phil. & alibi sæpissime: Plotinus etiam enneadis 5. lib, 5. c. 6. *nomen hoc, quod dicitur vnum per respectum quendam ad multa negationē, eleuationemque significat; quapropter Pythagorici quoque Apollinem secretiori quadam significatione inter se nominabant, ipsa scilicet negatione multorum*.

156 Tanto Numini far, florésque, ac mel debentur in oblationibus, inquit Pythagoras, idque Ouidius, quem alibi dedimus in fastis enarrat,

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.
Si quis erat factis prati de flore coronis,
Qui posset violas addere, diues erat.

hæ ante thuris notitiam veteribus in vsu: Virg. in Culice,

Herbàque thuris opes priscis imitata Sabina.

hunc morem reddidit Theseus apud Plutarchum, vbi sic legimus, *Apollini VOTA reddidit die septimo mensis Pyanepsionis: eo enim sospites vrbem iniere: ac legumina memorantur elixari, quod incolumes cibariorum reliquias in vnum confuderint, vnaque cocta communi olla epulati simul inter se manducauerint. Eresionem ferunt, olea ramus est lana obuolutus (quemadmodum tunc erant supplicia) varijs fructuum primitijs distinctus, quia desierat tunc sterilitas, accinentes,*

Eresiona feres, ficus & pinguia farra,
Et pateram mellis cum fructu dulcis oliuæ,
Fœcundum calicem sopiaris vt ebria somno.

quamuis hæc quidam in memoriam facta ferant Heraclidarum, qui ita ab Atheniensibus aliti fuerunt: sed maior pars adstipulatur ante dictis. Virgilius ecloga 4. vbi de Salonino Pollionis Germanici exercit⁹ Imperatoris filio Sybillæ oraculis cecinit, vere nihilominus, & proprie de Christo, vti Eusebius in vita Constantini refert, sacrificia tanto digna Numine prodit, *Ille*

Ille Deum vitam accipiet, diuisque videbit
Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem:
At tibi prima puer nullo MVNVSCVLA cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho,
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ,
Vbera, nec magnos metuent armenta leones,
Ipsa tibi blandas fundent cunabula flores
Occidet, & serpens, & fallax herba veneni,
Occidet Assyrium, vulgo nascetur amomum,

hæc Lactantius l. 7. c. 24. ex prophetarum oraculis protulisse credit, & de ortu Saluatoris scripsisse, *Terra aperiet fæcunditatem suam, & vberrimas fruges sua sponte generabit, rupes montium mella sudabunt, per riuos vina decurrent, & flumina lacte inundabunt, mundus denique ipse gaudebit, & omnis rerum natura lætabitur erepta, & liberata dominio mali, & impietatis, & sceleris, & erroris, non bestiæ per hoc tempus sanguine alentur, non aues præda: sed quieta, & placida erunt omnia. Leones, & Vituli ad præsepe simul stabunt: Lupus ouem non rapiet, Canis non venabitur, Accipitres, & Aquilæ non nocebunt, Infans cum Serpentibus ludet: denique tunc fient illa, quæ poetæ aureis temporibus facta esse iam Saturno regnante dixerunt, quorum error hinc ortus est, quod prophetæ futurorum, pleraque sic proferunt, & enuntiant quasi iã peracta*. hæc ex Isaia: & Sybilla canente,

Nec Lupi cum agnis in montibus dimicabunt
Herbamque Lynces pariter cum hædis pascentur,
Vrsi cum Vitulis simul, omnibusq; animalibus,
Carniuorus Leo comedet paleas ad præsepia.

ergo si ex ijs quibus vescebantur Dijs immolabant, vti Arnobius, & Porphyrius tradunt, imo Pythagoricorum secta, teste Plutarcho, & Athenæo lib. 1. Deipnos. cum sacrificia ex inanimatis offerret ab animatis se abstinebãt, sic & illo aureo sæculo sacrificia respondent cibis, omnesque à cæde abstinentur, & sangnine.

157 Et quia Lactantius Saturni temporum meminit, ea

descri-

describere ex Fabio Pictore non grauabor, *ea ætate nulla erat monarchia, quia mortalium pectoribus nondum hæserat ulla regnandi cupiditas: Principes quia iusti erant, & religionibus deditι iure habiti Dij, & dicti; non enim arbitria illorum ab æquo, vel populus ab iure innato discedebant: nullo tunc vindice, aut metu, sed sua sponte retinebant fidem, & rectum: pudor ipse regebat populos, & ius principes; domus illis non extructæ, vel ornatæ, luxuriaque insignes erant, & splendidæ, sed vel cryptæ, aut viminum tuguria, & caua arborum ligna erant, victum sponte nascentia prabebant, aut in diem uictus quærebatur uenatu, VINVM, & FAR primus ille docuit Ianus ad sacrificia, & religionem magis quam ad esum, & potum; primus enim ARAS, & POMERIA, & SACRA DOCVIT, & ob id illi in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, farque illi, ac uinum primo prælibatur*: inde mos circa primitiarum oblationes, sed fruges tantum, & vina audi Plinium de Hyperboreis lib. 4. c. 12. *Pone eos montes, ultraque aquilonem, GENS FELIX, (quos Hyperboreos appellauere) annoso degit æuo, fabulosis celebrata miraculis, ibi creduntur esse cardines mundi extremique syderum ambitus semestri luce, & una die solis auersi: non ut imperiti dixere ab æquinoctio uerno in autumnum semel in anno solstitio oriuntur ij soles, brumaque semel occidunt, Regio aprica felici tempore omnia afflatu noxio carens, domus ijs nemora, Lucique & Deorum cultus uiritim, gregatimque, discordia ignota, & ægritudo omnis, mors non nisi satietate uitæ, epulatis delibutisque senibus luxu ex quadam rupe in mare salientibus, hoc genus sepulturæ beatissimum: Nec licet dubitare de gente ea, cum tot auctores prodant FRVGVM PRIMITIAS solitos Delon mittere Apollini, quem præcipue colunt, Virgines ferebant eas hospitijs gentium per annos aliquot uenerabiles, donec uiolata fide in proximis accolarum finibus deponere sacra ea instituère, hique ad conterminos differre, atque ita Delon usque*; hæc deinde Pausanias.

158 His præhabitis oracula ipsius Pythagoræ referenda restant, etenim Iamblichus de vit. pyth. c. 28. inquit, *dice-*

dicebat diuinum Numen rerum superfluarum, & corruptibilium nihil prorsus accipere oportere: sed CEDRO, ET LAVRO, CYPRESSO, QVERCV, AC MYRTO DEOS ESSE COLENDOS: & paulo ante idem Iamblichus, *cœnæ tempore ad mensam Dijs quoque libationes faciebat, atque unoquoque die ad eos laudibus celebrandum, qui uiribus præualerent adhortabatur*. hoc est quod Eusebius, & Cyrillus tradunt, Pythagoram ex hebræorum sacris arcana habuisse, & hoc præcipue Regij vatis, *sacrificium laudis honorificabit me*. & illud, *immola Deo hostiam laudis, &c.* sequitur idem author, *Animum etiam Deorum respōsis, & uaticinijs uniuersimque omnibus diuinationibus, atque ultroneis sortilegijs adhibebat: Dijs adolebat Thus, Milij semina, Placentulas, Liba mellita, aliosque suffitus. ANIMALIA autem ipse non immolabat, neque etiā quisquam philosophorum, qui contemplationibus intenti erant*. animaduerto differentiam quandam, etenim præstantissimi abstinebantur ab animatis, cæteri nonnulla litabant, additque: *reliquis uero, qui auditionibus, ut discipuli adhuc uacabant, & urbium administratoribus præceptum fuit raro uiuentia atque animata sacrificare, uel Gallos, uel Agnos, uel aliud quid eorum, quæ recens nata sunt: Boues uero minime esse sacrificandos*: hæc ille.

159 Ergo non male Apollonius apud Athenæum lib. 10. refert Pythagoram animata, imo centum litasse boues, inquit enim, *Apollodorus Arithmeticus author est Pythagoram Hecatomben sacrificasse, quod inuenisset in triangulo rectis angulis constantem lineam, quæ recto angulo subtenditur, tantum ualere, quantum aliæ eundem angulum continentes*. hæc Athenæus, Apollodori autem verba hæc sunt, *cum famosus Pythagoras descriptionem linearū celebrem reperit, ob eam nobili sacrificio Boues immolauit*. & sic *eum ab animatis non abstinuisse* scribit Aristoxenus apud eundem Athenæum. ad hæc quid dicendum? facile sapientum dictis assentior, attamen ex oraculis Augustini, & Eusebij, si Pythagoram inter Magos numerandum censes, dœmonem vtique illum ad sacra hebræorum impulisse equidē non dubito; vel iuxta Iamblichum, si auditoribus adhuc

adhuc rudibus ob graue ingenij lapsum animalium permittebat sacrificia, quæ interdicta sapientibus erant, forsan antequam sapientiæ culmen pertingeret, & ipse animata litabat, moremque deinde damnauit. at vide Laertium.

160 Tandem ritus sacrorum docuit, de quibus Iamblichus c. 11. scribit, *fœminis Crotoniatarum fertur aliquid in medium proposuisse de sacrificijs. primum quidem, vt quemadmodum si alius quispiam ipsarum nomine Dijs immortalibus vota, precesque facturus esset non sint admisuræ nisi virum honestum ac bonum: nempe quia talibus Dij faciles aures præbere, simulque auscultare soleant, sic ipsæ quoque quamplurimi modestiam; ac humanitatem faciant, vt veluti in parato, dictoque audientes habeant, qui preces sunt exauditur: deinde vt Dijs offerant quæ ipsæmet suis manibus sunt effecturæ, & absque seruorum adminiculo ad aras oblaturæ forent, ceu sunt PLACENTÆ, LIBA, COCTILIA ex melle, THVS: cæsis autem mactatisque animalibus Dei Numen non esse bonorandum, neque quasi nunquam accessura sint, omnia vno tempore insumere decere.* hæc & alibi quam sæpe: vnde colligo post trianguli adinuenta se ab animatis abstinuisse in sacris; enimuero deinde resipuit: colligo ex oratione quadam, quã centuriatos tãtummodo Pythagoricos seruasse, tradit Iamblichus c. 27. vbi ait, *homines sacrificia faciant, Apollo oracula sua ex Tripode reddit, ac futura prædicit, eo quod in ternario primum numerum ostenderit: Veneri vero aliquid sacrificandum esse die sexto, eo quod hic numerus primus cõmunis fuerit vniuersæ numeri naturæ. Herculi vero sacra immolanda esse mensis consistentis octauo, considerantibus septimestrem eius ortum, ac natiuitatem:* itaque Pythagoras postquam numerorum depromsit arcana, cum illis litandum censuit, & ab animãtibus sacra detersit, quia hominum animas credidit post hominis obitum animalium ingredi corpora, pepercitque animæ, quam post Deum præstantissimam dixit.

161 Quid si Cain fruges obtulerit? Genes. 4. v. 3. *factum est vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de*

adipibus eorum: sed præstantior Abelis oblatio: cur? Rupertus l. 4. in Gen. c. 2. *quia Cain cum Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuerat repositum habens in cupiditate terrena, Abel autem primo cor suum, deinde rem suam offerendo plurimam hostiam per fidem obtulit*, hæc ex Paulo c. 11. ep. ad hebræos. nihilominus antequam velitationem hanc soluam, animaduerto ex D. Athanasio ab Adamo filios edoctos fuisse, circa sacrorum ritus, eo quo modo, Pantaleone Diacono auctore, Michael illum edocuit; & sic sensum literæ tradit Lyranus, Adam docuerat filios colere Deum per oblationes de fructibus terræ, Cain vero obtulit de peioribus, & de corrosis, Abel de melioribus animalibus, & quia tales oblationes non erant acceptæ ex se ipsis, sed ex bonitate offerentium, sequitur, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain vero, & ad munera eius non respexit. at equidem quid est *respexit Deus*? hunc locum vertit Tertullianus l. 2. adu. Iud. *accepto tulit*; Symmachus *delectatus est*; Aquila *consolationem accepit*. Theodotion *inflammauit, incendit*, quam lectionem secutus Procopius inquit, *Deus de cœlo ignem deijciens sacrificium Abeli consumpsit, allusit ad modum, quem libris Mosis, & Regum de Eliæ sacrificio legimus*. nec est quod Lutherus, & Caluinus factum hoc dicant Iudæorum fabulas. nam sæpissime in scripturis legitur, & dæmon, qui Deum æmulari contendit, Solino authore c. 11. id ipsum deprompsit, *inde collis est Vulcanus in quo, qui diuinæ rei operantur ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc cogeriem cum porricias intulerunt: si adest Deus, sic sacrum probatur, sarmenta licet virida IGNEM SPONTE CONCIPIVNT. & nullo inflammante à litato Numine fit incendium*: dices igitur, placuit Abel, quia de grege opima obtulit, ergo fruges damnauit altissimus! negat hæc Lyranus, & vtrumque obsequij velut monumentū habuisset Deus, si fide, ac pari deuotione litassent, imo ait Procopius, *Cainus non statim, sed procrastinando, & de frugibus non tamen primis oblationem facit, nec donat, sed quasi distribuit cum Deo: Abel quidquid immolauerat totum donat, ac tribuit domino, vnde donator magis, alter distri-*

distributor appellari potest: & recte, nam deinde inclamauit Dominus, *mea sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & Boues*. sic fruges placent Deo, placent & victimæ si cordis versantur intuitu: Vetulæ eleemosyna vicit oblationes principum. & par columbarum Mariæ super sacrificia, & oblationes Salomonis respexit Dominus. si non habes ad manus, *cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet*.

PYTHAGORICI CVR AB ANIMATIS se abstinerent?

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

162 
Vod intrat per os hominem non coinquinare, vti sanxit altissimus, compertum est: nihilominus veluti obsequij monimentum à nonnullis abstinentiam iuxta orbis exordium creator indixit, & dœmonum secta traduci impietate enormissima, vt ab animatis se abstineant suos & ipsa obligat, eorumque omnium antesignanus Pythagoras prodit, & diris increpat animatis quoscunque vescentes. asserit hæc Iamblichus in eius vita c. 31. vbi iubet ABSTINERE AB OMNIBVS ANIMA PRÆDITIS: & Philostratus in vita Apollonij Tyanei, *vestitum ex morticina materia confectum renuisse Pythagoram dicunt, & ab animalium omniũ esu se abstinuisse*: nec aliter Tertullianus, & Porphyrius.

163 Athenæus lib. 1. Deipnosophistarum, vbi triumfantium enarrat facinora simul, de Empedocle Pythagoreo inquit, *fuit Alexandri Magni excelsus animus, atque etiam, Cononis qui ad Cnidum nauali prælio vicit Lacedæmonios Peiræum muris cinxit, et centum mactatis pecudibus, cum veram Hecatombem, non ementitam sacrificasset vniuersis Athenienfibus epulum dedit: sic Alcibiades primus, secundus, quartus in Olympicis ludis cur-*

ru victor (victorias illas suis versibus Euripides celebrauit) sacris Olympio Ioui peractis vniuersæ hominum multitudini, qui ludos spectauerant conuiuium exhibuit : id ipsum fecit, & Leophron in iisdem spectaculis cuius victoriam cecinit Ceus Simonides, Empedocles vero Acragantinus equis in eodem certamine victor cum esset Pythagoricus animatisque cibis abstineret, E MYRRA, THVRE, PRÆCIOSISQ. ALIIS ODORIBVS FICTVM BOVEM illis distribuit, qui in eo totius græciæ conuentu occurrebant: hactenus ille,& sequitur ex Antiphane id ipsum referre.

164 Arcanum expendere fert animus,& Ælianum auoco l. 9. h. a. c. 10. vbi Iouis Aquilam carnium ab esu se abstinere scribit, *Aquila violentum, et auarum animal raptu viuit, & carnes appetit, nam ad se explendam Lepores, Hinnulos, Anseres ex coborte, & alia pleraque rapit; vna tantum ex Aquilarum genere, quæ Iouis appellatur CARNES NON ATTINGIT, sed ad victum ei berba satis est, & quamuis Pythagoram Samium non audiuit nullam tamen animantem edit*; mirum equidem, & hanc Iouis Aquilæ sermones cũ Pythagora forsan habuisse suspicor: audi Iamblichum c. 13. *cum Pythagoras Olympiadibus loqueretur cum præstantissimis hominibus de augurijs omnibus, prodigijsque peritis, Aquilam videns super volitantem, quasi Iouis signum ad se traxit, cũq. eam demulsisset dimisit*: alibi Aquilam secum colloquentem habuit, vnde ex hoc fuisse genere haud inauspicato quis crederet.

165 Cheremon, & Demochares, quos sequitur D. Hieronymus, veteres Ægyptiorum sacerdotes à carnibus, & vino semper se abstinuisse tradunt: & Dicæarchus, *antiquos vllum animal occidisse* scribit; & hanc Orphicam, Pythagoricamque esse vitam docet Porphyrius in lib. de abst. ab anim. *abstinere animalibus præcipimus non quidem omnibus, sed omni dumtaxat diuina contemplaturo, qui sane animaduertit huius babitaculi ueneficia, in quo hic babitamus, quin etiam cognoscit, quod in se est naturaliter perpetuo vigilãs, atq. somnũ quo hic opprimitur deprehẽdit*; animam vero vndique consonam virtutibus, paulo post e-

xigit,

xigit, quã carniũ esus, fumusq; deturpat; & apprime inquit, *fieri non potest vt anima sonet quidem, nisi tota conuersa sit ad sonum, & oculum præsidentem ad hoc direxerit quando vero sublata multorum indigentia causa fuerit, liberatique fuerimus eorum copia, quæ intromittuntur in corpus, & eorum pondere iam leuati, tunc animi oculus à fumo, fluctuque corporeo expers effulget: præterea VSVS CARNIVM AD SANITATEM MINIME CONFERT, sed sanitatem potius impedit, quoniam per quæ recuperatur sanitas, per eadem perseuerat, recuperatur autem per victum tenuissimum, & carnibus abstinentem, quapropter, & hoc sanitas conseruatur:* hactenus ille, & carnis abstinentiam ad sanitatem refert; sicut Basilius, & Leo magnus inclamant. vide Laertium in Pythagora.

166 Ergo tantummodo sanitatis respectum præoculis habuerunt vt à prandijs carnem repellerent; quod Iamblichus c. 31. ex Pythagora exhibet, *eiusdem generis est abstinere ab omnibus anima præditis, itemque à delicatis, & luxuriosis, siquidem in publicis epulis cibos suaues, ac sumptuosos, multũq. conditos apponi solere, remitti vero eos seruis in hoc, vt solum cupiditatis pœna afficiant appositi*, forsan quia, Auicenna authore, dulcia, & opima multis condita saporibus præcordia inficiunt, viresque relaxant: sed si hoc esset, non ab omnibus animatis, sed solum ab ijs quæ salutem hebetant cauendum esset, recteque Homerus, (teste Luciano, Plutarcho, & Meleagro Gadarense apud Athenæum l. 4.) à piscibus Heroas suos abstinuisse occinit, carnes vero vorasse solidas, quod Dio Chrysostomus orat. 2. de Regno sic tradit, *nosti Homerum in ipso exercitu ad Heroum conuiuia non PISCES adducere quamuis in ipso maris Hellesponti littore essent Græci; neque ELIXAS CARNES, neque exquisitis alijs cibis eorum mensas instruere, sed ASSAS CARNES illis tantum exhibere, quæquidem militibus paratu essent facillimæ: etenim expeditius est igne vti, quam vasa circumuectare: neque vero condimentorum arbitror vllum apud Homerũ verbum, & hoc etiam norunt quicunque corpori firmando sese exercent, abstinendũ esse ab huiusmodi omnibus his, si-*

qui-

quidem futurum est vt corpus validius reddatur; ergo ob valetudinem *pisces* relegabat à mensis, sicut Porphyrius *carnes*: & illos luxuriæ fomitem excitasse præstat Iuuenalis,

Atque ita defecit nostrum mare dum gula sæuit,
Retibus assiduis, penitus scrutante macello,
Proxima nec patimur Tyrrhenum crescere piscem.

illos detestauit sapientum antiquitas, Ouid. de Carna 6. F.

Prisca Dea est aliturque cibis quibus ante solebat
Nec petit adscitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat,
Ostreaque in conchis tuta fuere suis.

Homerus Vlyssis socios ob necessitatē pisces esitasse canit,

Vtque dapes nauis consumpta accingere præda
Sectarique cibos palantes æquore toto
Constituunt, nam dira fames cogebat, & hamis
Pisces iniungis, volucresque per aera lapsæ
Captantur, quacunque volant in retia rara.

hæc ex Odyssea obseruabat Marsilius Cagnatus, & doctus Allatius de patria Homeri, probatque ex Eubulo, & Athenæo, traditque etiam Pythagoras apud Laertium.

167 Alij ob religionem ab animatis se abstinebant, etenim Democrito authore, *Magorum adyta non patent ijs qui carnibus vescuntur*: morem prodit Apuleius lib. 11. met. *Iam duabus diei partibus transactis ante ipsa Deæ vestigia constituit, secretoque mandatis quibusdam, quæ voce meliora sunt, idque plane cunctis arbitris præcipit, decem continuis illis diebus cibariā voluptatem coercerē, neq. VLLVM ANIMAL ESSEM, ET INVINVS ESSEM*; ad quæ Beroaldus inquit, superstitio priscorum decem dies puros castosque dedicauit Isiacæ religioni: hinc Propertianum, *Cynthia iam noctes est operata decem*: Liuius scribēs de matre filio initiatura Bacchanalibus sic refert, *decem dierum castimonia opus esse, decimo die cœnatum deinde pure lautum in sacrarium deducturam*: idem docet eum qui initiari volebat per aliquot noctes secubuisse à fœminæ complexu RELIGIONIS CAVSA: Ouidius quoque in sacris Cerealibus, tradit secubitus vsurpari solitos, vt scilicet

cet fœminæ solæ in vacuo thoro per aliquot noctes secubarent: apud veteres ceremoniæ denariæ dicebantur, quibus sacra adituris per decem continuos dies certis quibusdam rebus carendum erat; nunc Lucius noster denotat ieiunium indici solitum decem dierum ei, qui sacris Isidis initiari vellet, sic hodieque nostri sacerdotes cibis ganeatis interdicuntur causa religionis; quorumdam gulosa abstinentia est, vt scilicet ab esu panis, & carnium temperantes farciantur bellarijs, & martium panem pro frumentareo pane deuorantes de ieiunio glorientur: cum vero dicit, (vt essem vllum animal,) denotat quomodo priscis temporibus nec carnibus vescebantur, nec animalia Dijs immolabant, sed liba, & fructus melle concinnati, cæteraque huiusmodi sacrificia pura Dijs offerebantur, nam vesci carnibus, vt inquit Plato l. 6. de leg. & Deorum aras polluere sanguine, impium videbatur, & hæc fuit Orphica vita, & Pythagorica. sed non omnium animalium abstinebantur ab esu, sed varij varie demore animata vitabant, de Syris Plutarchus lib. 8. sympos. quæst. 8. *apud Ægyptios non solum, neque Syros, sed etiam apud Græcos sanctimoniæ pars erat piscibus abstinere*, at lib. de Iside, & Osyride narrat sua ætate graue bellum exarsisse in Ægypto, quod Cynopolytæ Oxyrinchum edissent, & Oxyrinchitæ carnem: Herodotus in Euterpe scribit, *Nefas illis esse pisces comedere*: Lucianus in dial. de astrologia docet Ægyptios, qui piscium signum obseruauerant piscibus non vesci, nec *Hircum* mactare, qui Capricornum viderant; quibus recensitis Allatius inquit, *ieiunium tale indixerat rerum sacrarum veneratio, & pisces apud illos sacri, & Numina, & si non omnes*; cæterum vide Ludouicum Nonnium Ichthyophagiæ c. 3.

168 At sensus præcunctis altior effertur ex Pythagoræ oraculo, quod Iamblichus c. 30. refert, *Iustitiam primo optime instituit, proinde cum hanc propriam cuiusque possessionem hominibus eminus imponere vellet, ad* COGNATA *queque eiusdem generis* ANIMANTIA *homines consociauit, adhortans vt similia vellent, ducerentque eadē & amica: nempe vt nec iniuria vllum ex illis afficerent,*

nec mactarent, neue ederent, qui igitur, & ANIMALIBVS, & quod ex iisdem nobiscum elementis constant, & communionis vitæ nobiscum consortia sunt homines proprios, dominosque facit, quanto magis iis qui communionem habent animæ, quæ eiusdem est generis, & rationis proprietatem instituit: non edebant itaque pythagorici animalia, ne violarent consortia, quæ parens natura sanxit; primo quia Dei ipsius ope vna omnes simul existimus, sicut Aristoteles lib. de mundo ex Empedocle docet, *ea quidem, quæ in aere fiunt, quoque modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua ea certe Dei opera esse merito dixerimus, Dei inquam opera cum imperio summo mundum, ac pro potestate obtinentis, ex quo Deo, vt inquit Empedocles physicus;*

Omnia quotquot erunt, quot sunt præsentia quotque
Orta fuere ante hac stirpes hominesque, feræque
Inde etiam volucres, piscesque humoris alumni.

169 Adde cognata nobis animantia ob terræ monimenta vnde vtrumque nostri genus traxit origo: Genes. 1. 24. *producat terra animam virentem in genere suo iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas.* & alibi, *formauit Dominus Deus hominem de limo terræ:* sic animal, & homo tellurem, eandemque respiciunt materiam; ex nomine primi hominis oraculo Platonis, ac Mosis id ipsum collegit Eusebius c. 4. pr. eu. l. 11. *nam & nomen ipsum Adam terrigenum, aut terrenum potest significare, Adam enim apud hebræos humus dicitur:* Lucretius l. 5.

Coniunctus terris, & nobis est animi vis — & postea
Quare etiam, atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creauit
Humanum, atque animal prope certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibus passim,
Aeriasque simul volucres variantibus formis.

differunt nihilominus si intellectum pendis, & vultum ad sidera: audi D. Aug. de Gen. ad lit. *si & hominem de terra, & bestia de terra ipsa formauit, quid habet homo excellentius illis, nisi quod ipse ad imaginem Dei creatus est? nec tamen hoc habet secundum corpus, sed secundum in-*

tellectum mentis, quamquam in ipso corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet, quod erecta statura factus est, vt hoc ipso admoneretur non sibi terrena esse sectanda, velut sectantur pecora, quorum voluptas omnis ex terra est, vnde in aluum cuncta pecora prona, atque prostrata sunt: congruit ergo, & corpus hominis animæ rationali non secundum lineamenta, figurasque membrorũ, sed potius secundum id quod in cœlum erectum est, ad intuenda quæ in corpore ipsius mundi superna sunt, vt quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram; id ipsum pertractant eleganter Basilius, & Ambrosius in Hexæm. Tullius in 2. de nat. Deorum, Lactantius, & alij, præcipue Ouidius l. 1. metamorph.

Natus homo est: siue hunc diuino semine fecit,
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Siue recens tellus, seductàque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cœli:
Quam satus Iapeto mistam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum:
Pronaque cum spectent animalia cętera terram
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus;
Sic modo, quæ fuerat rudis, & sine imagine tellus
Induit ignotas hominum conuersa figuras.

170 Sed causas vt quamplurimas inquiramus, Pythagoræ symbola, quæ ad animalium religionem spectant expendo: A' PISCIBVS ABSTINENDVM: de hoc satis diximus l. 2. Athenæus l. 7. Deipnos. ob silentium piscibus innatum, maximopere apud Pythagoricos sacrum, iussisse credidit, Plutarchus alios habet, qui mare hominibus ingratum, & illud mortis caussam autumant, vnde & Osyridem maximum Ægyptiorum Deum in eo perijsse; ideoque maris munera velut suspecta sapienter repulit: sed Plutarchus potius ad piscium erga homines pietatem refert, illos cum nullo modo lædãt, & sint ob gulã tantum exhibiti: præcepit etiam Deus hebræis haud pisces squammis, pinnulisque carentes comedere, qua de re videndus Abulensis, & Lyranus. Cæterum vide Diogenem.

171\. Sequitur MELANVROS NE GVSTES : de Melanuris infra iam satis, sed quia Guarinus vertit, *ab eo qui nigram caudam habet abstine*: Plutarchus symbolum admonere scribit, *cum impijs non standum*: & vti Lilius animaduertit, Antiphanes poeta *à Melanuro, & Mugile cauendum* suasit: etenim nostri scriptores malos, & improbos, *nigros, & atros* nuncupant, vt illud Catulli, *albus, an ater?* & Horatius, *hic niger est, hunc tu Romane caueto:* Laertij interpres *Sepiam* Melanurum dixit, forsan ob piscis nigredinem qua offunditur: Gaza Melanurum Aristotelis *Oculatam* vertere visus est: cum Plinius oculatam à Melanuro diuersam recenseat: at Erasmus fauet Diogenis interpreti, dum in illo Athenæi *sequitur Perca Melanurum*, Sepiam transtulit: Ennius autem in Phageticorum fragmento apud Apuleium in apol. nominat


Melanurũ, Turdum, Merulamque, Vmbrãq; marinã.

ex quo Columna Scholiastes annotat, *Melanurum græcos à cauda nigredine appellasse, eamque denominationem latini vt propriam retinuisse*; Ouidius in Halieutico,

Quin laude insignis cauda Melanurus,


& denuò ibidẽ—*Cauda Melanurus acuta*: Alciatus in Lexico Plautino *Oculatam esse*, ait, *quam Plautus Ophthalmiam appellauit*; quo nomine Turnebus *carnem oculis vicinam, oculosque* vult intellexisse, sed illam Lucilius *Cephalæam* dixit; Laertius in eius vita inquit, *Sepia vesci prohibebat, & Erythino, ac Triglia*, idque ex Aristotele, tandem rationem adducit, *Pisces non gustandos eos, qui sacri sunt: neque enim fas esse eadem Dijs, & hominibus apponi, sicuti, nec seruis, & liberis*: Deus noster pisces ab altare repulit, ob eas rationes quas Origenes recenset dæmon auocauit, præcipue Sepiam ob nigredinem: & ideo Sepiam exhibeo, meumque Melanurum, vt diuersitatem videas, ac scias à quo sibi cauendum duxerit Pythagoras.

Se-




172 Sequitur Pythagoras, NON EDENDVS ERYTHINVS, in eius nomine Lilius animaduertit, piscium naturæ scriptores *Erythrinum* cum R litera hunc piscem dixisse: sic Speusippus, & Dorion, quibus adstipulatur Artemidorus Daldianus, & Athenæus, & Suidas; Clitarchus quoque Erythrinum ait, à Cyrenæis *Dycen* vocari, Zenodotus *Hyccam*: Plinius in hoc genere piscis marem non esse ait; Theodorus Gaza Erythrinum apud Aristotelem

Rubeculam interpretatus est: *Rubellionem* Hermolaus Barbarus: sed Saluiano teste idem Gaza *Rubellionem* vertit, estque apud Romanum vulgus *Fragolino*, Venetijs, *Arbore*: piscis *ruber* est, ac flauus vti Oppianus canit, nec male forsan Ficinus symbolum transtulit, *Rubrum aliquid ne suscipias*, à sanguine & vindicta longe suos esse commẽdans. eumque Athenæus lib. 7. Phagro similem exhibet; omnesque ex eo genere ouis grauidi vt capiantur Aristoteles h. a. l. 4. pluribus demonstrat, & l. 8. c. 17. Pelagium facit, ex quo Athenæus erroneum haud esse contendit; at mordax est, & pugnat quam sæpe, ideo Reipublicæ emolumentum pacis honore auspicatus, Pythagoras à suis Erythrinũ ablegauit; hũc iconẽ propono iuxta obseruationes meas



173 Præter iam recẽsitos pythagoras à *Scaro* abstinendum præcepit, eo quod sit vorator vuæ, Onias, Aeolosque, vtramque scilicet scarorum speciem damnauit; item *à Mugilibus*, *& Labrace*, idest *Lupo* se abstinebat; *Vrticam marinam* non edendam censuit, *quod ea Veneris stimulos afferre* dicitur;

vel



vel quod Hecatæ ſacra ſit, ſicut & *Triglia* à qua abſtinendum monebat; eodemque pacto vuluam non edendam docebat, quod ea eſſet generandi ſedes: dicebat inſuper COR NON EDENDVM, forſan quia D. Cyrillo authore, apud Ægyptios *iram, furoremque* ſignificabat: eadem ratione CEREBRVM NE MANDITO, ad quæ Iamblichus, *Cerebrum, & cor mandi non permiſit Pythagoras, quod quaſi duo ſint duces, & quaſi gradus, ſedeſque viuendi.*

Sed

174 Sed ab omnibus animatis Pythagoram abstinere non iussisse, sed tantum ab aliquibus, patet ex eo, quod Iamblichus in vita Pyth. cap. 18. inquit, *Anima hominis in EA SOLVM ANIMALIA NON INGREDITVR, quæ mactari fas est, ideoque ijs solum vesci fas est, ad quos quidem illis vesci pertineat, alio vero nullo animali vescēdum est*, repetit id ipsum c. 26. & alibi, præcipit Reipublicæ rectoribus præstantiora haud cædenda ex animalibus, sed ea tantummodo quę imperfecta ad cibum exhibenda, ijs scilicet in quibus hominum animæ haud transmigrant: cæterum, & carnem manducasse ex his quæ diximus patet, monetq; Laertius; sunt qui tradant ideo abstinere iussisse, vt mortales ad faciliorem victum, & ad parabilio res cibos assuefaceret, ne igne opus esset ad coquendum: sed & Brachmanas Indiæ philosophos animalibus abstinuisse Megasthenes, & Strabo tęstes sunt locupletissimi; Porphyrius quoque in 4. de abst. & D. Hieronymus contra Iouinianum colligunt ex diuersis auctoribus, alios plerosque ab carniū, & animalium esu abstinuisse; et ex scriptoribus quidam inter quos Athenæus Pythagoram tradunt reliquias quidem animantes aliquo modo attigisse, moderate tamen, & parce, quasdam etiam immolasse: Lycon quoque Iasias in Pythagoreo ait, *Pythagoram mediocri vti solitum alimento, nec animalibus penitus abstinuisse*, vt etiam Aristoxenus scribit, Apollodorus etiam Arithmeticus, & ipsum ait Hecatomben sacrificasse: sed & Gellius lib. 4. inquit, *opinio vetus falsa occupauit, & conuolauit Pythagoram philosophum non esitauisse ex animalibus*, tum paulo post subdit, parculis quoque minusculis, & hædis tenerioribus victitasse, Aristoxenus refert, quam rem videtur cognouisse ex Xenophilo Pythagorico, familiari suo, & ex quibusdam alijs natu maioribus, qui ab ætate Pythagoræ haud multum aberant: hæc & de animalibus Alexis etiam poeta in comedia, quæ Pythagoræ vita inscribitur docet; idem Gellius, & Plutarchus quoque inquit, homo in disciplinis grauis authoritate, in primo librorum quos de Homero composuit, Aristoteles philosophus, scripsit, eadem ipsa de Pythagoricis scripsisse, qui non abstinuerunt

edun-

edundis animalibus, nisi pauca carne quadam: eius verba hæc sunt. *Aristoteles à Vulua, Corde, & marina Vrtica atque id genus quibusdam alijs abstinere Pythagoricos dixit, cæterorum autem vsum habuisse*; hæc etiam Lilius.

175 Tertullianus bubulam carnem à Pythagora interdictam fuisse scribit, ne hominis in illa vexaretur anima, ideoque sequens instituendum caput arbitror.

DE TRANS MIGRATIONE ANIMÆ RATIONALIS in animalium corpora.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

176 
Ercurij Trismegisti laus ab antiquitate, & traduci Heroum serie commendatur, etenim D. Augustino auctore, Atlas astrologorum parens, Promethei physici frater, ac maternus auus maioris Mercurij fuit, cuius nepos fertur Trismegistus: hic vere ter maximus sapientissimos philosophantium edocuit, ac primos ex Mosis penu monumenta scripturarum exhibuit, præcipue in Pimandro, vnde Pythagoras hausit trãsmigrationis arcanum, & cæcutiens corruit, enimuero in claue Tatium erudiens inquit, *animarum mutationes permultæ sunt; sane in melius feliciusque, partim autem in contrarium: nam Reptilium quædam in aquatilia transmutantur, aquatilium animæ in terrestria migrant: terrenorum in volatilia scandunt: aereorum vertuntur in homines. Hominum deinde immortales animæ in dæmones transeunt, demum in Deorum chorum feliciter reuolant: chori Deorum gemini, vagantium vnu, non vagantium alter: atque hæc est suprema animæ gloria: anima vero in corpus humanum delapsa siquidem mala perseuerauerit, non gustat immortalitatis quicquam, neque bono etiam fruitur, reuoluto autem itinere in REPTILIA præcipitant*: hactenus ille, sed vt optime Ficinus animad-

uer-

uertit, allegorice scribit, & per reptilia, bestiasque corpus vitiorum pondere onustum intelligit, & seipsum expendẽs ait, *anima per mortem à carcere corporis exempta, cum omnis subierit virtutis, pietatisque mandata certe, AVT MENS, AVT DEVS EFFICITVR: anima tamen impia in natura propria remanet, ac seipsam nimium cruciat, corpus quarit quod ingrediatur terrenum, & humanum, aliud quippe corpus quam humanum anima non capit humana, neque fas est in corpus animæ ratione carentis animam rationalem corruere. Lex enim diuina generationem tam nefariam prohibet*: dicit ergo animam impij suum quærere corpus, sicut Cyrillus, Athenagoras, Clemens cæterique ex nostris docent, in quo manes patiatur, & quia cum in honore esset non intellexit comparatur, tunc iumentis insipientibus, & similis fit illis.

177 Hanc doctrinam cum non percepisset Pythagoras, qui Theodoreto teste ab hebræorum adytis, & ipse desumpsit, imo cũ allegoriã sensuum altissimorum non intellexisset delirauit, cuius deliria Tertullianus in l. de resur. car. sic enarrat, *Defunctis parentant, & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, vt quos negant sentire, quicquam, etiam desiderare præsumant: at ego magis ridebo vulgus, tunc quoque quum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus, & promerens, & offendẽs: ò pietatem de crudelitate prudentem: sacrificat, an insultat, quum crematis cremat, plane cum vulgo interdum & sapientes sententiam suam iungunt, nihil esse post mortem Epicuri schola est: ait & Seneca, omnia post mortem finiri, etiam ipsam; satis est autem si non minor philosophia Pythagora, & Empedocli: sed Platonici immortalem animam è contrario reclamant: imo adhuc proxime etiam corpora REMEABILEM affirmant, & si non in eadem, & si NON IN HVMANA tantummodo, vt Euphorbus in Pythagoram, HOMERVS IN PAVVM recenseatur; certe reciduatum animæ corporalem pronunciauerunt, tolerabilius mutata, quam negata qualitate; pulsata salute liceat non addita veritate; ita sæculum resurrectionem* mor-

mortuorum, nec cum errat ignorat; ergo habemus Homerum in Pauum, & homines in bestias, adde imo & in plantas, sicuti Labeo Mimographus tradit, cuius meminit Macrobius in sat. & Gellius,

Et audio mala multa, etiam ex bonis:
Pari illud, vt nos olim mutant philosophi,
Et nunc de MVLO HOMINE, de muliere colubrum
Faciunt, & ex diuersis diuersa alia.

quæ in apologetico Tertullianus c. 48. sic prodit, *age iam si quis philosophus affirmet, vt ait Laberius de sententia Pythagoræ, HOMINEM FIERI EX MVLO, colubrum ex muliere, & in eam opinionem omnia argumenta eloquij virtute distorserit; non ne consensum mouebit, & fidem inficet etiam ab animalibus abstinendi; propterea persuasum quis hoc habeat, ne forte BVBVLAM de aliquo proauo suo obsonet: at enim christianus si de homine hominem, ipsumque de Caio Caium reducere repromittat lapidibus magis, nec saltem cædibus à populo exigetur: si quacunque ratio præest animarum humanarum reciprocandarum in corpore, cur non in eandem substantiam redeant, cum hoc sit restitui, id esse quod fuerat: iam non ipsæ sunt quæ fuerant, quia non potuerunt esse quod non erant nisi desinant esse quod fuerant: multis etiam locis, & otio opus erit, si velimus in hanc partem lasciuire.*

178 Hanc opinionem Pythagoræ recēsent Laertius, & Lucianus, eamque sequuti sunt pythagorici, inter quos Empedocles apud Plutarchum occinit,

Nam (memini) fueram quondam puer, atque puella
Plantaque, & ignitus PISCIS, pernixque volucris.

Laertius de Empedocle, *dicebat animam, & omnigenum animalium, atque arborum species indui*: Tertullianus de anima, *PAVVM se meminit Homerus Ennio somniante, sed poetis nec vigilantibus credam; & si pulcherrimus Pauus, & quo velit colore cultissimus, sed tacent pinnæ, sed displicet vox, & poetæ nihil aliud quam cantare malunt*; Persius de Ennio,

Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mœnides, Quinctus PAVONE ex Pythagoreo.

Horatius lib. 2. epist.

Ennius, & sapiens, & fortis, & alter Homerus
Vt Critici dicunt, leuiter curare videtur
Quo promissa cadant, & somnia Pythagorea:

Lucretius idipsum tangit,

An pecudum alias diuinitus insinuet se
Ennius vt noster cecinit. —

179 Longam literam nihilominus Tertullianus fecit, vbi Platonicorum, ac Pythagoræ sensa exhibuit in lib. de anima c. 28. *Quis ille: nunc vetus sermo apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu, quod hinc abeuntes eant illuc, & rursus huc veniant, & viuant, & de hinc è vita abeant: rursus ex mortuis effici viuos? Pythagoricus vt volunt quidam diuinus, Albini, vt existimo, aut Mercurij forsitan Ægyptij. sed nullus sermo diuinus, nisi Dei vnius, quo Prophetæ, quo Apostoli, quo ipse Christus intonuit multo antiquior Moyses etiam Saturno nongentis circiter annis, ne dum pronepotibus eius, certe diuinior multo, qui discursus generis humani ab exordio mundi quoque per singulas natiuitates nominatim tẽporatimque digessit, satis probans diuinitatem operis ex diuinatione vocis. Si vero Samius Sophista Platoni auctor est animarum de recidiuatu reuolubili, semper ex alterna mortuorum, atque viuentium suffectione, certe ille Pythagoras, & si bonus cætera, tamen vt hanc sententiam exstrueret non turpi modo verum etiam temerario mendacio incubuit. cognosce qui nescis, & crede nobiscum: mortem simulat sub terraneo latitat, & septenni se illic patientia damnat inter ea, quæ de posteris defunctis ad fidem rerum esset relaturus, ab vnica conscia, & ministra Matre cognoscit; vt satis sibi visus est corpulentiam interpolasse ad omnem mortui veteris horrorem, de adytis fallacia emergit, vt ab inferis redditus quis non crederet reuixisse, quem crediderat obisse? audiens præsertim ab eo quæ de posteris mortuis nisi apud inferos non videretur cognoscere potuisse, sic ex mortuis viuos effici senior sermo est. quid enim si & iunior? neque veritas desiderat vetustatem, neque mendacium deuitat nouellitatem teneo plane*

ne falsum antiquitate generosum; quid ni falsum cuius testimonium quoque ex falso est? quomodo credam non mentiri Pythagoram, qui mentitur vt credam? quomodo mihi persuadebit Æthalidem, & Euphorbum, & Pyrrhum piscatorem, & Hermotimum se retro ante Pythagoram fuisse, vt persuadeat viuos ex mortuis effici, qui iterum se Pythagoram peierauit? quanto enim credibilius ipse ex semetipso redisset in vitam, quam totiens alius, atque alius tanto, & in durioribus fefellit, qui molliora mentitus est. sed clypeum Euphorbi olim Delphis consecratum recognouit, & suum dixit, & de signis vulgo ignotis probauit. respice ad Hypogeum eius, & si capit crede, nam qui talem commentus est strophan cum iniuria bonæ valetudinis, cum fraude vitæ septennio excruciata infra terram, inedia, ignauia, umbra, cui tanta fuit fastidium cœli, quam non accesserit temeritatem, quam non tentauerit curiositatem, vt ad notam clypei illius perueniret? Quid autem si in historijs aliquibus occultioribus reperit? quid si defecta iam traditionis superstites aliquas fama aurulas hausit? quid si ab æditu o redempta clam inspectione cognouit. scimus etiam magos elicere explorandis occultis per catabolicos, & paredros, & Pythonicos spiritus. Non enim, & Pherecides Pythagoræ magister his forsan artibus diuinabat, ne dicam somniabat. quid si idem dæmon in illo fuit, qui & in Euphorbo res sanguinis gessit? denique qui se Euphorbum ex argumento clypei probarat, cur neminem Troianorũ commilitonum æque recognouit? hæc ex Tertulliano, iuxta Diogenem, ac Plinium qui l. 30. c. 1. Pythagoram, Empedoclem, ac Democritum Magos nuncupat, eumque de magia redarguit.

180 Itaque Pythagoricorum secta animas hominum in bestias migrare edocuit, & animaduerto hanc rationem primum vulgasse Pythagoram; inquit etenim Laertius ex Aristoxeno, *primum hunc sensisse animam circulum necessitatis immutantem alijs alias obligari animatibus, primumque græcis pondera, & mensuras inuexisse: primum vesperum atque luciferum idem sidus dixisse*: hæc etiam Parmenides; & Diogeni assentior, quia Mercurius transfini-

grationem non admisit, sed pœnam in corpore, quam postea allegorice Origenes, & Gregorius edixerunt: ac Mercurij mentem expressit Claudianus lib. 1. in Ruffinum,

Nam iusta Rhadamanthus agit congesta superni
Curriculi, totosque diu prospexerit actus,
Exaequat damnum meritis, & MVTA FERARVM
Cogit vincula pati: truculentos ingerit VRSIS
Praedonesque LVPIS: fallaces VVLPIBVS addit:
At qui desidiae semper, vinoque grauatus
Indulgens Veneri voluit torpescere luxu
Hunc SVIS IMMVNDÆ pingues detrudit in artus;
Qui iusto plus esse loquax, arcanaque sueuit
Prodere, PISCOSAS fertur victurus in vndas,
Vt nimiam pensent aeterna silentia vocem,
Quos ubi per varios annos per mille figuras
Egit lethaeo purgatos flumine tandem
Rursus ad humanae reuocat primordia formae.

181 Exempla passim Pythagorici demonstrant, ex quorum turba vnum auoco Apollonium Tyaneum, qui apud Philostratum c. 15. in Leone Amasis Ægyptiorum Regis animam agnouit, exhibuitque, *vir quidam Leonem mansuefactum ex loro veluti canem quocumque volebat ducebat: Leo autem non modo ei, qui se ducebat blandiebatur, sed caeteris omnibus, qui obuiam accessissent: tali modo vir mercedem quaerens multas iam lustrauerat ciuitates, quin etiam templa ingrediebatur, quod mundus à caedibus esset, & impollutus, neque enim hostiarum sanguinem lambebat, & excoriatas, atque infrusta diuisas sacrorum carnes non attingebat, sed mellitis placentis, ac pane etiam, & bellarijs vescebatur, coctas quoque carnes edebat, & vinum quandoque bibere visus est, cum antiquam seruaret consuetudinem: is itaque Leo ad Apollonium veniens, qui tum forte in templo sedebat, & ad eius genua procumbens, blãdo strepitu deliniebat, & alijs, quoque supplicare videbatur: quod videntes, qui adstabant mercedis causa id facere arbitrabantur, respiciens autem ipsum Appollonius hic inquit Leo, me rogat, vt vos doceam CVIVS NAM HOMINIS ANIMAM HABEAT, est autem Amasis*

quan-

quandam Aegypti Rex circa Saiticā praefecturam: quibus uerbis auditis Leo miserabiliter fremens lamentabilem rugitum edidit, cum dentibus infrendens lugere proculdubio uideretur, lacrimarum uim fundebat, demulcens igitur ipsum Apollonius, ego, inquit, Leonem censeo Leontopolim mittendum esse, ibique in templo collocandum, Regem enim maxime in regiam belluam conuersum, tanquam egenum mendicare indignum iudico. hæc Philostratus. nec mirum dum Hierocles Apollonium Pythagoricum fuisse scribit, sicut etiam Eusebius, Photius, ac ipsemet Philostratus.

182 Hanc ergo transmigrationis insaniam prodidit ipse Pythagoras, qui teste Heraclide Pontico, *de se dicere solitus erat, quod fuisset aliquando Æthalides, ac Mercurij filius putatus esset, Mercuriumque monuisse illum, ut peteret prater immortalitatem, quod uellet, petijsse igitur, ut uiuens, & uita functus omnium quæ contingerent memoriam haberet, itaque in uita meminisse omnium, eandemque memoriam, & post mortem reseruasse, atque aliquanto post in Euphorbum uenisse, atque à Menelao suisse uulneratum, Euphorbus autem dixit, se aliquādo Æthalidem fuisse, atque à Mercurio pro munere accepisse, ut anima illius perpetuo errore uagaretur, & in quas uellet ARBORES, VEL ANIMANTES COMMIGRARET & quæ apud inferos anima omnia perpessa esset, ac cæteræ animæ, quæ nam patiantur, postea uero quam Euphorbus diem obijt ingressam in Hermotimum ipsius animam, qui & ipse cum fidem uellet facere, Branchidas petijt, ingressus Apollinis Phanum offendit Clypeum, quem illic Menelaus affixerat, ait enim illum cum ex Troia remeasset Apollini sacrasse scutum, iam putrefactum, solamque perdurare eburneam faciem; ubi autem, & Hermotimus uita functus est, rursus in Pyrrhum Delium piscatorem migrasse illumque omnia memorasse, ut primum Æthalides fuerit, postea Euphorbus, deinde Hermotimus, ac postremo Pyrrhus effectus sit, ac deinde post Pyrrhum factum esse Pythagoram, omniumque meminisse quæ prædiximus.* hactenus Heraclides apud Laertium, & postea Tertullianus in

l. de an. c. 31. ipsum increpat dicens, *at quin scio non ita fieri; quum Pythagoram Euphorbum mihi opponis: ecce enim Euphorbum militarem, & bellicam animam satis constat, ut de ipsa gloria clypeorum consecratorum, Pythagoram vero tam imbellem, ut prælia tunc græciæ uitans Italiæ maluerit quietem Geometriæ, et Astrologiæ, et Musicæ deuotus, alienus studio, et confectu Euphorbi.*

183 Aliud somnium cecinit Ennius, *tum memini fieri me Pauum:* quem locum ex Seruio collegit Vrsinus, traditque Donatus in Andria: & rursus in Phormione: ad quæ Columna diligens Scholiastes inquit, de hac animarum migratione de corporibus ad alia hominum, siue Brutorum corpora, Sophoclis Scholiastes, Heraclides Ponticus, & alij plerique testantur Pythagoram asseuerasse ante Troiani belli tempora se Æthalidem, vel vt alijs placet Ephalidem fuisse, in Troiano vero bello Euphorbum, demum Hermotimum, siue Hermippum Samium, deinde Pyrrhum Deliũ piscatorem, postremo Pythagoram; alij vero tradiderunt Æthalidem Troianis temporibus fuisse, Euphorbum Panthoi filium, deinde Pyrrhum Cretensem, deinde Eleum quendam, cuius nomen prorsus ignotum est, & tandem Pythagoram: at Pythagoras ipse in quodam libro à se inscripto asserit se fuisse primum Æthalidem, deinde Euphorbum Troianum, postea Mercurij, & Samiæ cuiusdam Meretricis filium postremo Pythagoram: Lactantius Firmianus Papinij interpres aliam transmigrationis seriem refert, Troiani scilicet belli tempore primùm fuisse Euphorbum, tum Pythagoram, postea PAVONEM, deinde Homerum, cuius tandem anima in Ennium euolauit.

184 Sed vnde hoc hominis delirium in mentem venerit, Diogenes Laertius quærit, & ad fallaciam Pythagoræ, mendaciumque versat, quod Hermippus enarrat dicens, *cum Pythagoras in Italiam uenisset. subterraneam fecit domum, Matrique mandauit, quæ contingerent tabulis inscriberet, tempusque adnotaret, deinde illum descendisse, ac dum rediret id matrem fecisse: anno autem exacto ascendisse Pythagoram ex effossa domo squalidum, ac macie confectum, aduocataque concione dixisse ex inferis se*

ascen-

ascendere, atque ut sibi fidem faceret recitasse quidquid euenisset, eos uero ijs quæ dicebantur affectos in lacrimas, eiulatusque prorupisse, Pythagoramque iam diuini quippiam habere existimantes uxores suas illi in disciplinam certatim dedisse, ut aliquid ex illo addiscerent; hæc ille apud Diogenem. exinde Tertullianus annotat mendacia transmigrationis vulgasse, de quibus videndus Porphyrius Iamblichus, & Philostratus in vita Apollonij Tyanei: sicque faciem suam deturpauit, vt turbaret philosophantium, sensa, & suam immutauit sententiam, at Tertullianus septēnio latuisse scribit, Laerti' anni tātūmodo spatiū tradit.

185 De impossibilitate huius transmigrationis arguendum non est, sed sufficit tantummodo philosophorum oracula de anima recensere, quæ Theodoritus Episcopus Cyrenensis ex Plutarcho, Porphyrio, & Aetio collegit ser. 5. de nat. hom. Thalès igitur *animam esse*, inquit, *immobilem naturam:* Aclman vero *eam sua sponte motabilem*; Pythagoras *numerum qui seipsum moueat*, cuius opinioni conuenit, & Xenocrates; Plato *intellectilem substantiam ex se mobilem:* Aristoteles Stagyrites *entelechian primam naturalis corporis, & organici quod abile, aptumque sit vitam accipere, entelechiam vero actum appellauit*, Clearchus *animam esse ait armoniam quatuor elementorum*. Anaximenes, Anaximander, Anaxagoras, & Archelaus *aeream dixerunt animæ naturam esse*: Stoici *spiritualem eam asseruerunt, sed quæ tamen maxima quoque calidi parte constaret:* Parmenides, Hippasus, & Heracletus *luculentam, & igneam nuncuparunt*: Epicurus Neoclis filius, *commistionem quarundam qualitatum ignea videlicet, aereæ, ac spiritualis, quartaque propterea cuiusdā, quæ certum nomen non habeat*: Empedocles *commistam ex æthereа, aeriaque substantia:* Critias *ex sanguine, & humido eam constare*, inquit; alij porro alia, & quidem contraria attulerunt, quin & de ipsa animæ diuisione maxima est inter philosophos disceptatio, Pythagoras enim, & Plato hanc in partes duas distribuunt, quarum altera sit ratione prædita, ratione altera careat; rursumque hanc posteriorem bifariam secant, namque alteram eius partem ira-

171 Sequitur MELANVROS NE GVSTES : de Melanuris infra iam satis. sed quia Guarinus vertit, *ab eo qui nigram caudam habet abstine*: Plutarchus symbolum admonere scribit, *cum impijs non standum*: & vti Lilius animaduertit, Antiphanes poeta *à Melanuro, & Mugile cauendum* suasit: etenim nostri scriptores malos, & improbos, *nigros, & atros* nuncupant, vt illud Catulli, *albus, an ater?* & Horatius, *hic niger est, hunc tu Romane caueto*: Laertij interpres *Sepiam* Melanurum dixit, forsan ob piscis nigredinem qua offunditur: Gaza Melanurum Aristotelis *Oculatam* vertere visus est: cum Plinius oculatam à Melanuro diuersam recenseat: at Erasmus fauet Diogenis interpreti, dum in illo Athenæi *sequitur Perca Melanurum*, Sepiam transtulit: Ennius autem in Phageticorum fragmento apud Apuleium in apol. nominat


Melanurũ, Turdum, Merulamque, Vmbrãq; marinã.

ex quo Columna Scholiastes annotat, *Melanurum græcos à cauda nigredine appellasse, eamque denominationem latini vt propriam retinuisse*; Ouidius in Halieutico,

Quin laude insignis caudæ Melanurus,

& denuò ibidẽ. —*Cauda Melanurus acuta*: Alciatus in Lexico Plautino *Oculatam esse*, ait, *quam Plautus Ophthalmiam appellauit*; quo nomine Turnebus *carnem oculis vicinam, oculosque* vult intellexisse, sed illam Lucilius *Cephalæam* dixit; Laertius in eius vita inquit, *Sepia vesci prohibebat, & Erythino, ac Triglia*, idque ex Aristotele, tandem rationem adducit, *Pisces non gustandos eos, qui sacri sunt: neque enim fas esse eadem Dijs, & hominibus apponi, sicuti, nec seruis, & liberis*: Deus noster pisces ab altare repulit, ob eas rationes quas Origenes recenset dæmon auocauit, præcipue Sepiam ob nigredinem: & ideo Sepiam exhibeo, meumque Melanurum, vt diuersitatem videas, ac scias à quo sibi cauendum duxerit Pythagoras.


Se-



172 Sequitur Pythagoras, NON EDENDVS ERYTHINVS, in eius nomine Lilius animaduertit, piscium naturæ scriptores *Erythrinum* cum R litera hunc piscem dixisse: sic Speusippus, & Dorion, quibus adstipulatur Artemidorus Daldianus, & Athenæus, & Suidas; Clitarchus quoque Erythrinum ait, à Cyrenæis *Dycen* vocari, Zenodotus *Hyccam*: Plinius in hoc genere piscis marem non esse ait; Theodorus Gaza Erythrinum apud Aristotelem


Y 2 *Ru-*

Rubeculam interpretatus eſt : *Rubellionem* Hermolaus Barbarus; ſed Saluiano teſte idem Gaza *Rubellionem* vertit, eſtque apud Romanum vulgus *Fragolino*, Venetijs, *Arbore*: piſcis *ruber* eſt, ac flauus vti Oppianus canit, nec male forſan Ficinus ſymbolum tranſtulit, *Rubrum aliquid ne ſuſcipias*, à ſanguine & vindicta longe ſuos eſſe commẽdans. cumque Athenæus lib. 7. Phagro ſimilem exhibet; omneſque ex eo genere ouis grauidi vt capiantur Ariſtoteles h. a. l. 4. pluribus demonſtrat, & l. 8. c. 17. Pelagium facit, ex quo Athenæus erroneum haud eſſe contendit; at mordax eſt, & pugnat quam ſæpe, ideo Reipublicæ emolumentum pacis honore auſpicatus, Pythagoras à ſuis Erythrinũ ablegauit; hũc iconẽ propono iuxta obſeruationes meas



173 Præter iam recẽſitos pythagoras à *Scaro* abſtinendum præcepit, eo quod ſit vorator vuæ, Onias, Aeoloſque, vtramque ſcilicet ſcarorum ſpeciem damnauit; item *à Mugilibus*, *& Labrace*, ideſt *Lupo* ſe abſtinebat; *Vrticam marinam* non edendam cenſuit, *quod ea Veneris ſtimulos afferre* dicitur;

vel



vel quod Hecatæ sacra sit, sicut & *Triglia* à qua abstinendum monebat; eodemque pacto vuluam non edendam docebat, quod ea esset generandi sedes: dicebat insuper COR NON EDENDVM, forsan quia D. Cyrillo authore, apud Ægyptios *iram, furoremque* significabat: eadem ratione CEREBRVM NE MANDITO, ad quæ Iamblichus, *Cerebrum, & cor mandi non permisit Pythagoras, quod quasi duo sint duces, & quasi gradus, sedesque vivendi.*

Sed

174 Sed ab omnibus animatis Pythagoram abstinere non iussisse, sed tantum ab aliquibus, patet ex eo, quod Iamblichus in vita Pyth. cap. 18. inquit, *Anima hominis in EA SOLVM ANIMALIA NON INGREDITVR, quæ mactari fas est, ideoque ijs solum vesci fas est, ad quos quidem illis vesci pertineat, alio vero nullo animali vescendum est*. repetit id ipsum c. 26. & alibi, præcipit Reipublicæ rectoribus præstantiora haud cædenda ex animalibus, sed ea tantummodo quę imperfecta ad cibum exhibenda, ijs scilicet in quibus hominum animæ haud transmigrant: cæterum, & carnem manducasse ex his quæ diximus patet, monetq; Laertius; sunt qui tradant ideo abstinere iussisse, vt mortales ad faciliorem victum, & ad parabiliores cibos assuefaceret, ne igne opus esset ad coquendum: sed & Brachmanas Indiæ philosophos animalibus abstinuisse Megasthenes, & Strabo testes sunt locupletissimi; Porphyrius quoque in 4. de abst. & D. Hieronymus contra Iouinianum colligunt ex diuersis auctoribus, alios plerosque ab carniũ, & animalium esu abstinuisse; et ex scriptoribus quidam inter quos Athenæus Pythagoram tradunt reliquias quidem animantes aliquo modo attigisse, moderate tamen, & parce, quasdam etiam immolasse: Lycon quoque Iasias in Pythagoreo ait, *Pythagoram mediocri vti solit um alimento, nec animalibus penitus abstinuisse*, vt etiam Aristoxenus scribit, Apollodorus etiam Arithmeticus, & ipsum ait Hecatomben sacrificasse: sed & Gellius lib. 4. inquit, *opinio vetus falsa occupauit, & conuolauit Pythagoram philosophum non esitauisse ex animalibus*, tum paulo post subdit, parculis quoque minusculis, & hædis tenerioribus victitasse, Aristoxenus refert, quam rem videtur cognouisse ex Xenophilo Pythagorico, familiari suo, & ex quibusdam alijs natu maioribus, qui ab ætate Pythagoræ haud multum aberant: hæc & de animalibus Alexis etiam poeta in comedia, quæ Pythagoræ vita inscribitur docet; idem Gellius, & Plutarchus quoque inquit, homo in disciplinis grauis authoritate, in primo librorum quos de Homero composuit, Aristoteles philosophus, scripsit, eadem ipsa de Pythagoricis scripsisse, qui non abstinuerunt

edun-

edundis animalibus, nisi pauca carne quadam: eius verba hæc sunt. *Aristoteles à Vulua, Corde, & marina Vrtica atque id genus quibusdam alijs abstinere Pythagoricos dixit, cæterorum autem vsum habuisse*; hæc etiam Lilius.

175 Tertullianus bubulam carnem à Pythagora interdictam fuisse scribit, ne hominis in illa vexaretur anima, ideoque sequens instituendum caput arbitror.

DE TRANS MIGRATIONE ANIMÆ RATIONALIS in animalium corpora.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

176 Ercurij Trismegisti laus ab antiquitate, & traduci Heroum serie commendatur, etenim D. Augustino auctore, Atlas astrologorum parens, Prometheì physici frater, ac maternus auus maioris Mercurij fuit, cuius nepos fertur Trismegistus: hic vere ter maximus sapientissimos philosophantium edocuit, ac primos ex Mosis penu monumenta scripturarum exhibuit, præcipue in Pimandro, vnde Pythagoras hausit trāsmigrationis arcanum, & cæcutiens corruit, enimuero in clàue Tatium erudiens inquit, *animarum mutationes permulta sunt, sane in melius feliciusque, partim autem in contrarium: nam Reptilium quædam in aquatilia transmutantur, aquatilium animæ in terrestria migrant: terrenorum in volatilia scandunt: aereorum vertuntur in homines. Hominum deinde immortales animæ in dæmones transeunt, demum in Deorum chorum feliciter reuolant: chori Deorum gemini, vagantium vnus, non vagantium alter: atque hæc est suprema animæ gloria: anima vero in corpus humanum delapsa siquidem mala perseuerauerit, non gustat immortalitatis quicquam, neque bono etiam fruitur, reuoluto autem itinere in REPTILIA præcipitans*, hactenus ille, sed vt optime Ficinus animad-

uer-

mortuorum, nec cum errat ignorat; ergo habemus Homerum in Pauum, & homines in bestias, adde imo & in plantas, sicuti Labeo Mimographus tradit, cuius meminit Macrobius in sat. & Gellius,

Et audio mala multa, etiam ex bonis:
Pari illud, vt nos olim mutant philosophi,
Et nunc de MVLO HOMINE, de muliere colubrum
Faciunt, & ex diuersis diuersa alia.

quæ in apologetico Tertullianus c. 48. sic prodit, *age iam si quis philosophus affirmet, vt ait Laberius de sententia Pythagoræ, HOMINEM FIERI EX MVLO, colubrum ex muliere, & in eam opinionem omnia argumenta eloquij virtute distorserit; non ne consensum mouebit, & fidem inficet etiam ab animalibus abstinendi; propterea persuasum quis hoc habeat, ne forte BVBVLAM de aliquo proauo suo obsonet: at enim christianus si de homine hominem, ipsumque de Caio Caium reducere repromittat lapidibus magis, nec saltem cædibus à populo exigetur: si quæcunque ratio præest animarum humanarum reciprocandarum in corpore, cur non in eandem substantiam redeant, cum hoc sit restitui, id esse quod fuerat: iam non ipsæ sunt quæ fuerant, quia non potuerunt esse quod non erant nisi desinant esse quod fuerant: multis etiam locis, & otio opus erit, si velimus in hanc partem lasciuire.*

178 Hanc opinionem Pythagoræ recēsent Laertius, & Lucianus, eamque sequuti sunt pythagorici, inter quos Empedocles apud Plutarchum occinit,

Nam (memini) fueram quondam puer, atque puella
Plantaque, & ignitus PISCIS, pernixque volucris.

Laertius de Empedocle, *dicebat animam, & omnigenum animalium, atque arborum species indui:* Tertullianus de anima, *PAVVM se meminit Homerus Ennio somniante, sed poetis nec vigilantibus credam; & si pulcherrimus Pauus, & quo velit colore cultissimus, sed tacent pinnæ, sed displicet vox, & poetæ nihil aliud quam cantare malunt;* Persius de Ennio,

Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mœnides, Quinctus PAVONE ex Pythagoreo.

Z Ho-

Horatius lib. 2. epist.

Ennius, & sapiens, & fortis, & alter Homerus
Vt Critici dicunt, leuiter curare videtur
Quo promissa cadant, & somnia Pythagorea:

Lucretius idipsum tangit,

An pecudum alias diuinitus insinuet se
Ennius vt noster cecinit. —

179 Longam literam nihilominus Tertullianus fecit, vbi Platonicorum, ac Pythagoræ sensa exhibuit in lib. de anima c. 28. *Quis ille: nunc vetus sermo apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu, quod hinc abeuntes eant illuc, & rursus huc veniant, & viuant, & de hinc è vita abeant: rursus ex mortuis effici viuos? Pythagoricus vt volunt quidam diuinus, Albini, vt existimo, aut Mercurij forsitan Ægyptij. sed nullus sermo diuinus, nisi Dei vnius, quo Prophetæ, quo Apostoli, quo ipse Christus intonuit multo antiquior Moyses etiam Saturno nongentis circiter annis, ne dum pronepotibus eius, certe diuinior multo, qui discursus generis humani ab exordio mundi quoque per singulas natiuitates nominatim tēporatimque digessit, satis probans diuinitatem operis ex diuinatione vocis. Si vero Samius Sophista Platoni auctor est animarum de recidiuatu reuolubili, semper ex alterna mortuorum, atque viuentium suffectione, certe ille Pythagoras, & si bonus cætera, tamen vt hanc sententiam extrueret non turpi modo verum etiam temerario mendacio incubuit. cognosce qui nescis, & crede nobiscum: mortem simulat subterraneo latitat, & septenni se illic patientia damnat inter ea, quæ de posteris defunctis ad fidem rerum esset relaturus, ab vnica conscia, & ministra Matre cognoscit; vt satis sibi visus est corpulentiam interpolasse ad omnem mortui veteris horrorem, de adytis fallacia emergit, vt ab inferis redditus quis non crederet reuixisse, quem crediderat obisse? audiens præsertim ab eo quæ de posteris mortuis nisi apud inferos non videretur cognoscere potu isse, sic ex mortuis viuos effici senior sermo est. quid enim si & iunior? neque veritas desiderat vetustatem, neque mendacium deuitat nouellitatem teneo pla-*

ne falsum antiquitate generosum; quid ni falsum cuius testimonium quoque ex falso est? quomodo credam non mentiri Pythagoram, qui mentitur vt credam? quomodo mihi persuadebit Æthalidem, & Euphorbum, & Pyrrhum piscatorem, & Hermotimum se retro ante Pythagoram fuisse, vt persuadeat viuos ex mortuis effici, qui iterum se Pythagoram peierauit? quanto enim credibilius ipse ex semetipso redisset in vitam, quam totiens alius, atque alius tanto, & in durioribus fefellit, qui molliora mentitus est. sed clypeum Euphorbi olim Delphis consecratum recognouit, & suum dixit, & de signis vulgo ignotis probauit. respice ad Hypogeum eius, & si capit crede, nam qui talem commentus est strophan cum iniuria bonæ valetudinis, cum fraude vitæ septennio excruciata infra terram, inedia, ignauia, umbra, cui tanta fuit fastidium cœli, quam non accesserit temeritatem, quam non tentauerit curiositatem, vt ad notam clypei illius perueniret? Quid autem si in historijs aliquibus occultioribus reperit? quid si defecta iam traditionis superstites aliquas fama aurulas hausit? quid si ab æditue redempta clam inspectione cognouit. scimus etiam magos elicere explorandis occultis per catabolicos, & paredros, & Pythonicos spiritus. Non enim, & Pherecides Pythagoræ magister his forsan artibus diuinabat, ne dicam somniabat. quid si idem dæmon in illo fuit, qui & in Euphorbo res sanguinis gessit; denique qui se Euphorbum ex argumento clypei probarat, cur neminem Troianorũ commilitonum æque recognouit? hæc ex Tertulliano, iuxta Diogenem, ac Plinium qui l. 30. c. 1. Pythagoram, Empedoclem, ac Democritum Magos nuncupat, eumque de magia redarguit.

180 Itaque Pythagoricorum secta animas hominum in bestias migrare edocuit, & animaduerto hanc rationem primum vulgasse Pythagoram; inquit etenim Laertius ex Aristoxeno, *primum hunc sensisse animam circulum necessitatis immutantem alijs alias obligari animatibus, primumque græcis pondera, & mensuras inuexisse: primum vesperum atque luciferum idem sidus dixisse*: hæc etiam Parmenides; & Diogeni assentior, quia Mercurius transmi-

grationem non admisit, sed pœnam in corpore; quam postea allegorice Origenes, & Gregorius edixerunt: ac Mercurij mentem expressit Claudianus lib. 1. in Ruffinum,

Nam iusta Rhadamanthus agit congesta superni
Curriculi, totosque diu prospexerit actus,
Exaequat damnum meritis, & MVTA FERARVM
Cogit vincula pati: truculentos ingerit VRSIS
Praedonesque LVPIS: fallaces VVLPIBVS addit:
At qui desidia semper, vinoque grauatus
Indulgens Veneri voluit torpescere luxu
Hunc SVIS IMMVNDÆ pingues detrudit in artus:
Qui iusto plus esse loquax, arcanaque sueuit
Prodere, PISCOSAS fertur victurus in vndas,
Vt nimiam pensent aeterna silentia vocem,
Quos ubi per varios annos per mille figuras
Egit lethaeo purgatos flumine tandem
Rursus ad humanae reuocat primordia formae.

181 Exempla passim Pythagorici demonstrant, ex quorum turba vnum auoco Apollonium Tyaneum, qui apud Philostratum c. 15. in Leone Amasis Ægyptiorum Regis animam agnouit, exhibuitque, *vir quidam Leonem mansuefactum ex loro veluti canem quocumque volebat ducebat: Leo autem non modo ei, qui se ducebat blandiebatur, sed caeteris omnibus, qui obuiam accessissent: tali modo vir mercedem quaerens multas iam lustrauerat ciuitates, quin etiam templa ingrediebatur, quod mundus à caedibus esset, & impollutus, neque enim hostiarum sanguinem lambebat, & excoriatas, atque infrusta diuisas sacrorum carnes non attingebat, sed mellitis placentis, ac pane etiam, & bellarijs vescebatur, coctas quoque carnes edebat, & vinum quandoque bibere visus est, cum antiquam seruaret consuetudinem: is itaque Leo ad Apollonium veniens, qui tum forte in templo sedebat, & ad eius genua procumbens, blãdo strepitu deliniebat, & alijs, quoque supplicare videbatur: quod videntes, qui adstabant mercedis causa id facere arbitrabantur, respiciens autem ipsum Appollonius hic inquit Leo, me rogat, vt vos doceam CVIVS NAM HOMINIS ANIMAM HABEAT, est autem Amasis*

quan-

quandam AEgypti Rex circa Saiticã præfecturam: quibus uerbis auditis Leo miserabiliter fremens lamentabilem rugitum edidit, cum dentibus infrendens lugere proculdubio uideretur, lacrimarum uim fundebat, demulcens igitur ipsum Apollonius, ego, inquit, Leonem censeo Leontopolim mittendum esse, ibique in templo collocandum, Regem enim maxime in regiam belluam conuersum, tanquam egenum mendicare indignum iudico. hæc Philostratus. nec mirum dum Hierocles Apollonium Pythagoricum fuisse scribit, sicut etiam Eusebius, Photius, ac ipsemet Philostratus.

181 Hanc ergo transmigrationis insaniam prodidit ipse Pythagoras, qui teste Heraclide Pontico, *de se dicere solitus erat, quod fuisset aliquando Æthalides, ac Mercurij filius putatus esset, Mercuriumque monuisse illum, ut peteret præter immortalitatem, quod uellet, petijsse igitur, ut uiuens, & uita functus omnium quæ contingerent memoriam haberet, itaque in uita meminisse omnium, eandemque memoriam, & post mortem reseruasse, atque aliquanto post in Euphorbum uenisse, atque à Menelao fuisse uulneratum, Euphorbus autem dixit, se aliquãdo Æthalidem fuisse, atque à Mercurio pro munere accepisse, ut anima illius perpetuo errore uagaretur, & in quas uellet ARBORES, VEL ANIMANTES COMMIGRARET & quæ apud inferos anima omnia perpessa esset, ac ceteræ animæ; quæ nam patiantur, postea uero quam Euphorbus diem obijt ingressam in Hermotimum ipsius animam, qui & ipse cum fidem uellet facere, Branchidas petijt, ingressus Apollinis Phanum offendit Clypeum, quem illic Menelaus affixerat, ait enim illum cum ex Troia remeasset Apollini sacrasse scutum, iam putrefactum, solamque perdurare eburneam faciem; ubi autem, & Hermotimus uita functus est, rursus in Pyrrhum Delium piscatorem migrasse illumque omnia memorasse, ut primum Æthalides fuerit, postea Euphorbus, deinde Hermotimus, ac postremo Pyrrhus effectus sit, ac deinde post Pyrrhum factum esse Pythagoram, omniumque meminisse quæ prædiximus.* hactenus Heraclides apud Laertium, & postea Tertullianus in l. de

l. de an c 3 i. ipsum increpat dicens, *at quin scio non ita fieri; quum Pythagoram Euphorbum mihi opponis: ecce enim Euphorbum militarem, & bellicam animam satis constat, ut de ipsa gloria clypeorum consecratorum, Pythagoram vero tam imbellem, ut prælia tunc græciæ uitans Italiæ maluerit quietem Geometriæ, et Astrologiæ, et Musicæ deuotus, alienus studio, et confectu Euphorbi.*

183 Aliud somnium cecinit Ennius, *tum memini fieri me Pauum:* quem locum ex Seruio collegit Vrsinus, traditque Donatus in Andria: & rursus in Phormione: ad quæ Columna diligens Scholiastes inquit, de hac animarum migratione de corporibus ad alia hominum, siue Brutorum corpora, Sophoclis Scholiastes, Heraclides Ponticus, & alij plerique testantur Pythagoram asseuerasse ante Troiani belli tempora se Æthalidem, vel vt alijs placet Ephalidem fuisse, in Troiano vero bello Euphorbum, demum Hermotimum, siue Hermippum Samium, deinde Pyrrhum Deliũ piscatorem, postremo Pythagoram; alij vero tradiderunt Æthalidem Troianis temporibus fuisse, Euphorbum Panthoi filium, deinde Pyrrhum Cretensem, deinde Eleum quendam, cuius nomen prorsus ignotum est, & tandem Pythagoram: at Pythagoras ipse in quodam libro à se inscripto asserit se fuisse primum Æthalidem, deinde Euphorbum Troianum, postea Mercurij, & Samiæ cuiusdam Meretricis filium postremo Pythagoram: Lactantius Firmianus Papinij interpres aliam transmigrationis seriem refert, Troiani scilicet belli tempore primùm fuisse Euphorbum, tum Pythagoram, postea PAVONEM, deinde Homerum, cuius tandem anima in Ennium euolauit.

184 Sed vnde hoc hominis delirium in mentem venerit, Diogenes Laertius quærit, & ad fallaciam Pythagoræ, mendaciumque versat, quod Hermippus enarrat dicens, *cum Pythagoras in Italiam uenisset, subterraneam fecit domum, Matrique mandauit, quæ contingerent tabulis inscriberet, tempusque adnotaret, deinde illum descendisse, ac dum rediret id matrem fecisse: anno autem exacto ascendisse Pythagoram ex effossa domo squalidum, ac macie confectum, aduocataque concione dixisse ex inferis se*

ascen-

ascendere, atque ut sibi fidem faceret recitasse quidquid euenisset, eos uero ijs quæ dicebantur affectos in lacrimas, eiulatusque prorupisse, Pythagoramque iam diuini quippiam habere existimantes uxores suas illi in disciplinam certatim dedisse, ut aliquid ex illo addiscerent; hæc ille apud Diogenem. exinde Tertullianus annotat mendacia transmigrationis vulgasse, de quibus videndus Porphyrius Iamblichus, & Philostratus in vita Apollonij Tyanei: sicque faciem suam deturpauit, vt turbaret philosophantium sensa, & suam immutauit sententiam, at Tertullianus septēnio latuisse scribit, Laertius anni tātūmodo spatiū tradit.

185 De impossibilitate huius transmigrationis arguendum non est, sed sufficit tantummodo philosophorum oracula de anima recensere, quæ Theodoritus Episcopus Cyrenensis ex Plutarcho, Porphyrio, & Aetio collegit. ser. 5. de nat. hom. Thalès igitur *animam esse*, inquit, *immobilem naturam:* Aclman vero *eam sua sponte motabilem*. Pythagoras *numerum qui seipsum moueat*, cuius opinioni conuenit, & Xenocrates; Plato *intellectilem substantiam ex se mobilem:* Aristoteles Stagyrites *entelechian primam naturalis corporis, & organici quod abile, aptumque sit vitam accipere, entelechiam vero actum appellauit*, Clearchus *animam esse ait armoniam quatuor elementorum*. Anaximenes, Anaximander, Anaxagoras, & Archelaus *aeream dixerunt animæ naturam esse*: Stoici *spiritualem eam asseruerunt, sed quæ tamen maxima quoque calidi parte constaret:* Parmenides, Hippasus, & Heracletus *luculentam, & igneam nuncuparunt:* Epicurus Neoclis filius, *commistionem quarundam qualitatum ignea videlicet, aereæ, ac spiritualis, quartaque propterea cuiusdā, quæ certum nomen non habeat:* Empedocles *commistam ex æthera, aeriaque substantia:* Critias *ex sanguine, & humido eam constare*, inquit; alij porro alia, & quidem contraria attulerunt, quin & de ipsa animæ diuisione maxima est inter philosophos disceptatio, Pythagoras enim, & Plato hanc in partes duas distribuunt, quarum altera sit ratione prædita, ratione altera careat; rursumque hanc posteriorem bifariam secant, namque alteram eius partem

ira-

iracundiæ tribuunt, alteram libidini, & cupiditati: Xenocrates vero ille, qui tertius à Platone censetur, (fuit enim auditor Speusippi Platonis ex sorore nepotis) in facultatem sentiendi, ac vim rationis animam partitus est: at Nicomachi filius Aristoteles, quinque illi officia, partesque tribuit, Appetendi, Sentiendi, Nutriendi, Gradiendi, & Cogitandi; Stoici vero quinarium hunc numerum non admittunt, sed ex octo partibus animam constare dixerunt, ex quinque videlicet sensibus, Visu, Auditu, Olfactu, Gustu, & Tactu, sexta vocali potentia, septima seminali, octaua principali, ac domina, quasi stirpe à qua illarum singulæ partium suum peragendi munus vires sortitæ sunt: animam præterea dixerunt Polypi brachijs per quam similem esse; Pythagoræ autem successores è quinque elementis constare corpus asserentes, quatuor enim illis notissimis, & quintum æthereum adiunxerunt, totidem vires animæ affirmarunt esse; quas hisce nominibus appellarunt Intellectum, Prudentiam, Scientiam, Opinionem, Sensum.

186 Quanta item inter eos controuersia sit in collocanda principaliore animæ vi per quam facile est videre, Hippocrates enim, Democritusque, ac Plato *in Cerebro sitam esse* affirmant; Straton *in medio Sincipitio*: Erasistratus autem medicus *iuxta membranam Cerebri quam Epicranidem*, (hoc est supercipitium) *vocat*: Herophilus *in ventre Cerebri*: Parmenides, & Epicurus *in toto hominis thorace*; Empedocles, & Aristoteles, & vniuersa Stoicorum societas *ipsum cor animæ sedem* addicunt: horumque rursus alij eam *in cordis ventre* constituunt: alij vero *in sanguine*: alij ea *in chartilagine, quæ cor obsepit*: alij autem *in ipso diaphragmate*: Pythagoras, Anaxagoras, Diogenes; Plato, Empedocles, & Xenocrates *animam dixerunt incorruptibilem esse*. Heraclitus vero *animas hominum corporibus liberatas concedere ait ad mundi totius animam, vtpote quæ sit eiusdem generis, ac substantiæ* Stoici vero *seiunctas à corporibus animas sibi ipsis ad vitam sufficere affirmarunt: eas tamen quæ sint paulo imbecilliores, exiguo temporibus spatio superesse: quæ autem validiores perdurare vsque ad mundi conflagrationem*:

De-

Democritus Epicurus, & Aristoteles *animam corruptibilem esse* imprudenter asseruerunt. Plato, & Pythagoras *rationalem dumtaxat animæ vim dixerunt esse incorruptibilem, quæ autem ratione caret corrumpi*. ac Plato quidem etiam *Plantas* inter animalia reponit, sed quæ tertiam animæ vim solam inditam habeant, quæ concupiscibilis nuncupatur: at Aristoteles exhorruit plantas animalia appellare: quod enim sentiendi munere præditum est, id solum animalis nomine dignum censuit. Germinalem tamen animam cuius munia sunt Augeri, Gignere, ac nutriri inesse plantis opinatus est. verum hanc illius opinionē, qui à varia porticu Stoici philosophi cognominantur minime admiserunt. Germinalem siquidem vim indignam putarunt, quæ anima diceretur. Zeno tamen Citiensis à quo duce Stoicorum secta defluxit, ea sectatores suos, atq. discipulos de anima opinari instituit *Genitale siquidem hominis semen, quod humore, ac spiritu præditum esse cernitur, partem esse animæ, quandamque veluti abscissionem putauit, confusaneamque mixtionem seminis patrum, maiorumque nostrorum de cunctis animæ particulis in unum collectam: eiusque rei causa corruptibilem eam dixit*; hactenus ex Theodoreto, interim vide Plutarchum de pl. phil. Stobæum, Censorinum, Tertullianum de anima, Athenagoram, & Nissenum, plerosque alios.

DE ANIMA BRVTORVM, ET AN SIT rationalis?

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

187 

SVspectum Tertulliani locum in lib. de anima c. 5. vbi ex pluribus, animam corpore quodam asserere videtur præditā, hic auoco, & expendo, *accerserit Eubulum aliquem, & Critolaum, & Xenocratem, & isto in loco amicum Platonis Aristotelem fortasse, an extruentur magis ad auferendam ani-*

 mæ

ma corpolentiam? si non alios è contrario inspexerint, & quidem plures corpus animæ vindicantes, nec illos dico solos, qui eam de manifestis corporalibus effingunt, vt Hipparcus, & Heraclitus ex igne: vt Hippon, & Thales ex aqua: vt Empedocles, & Critias ex sanguine: vt Epicurus ex atomis, si & atomi corpolentias de coitu suo cogunt: vt Critolaus, & Peripatetici eius ex quinta nescio, qua substantia, si & illa corpus quia corpora includit: sed etiã Stoicos allego, qui spiritum prædicantes animam pene nobiscum, qua proxima inter se flatus, & spiritus, tamen corpus animam facile persuadebant: denique Zeno consitum spiritum definiens animam hoc modo instruit: quo, inquit, digresso animal emoritur, ergo consitus spiritus, corpus est: ergo corpus est anima: vult & Cleantes non solum corporis lineamentis, sed & animæ notis similitudinem parentibus in filio respondere: de speculo, scilicet, morum, & ingeniorum, & affectuum, corporis autem similitudinem, & dissimilitudinem capere, & animam, itaque corpus similitudini, vel dissimilitudini obnoxium: item corporalium, & incorporalium passiones, inter se non communicare: porro, & animam compati corpori, cui læso ictibus, vulneribus, vlceribus condolescit, & corpus animæ cui afflictæ cura, angore, amore cobarescit per detrimentum socij vigoris, cuius pudorem, & pauorem rubore, atque pallore testetur: igitur anima corpus ex corporalium passionum communione, sed & Chrysippus manum ei porrigit, constituens corporalia ab incorporalibus derelinqui omnino non posse, quia nec contingantur ab eis vnde, & Lucretius Tangere enim et tangi nisi corpus nulla potest res derelicto autem corpore ab anima affici morte, igitur corpus anima quæ nisi corporalibus corpus non derelinqueret. hæc Platonici subtilitate potius quam veritate conturbant. omne (inquiunt) corpus, aut animale sit necesse est, aut inanimale, et siquidem inanimale est extrinsecus mouebitur, si vero animale intrinsecus. hæc ille, & alibi in apologetico c. 48. de carne Christi c. 11. de Resurrectione carnis c. 17. & aduersus Marcionem sæpissime *corpoream animam* edixit, imo D. Augustinus, li-

cet

cet immortalem, *animam effigiatum corpus* credidisse cõ. tendit, & teste Pamelio, videtur ad id absurditatis de anima aerei, & lucidi coloris fuisse seductus per falsas quasdam reuelationes cuiusdã Montanisticæ fœminæ, non quidē Priscillæ, aut Maximillæ, quę obierãt; idipsum paradoxon tribuitur etiam Origini.

188 Sed vt verum fatear, Tertullianum nequaquam intellexisse corpoream esse animam, sed potius iuxta philosophorum sententiam dupplicem exhibuisse, sicut ex Theodoreto diximus, sensitiuam vnam, alteram rationalem, idque Stobæus ex Platone, & Aristotele eclog. 1. & ex Numenio prodit, *Numenius neque tres partes vnius animæ, neque duas rationis compotem, & expertem, sed animas duas nos habere censet, alteram rationis compotem, expertem alteram: quarum alij rursum vtramq; immortalē statuebant, alij rationis compotē immmortalem, altera non tantum per functiones motum desinente, verum etiam per naturam intereunte: alijs videbatur duarum animarum coniunctarum dupplices esse motus inter se similium, dum altera alterius affectiones sentiret, redditarum: Iam facultas hac à parte differt, quod pars vna alteram forma secundum genus antecellit facultates circa idem versantur genus: quapropter Aristoteles partes quidem adimebat animæ, facultates autem tribuebat, &c.* hæc Stobæus, ex Plutarcho qui l. 4. de plac. ph. c. 4. de ijsdem partibus ait, *Pythagoras, & Plato secundum supremam rationem duas partes animæ assignant, quarum vna ratione sit prædita, altera eius expers, siue BRVTA: secundum propinquam autem, & subtiliorem rationem tres, diuidunt enim brutam in ira, & in cupiditatibus deditam: Democritus, & Epicurus bimembrem faciunt animam cuius pars rationis compos in pectore sita sit, bruta per totam corporis concretionem diffusa*; hanc vitalem, siue sensitiuam circa cor Pythagoras collocat, rationalem veluti in arce capitis.

189 At erroneam hanc opinionem damnat D. Thom.

1. p. q. 76. a. 3. quia dicitur l. de eccl. dogm. *Neque duas animas esse dicimus in homine vno, sicut Iacobus, & alij Syrorum scribunt, vnam animalem, qua animatur corpus, immixta sit sanguini, & alteram spiritualem, quæ rationi ministret, sed dicimus vnam, & eandem esse animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificat, & semetipsam sua ratione disponit*. sicque probat, quod eadem numero anima in homine est nutritiua, sensitiua, & intellectiua, quia si essent plures animæ in eodem, illud non esset vnum simpliciter, probatque ex Aristotele 3. metaph. tex. 20. *Sic ergo dicendum quod eadem numero est anima in homine sensitiua, & intellectiua, & nutritiua, quo modo autem hoc contingat de facili considerari potest, si quis differentias specierum, & formarum attendat. inueniuntur enim rerum species, & formæ differre adinuicem, secundum perfectius, & minus perfectum. sicut in rerum ordine animata perfectiora sunt inanimatis, & animalia plantis, & homines animalibus brutis, & in singulis horum generum sunt gradus diuersi. & ideo Aristo. in 8. metaph. assimilat species rerum numeris, qui differunt specie secundum additionem, vel subtractionem vnitatis, & in 2. de anima comparat diuersas animas speciebus figurarum quarum vna continet aliam sicut pentagonum continet tetragonum, & excedit. sic igitur anima intellectiua continet in sua virtute quicquid habet anima sensitiua brutorum, & nutritiua plantarum, sicut ergo superficies quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona, & per aliam pentagona (quia superflueret figura tetragona ex quo in pentagona continetur) ita nec per aliam animam Sortes est homo, & per aliā animal: sed per vnam, & eandem.*

190 Nihilominus Platonis sententiam non omnino absurdam censet, expenditque dicens, *Plato posuit diuersas animas in corpore vno, etiam secundum organa distinctas: quibus diuersa opera vitæ attribuebat; dicens vim nutritiuam esse in Hepate, concupiscibilem in corde, cognoscitiuam in cerebro, quamquidem opinionem Aristoteles reprobat in lib. de anima, sed hæc opinio sustineri posset*

set si poneretur quod anima vnitur corpori, non vt forma, sed vt MOTOR vt posuit Plato; videndus Stobæus, & Plutarchus, ac Plotinus qui hanc animæ vnionem referunt, & expendunt.


191 Hinc error illorum, qui brutorum animas rationales dixerunt, dum sensitiuam diuersam à rationali, eamque ratione præditam nuncuparunt, traditque hanc opinionem Plutarchus de soler. an. dicens, *in vniuersum cum philosophi demonstrant ANIMALIA RATIONE ESSE PRÆDITA argumēta sunt proposita apparatus memoria, animorum motus, pro sobole procuratio, gratiarum actio pro acceptis beneficijs, meditatio vltionis in eos, qui læsere, inuentiones rerum necessariarum, indicium virtutis alicuius, aut fortitudinis, societatis, magnanimitatis, quæ in TERRESTRIBVS ANIMALIBVS documenta istorum omnium extant euidentia:* quæ de motu dixit forsan ex Platone, apud eundem l. 4. de plac. ph. capite sexto, *Plato docet semper moueri animam, mentem autem non moueri de loco ad alium*: deinde memoriam rationali animæ propriam Chrysippus, Anaximander, & Plato dixerunt; quid si gratiarum actio, Ausonio auctore, hominem, ipsumque Dijs proximum denotet? virtutem insuper omnem, Aristoteles lib. 6. eth. c. vlt. & alibi, rationalibus conuenire docet, sicque grata animalia, ac virtutibus prædita etiam ratione haud carere dixerunt.

192 Et vt ex vno plura colligas, Plutarchus l. 5. plac. ph. c. 20. hac de re sic disserit, *Aristoteles quatuor statuit animalium genera, terrestria, aquatica, volucria, cælestia, nam & in his dici animalia ratione prædita immortalia: Democritus, & Epicurus cælestibus rationem tribuunt: Anaxagoras omnia animalia habere mentem agentem, non item patientem, qui est mentis quasi interpres: Pythagoras, & Plato ANIMAS OMNIVM ETIAM BRVTA, quæ dicuntur animalium esse rationis compotes, non tamen ea agere secundum rationem, idque fieri ob incommodum corporum temperamentum, et quia loquela destituuntur, quod in canibus, et simijs appareat, vocem non articulatam tamen eam emittentibus* : *Diogenes ratio-*

tionis, et aeris partem eam percipere, sed vel ob crassitiem, vel ob abundantiam humoris neque intelligere, neque sentire, ac fere affecta esse eo modo, quo sunt insanientes, qui de mentis exiuerunt potestate: at quæso delirantes, & si rectum rationis vsum amiserunt, rationem nequaquam perdidisse compertum est. sicut nec organi impedimentum animæ officit, nam si manum *organum organorum* dixit Aristoteles, & D. Thom. 1. p. q. 76. imo, & caput animę sedem, & rotunditate cœlorum adinstar orbium concinnum Tullius, & Athenagoras laudant, illa non solum terrestria, vt dixit Plutarchus, animalia ostentant, sed etiam maritima, narratque Sigismundus in comm. rerum Moscouiticarum dicens, *Cossin fluuius ex montibus Lucomoryæ delabitur, ex cuius fluuij fontibus alter fluuius Cassima oritur, emensaque Lucomorya in magnum fluuiũ Tachnin influit, vltra quem PRODIGIOSÆ FORMÆ HOMINES habitare dicuntur, quorum alij ferarum more, toto corpore pilis horrent: alij caninis capitibus: alij prorsus sine collo pectus pro capite habent, longasque sine pedibus manus: est et in Tachnin fluuio PISCIS quidam, Capite, Oculis, Naso, Ore, Manibus, Pedibus, alijsque humana prorsus forma, nulla tamen voce, qui vt alij pisces suaue ex se præbet obsonium*; traditque Ioachimus Vadianus anno VII. Pelagij Pontificis visos, & auditos vtriusque sexus homines Nilum habitantes: eandem historiam scribit Sigebertus Gemblacensis in anno Christi DCI. vbi à mane vsque ad horam nonam visos virum, ac mulierem Niligenas, dicit, vsque ad lumbos aqua extantes; notatque Barthius Claudianum in paneg. Probini, & Olybrij—*Cognatos Nilo homines superstitiose fecisse*; præter hunc alium exhibeo, qui vulgo *Pesce Vescouo* nuncupatur, vt videas in icone similitudinem hominis in eo.

Ideo

193 Ideo dicendum aduersus prædictos, animam ratione præditam tantummodo hominis esse, Brutorum nequaquam: illa etenim creatur, aitque Gennadius l. de eccl. dogm. c. 14. *animæ rationales non seminantur per coitum*: probatque Aristoteles l. 2. de gen. an. c. 3. Brutorum vero ab ipso semine traducuntur, ostenditque D. Thomas q. 118. p. 1. a 1. *Ita se habet virtus quæ est in semine ad animalia, quæ ex semine generantur, sicut se habet virtus quæ est in elemẽtis mundi ad animalia, quæ ex elementis mundi producuntur, sicut quæ ex putrefactione generantur, sed in huiusmodi animalibus*



animæ producuntur ex virtute, quæ est in elementis, secundum illud Genes. 1. producant aquæ reptile animæ viuentis, ergo et animalium quæ generantur ex semine animæ producuntur ex virtute, quæ est in semine: & sic Caietanus impugnat Scotum in dist. 18. l. 2. asserentem, semen non esse actiuum generationis substantialis, nec organizationis, sed cuiusdam præuiæ alterationis tantum: supponitque semen vnigeneum: & ex Aristotele 12. met. ac D. Thoma concludit, semen agere in virtute seminantis non coniuncta, sed separata.

194 Adde errasse veteres, quia D. Thoma auctore 1.

p. q.

p. q. 75. a. 3. *nullam distinctionem ponebant inter sensum, et intellectum, et vtrumque corporeo principio attribuebant: Plato vero distinxit*, sicut deinde Aristoteles, sed haud dubito asserere distinctionē edidisse Mercurium Trismegistum, etenim legenti eius Pimandrum patet: cæterum Chrysippus, & Zeno, ac Stoici animam, sensumque confundunt: Leucippus, & Democritus apud Plutarchum docent, *sensum, et intelligentiam munus suum obire visis imaginibus foris oblatis*: ex quo colligebatur animam sensitiuam esse per se subsistentem, etenim Plato, inquit D. Thomas, *Intellectum, et sensum tribuit principio in corporeo, ponens quod sicut intelligere, ita et sentire conuenit animæ secundum seipsam; et ex hoc sequebatur, quod etiā animæ brutorum animalium sint subsistentes: sed Aristoteles posuit, quod solum intelligere inter opera animæ sine organo corporeo exercetur: sentire vero, et consequentes operationes animæ sensitiuæ manifeste accidunt cum aliqua corporis immutatione, sicut in videndo immutatur pupilla per speciem coloris, et idem apparet in alijs: et sic manifestum est, quod anima sensitiua non habet aliquam operationem propriam per seipsam, sed omnis operatio sensitiuæ animæ est coniuncti, ex quo relinquitur, quod cum animæ brutorum animalium per se non operentur, non sint subsistentes: similiter enim vnum quodque habet esse, et operationem*.

195 Sed antequam finis accedat, nonnullorum philosophantium sententia animaduertenda restat, Stobæus nāque l. 1. ecl. phil. vbi de vniuerso disputat ait, *Pythagoras, Anaxagoras, Plato, Xenocrates, et Cleanthes extrinsecus inseri mentem putarunt: Parmenides Empedocles, et Democritus eandem animam, et mentem: de quorum sententia NVLLVM ANIMAL RATIONE CAREAT; rursus autem de mente, et omnibus præstantioribus animæ facultatibus, Stoici quidem non statim rationem inseri credunt, verum post à sensibus, et imaginationibus, circa annum decimumquartum colligi: de mente quoque Peripatetici seminis, ac naturæ mentem separantes, quasi illa simul cum fœtu prodeat, hanc sero admodum extrinsecus*

ſecus putant accedere, cum illa perfecta huius functiones locum habere cæperint: ſed recte Tertullianus ex Apoſtoli oraculo philoſophos hæreſum omnium penum nuncupat, quibus reſpondendum, animam à Deo creatam inire corpus ſua ratione, quæ dum infantile corporis organum adhuc rude, ac parum viget idoneum operationes ſuas nequaquam exercet, eadem ſemper in ſene, ac pueris; ſed ſicut ſol clauſtra non pertingit occluſa, ita neque animæ ſplendor effulget: non peccati pondus, non dira ob Adæ lapſum; ſed ipſe ordo naturæ exigit, vti D. Thomas 1. p. q. 102. art. 2. docet, *Naturam procedere de imperfecto ad perfectum in omnibus generatis, ergo pueri non ſtatim à principio habuiſſent vſum perfectum rationis* in ſtatu innocentiæ, probatque aſſertionem, *quia vſus rationis dependet quodammodo ex vſu virium ſenſitiuarum, vnde ligato ſenſu, et impeditis inferioribus viribus ſenſitiuis homo perfectum vſum rationis non habet, vt patet in dormientibus, et phreneticis, vires autem ſenſitiuæ ſunt virtutes quædam corporalium organorum, et ideo impeditis eorum organis, neceſſe eſt, quod eorum actus impediantur, et per conſequens rationis vſus: in pueris autem eſt impedimentum harum virium propter nimiam cerebri humiditatem, et ideo in eis non eſt perfectus vſus rationis, ſicut nec aliorum membrorum; et in ſtatu innocentiæ non habuiſſent perfectum vſum rationis ſicuti habituri erant in perfecta ætate*: hæc ille, nec officit obijcere, animalia ſtatim orta vſum induſtriæ habere, ſicut Agnus mox Lupum fugit: Delphinus, apud Baſilium in Hexæm. tempeſtates auſpicatur, &c. at perfectam haud illam habere induſtriam, patet dum Aues prouocant pullos ſuos ad volandum, Leones catulos ad prædam exercent, & ſimilia in his generibus animalium inueniuntur.

DE PRIMO ANIMALIVM ORTV.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

196 
Erribile illud diuinitatis oraculum, *Excæca cor populi huius* velut fulmen impiorum corda percussit, & gentium antesignanos prostrauit, vt delirantes viam veritatis nō inuenirent: Clamat etenim orbis, et quæ omnia in eo terrarum sunt, si Basilio, & Ambrosio in Hexæm. fides, Deum rerum opificem enunciant, ac Creatorem, quorum à sæculo testimonia nimis facta sunt credibilia: philosophorum coriphæi nihilominus Deum confitentur, & casum pessime sequuntur, ac rerum omnium originem non agnoscunt: hinc Varro (quem Romani apud Gellium, & Macrobium, ipsumque Tullium sacrorū sapiētissimū existimabant,) lib. 2. de re rust. c. 1. sic philosophatur, *Igitur, et homines, et pecua cum semper fuisse sit necesse, natura (siue enim aliquod fuit principium generandi animalia, vt putauit Tales Milesius, et Zeno Cittieus: siue contra principium horum extitit nullum, vt credidit Pythagoras Samius, et Aristoteles Stagyrites.) necesse est humana vita à summa memoria gradatim descendisse ad hanc ætatem, vt scribit Dicæarchus, et summum gradum fuisse naturalem cum viuerent homines ex ijs rebus quæ inuiolata vltro ferret terra, ex hac vita in secundam descendisse pastoritiam, è feris atque agrestibus, ut ex arboribus, ac uirgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomaque colligerent ad usum*: sentit cum illis qui æternum dixerunt orbem, ac variat iuxta auctorum sententias, quas Plutarchus de plac. phil. l. 2. c. 4. enarrat, *Pythagoras, et Plato mundum à Deo factum arbitrati sunt, et quod ad naturam attinet obnoxium interitu, quia corporeus, ideoque sensibus sit expositus, non autem periturum prouidentia eum, et Deo continente: Epicurus caducum, quia ortus, ut animal, ut stir-*

stirpem: Xenophanes neque ortum, et sempiternum, at nunquam interiturum: Aristoteles partem mundi qua infra Lunam est affectionibus abnoxiam in qua parte etiam terrestria suas patiuntur mutationes; hæc gentium doctrina, de quibus recte inquit ille, *errabunt, ut cæci, quia in idolis domino peccauerunt*.

197 At si Varronis sententiam expendere lubet, omnia ab æterno fuisse credidit, & animalia simul cum orbe absque origine, ac præter opificis opem: probat hoc Ocellus in lib. de vn. dicens, *figura, motus, temporis, ac natura æternitas, initij finisque expertem esse mundum confirmat: nam et figura circuli est, qui ab omni parte similis, et æqualis est, ideoque principij finisque expers: et motus in orbem fertur, quiquidem finem non habet, et infinitum est tempus motus. etc.* Aristæus in lib. de harmonia apud Stobæum lib. 1. eclog. de mundo inquit, *quoniam principium, ut principium ante omnia est, et ortu carēs, ac perfectum, manifestum fit principium per se ortu carere, et æternum esse, ortumque, et motum efficere*: probatque Plato in Timæo: & Diodorus Siculus lib. 1. bibl. ait, *quidam mundum ingenitum, et incorruptibilem, et genus hominum ab æterno extitisse, neque habuisse ortus principium sensere*. id ipsum de animantibus sentit.

198 Laudandus Lucretius Epicureus, qui lib. 5. rerum originem ignorare occinit, & cum Anaximandro exquirit,

Quod si iam rerum ignorem primordia quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis cœli rationibus ausim
Confirmare, alijsque ex rebus reddere multis.

eum sequitur Ouidius metamorph. lib. 1.

Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille Deorum
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit.

Scholiastes, *fuisse Deum non dubitat, nam supra dixerat,*

Hanc Deus et melior litem natura diremit:

quo eum nomine appellet dubitat, uel potius nescit; nam enim Iouem hoc honore dignandum censet, quod facit Aristides Rhetor adulterum illum magnum rerum opificem, et conditorem inducens: at Lucretius deinde ad terram conuersus occinit,

Quare etiam, atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creauit,
Humanum, atque animal prope certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibus passim,
Aeriasque simul uolucres uariantibus formis.

ad quæ Scholiastes inquit, *rationem primæ originis animantium explicat ex sententia Anaximandri, et aliorum quorundam ueterum philosophorum, quam pluribus uerbis prosequitur Diodorus*; hæc ille, & Diodorus noster lib. 1. c. 1. inquit, *hoc et Euripides Anaxagoræ physici discipulus sentire uidetur, cum in Menalippo, et terram mixtam olim fuisse tradat, et separata olim generasse singula ARBORES, VOLATILIA, FERAS, ac omne mortalium genus.*

199 Terra itaque rerum omnium parens animalia protulit, sed modum Aristides enarrat, & Ennius ex quo Diodorus Siculus prodit, *à rerum primordio, et cœlum, et terram unicam habuisse Ideam immixta eorum natura, ex inde distinctis inuicem corporibus cœpisse mundum hunc ordinem, quem uidemus: Aerem quidem motum hunc cõtinuum sortitum: et igneam partem eius superiora loca propter leuitatem aiunt appetisse: eadem causa solem, et astra cursus suos sortita: quod uero humori mixtum codẽ stetisse in loco propter grauitatem, quæ commixta essent ex humidis quidem Mare effectum: ex durioribus uero terram lutosam euasisse, et omnino mollem. hæc primum cum solis ardore densior euasisset, eius postmodum superficie ui caloris tumefacta, ac multis in locis humores quosdam esse concretos, in quibus putredines tenui contectæ pelliculæ sint excitatæ, quemadmodum in paludibus, et stagnis Ægyptijs uidemus accidere, cum frigidam terram æstus aeris calefacit; cum uero in humidis calore adhibito generatio fiat, et noctu quidem circumfusus aer humorem præstet, qui die solis uirtute consolidetur, tandem putredines illę ad summum perductę adueniente ueluti partus tempore exutis, confractisque pelliculis omnis generis educunt ANIMANTIUM FORMAS: quorum ea, quæ maiorem calorem sortita sunt in superiorem regionem uola-*

tilia

tilia affecta abierunt : quę uero plus terra continebant serpentia aliaque terrestria euaserunt ANIMALIA: naturam aquosam nacta in sui generis elementum delata sunt, et appellati pisces. ergo supponit antea cœlum, terramque fuisse, quod omnes fere similiter Pythagoram, Ocellum, Architam, ac Speusippum secuti tradiderunt.

200 Imo Plutarchus lib. 2. de phil. pl. c. 6. idipsum exhibet, *Physici à terra inchoasse aiunt mundi ortum tãquam è centro : Pythagoras ab igne, et quinto elemento : Empedocles primo fuisse secretum etherem, deinde ignem post terram, qua nimis in arctum coacta ob impetum circumagitationis, AQVA ebullierit: ex hac AEREM exhalasse : ac COELVM quidem ex ęthere natum, SOLEM ex igne : reliqua circa terram, quę sunt condensata coiisse ex reliquis : Plato ait, uisibilem Mundum factum ad exẽplum eius, qui in mente fuit, eius uisibilis mundi priorem tempore partem extitisse animam, post corporea, quę primo ex igni, et terra, posteriore loco ex aqua, et aere coaluerint : Pythagoras, cum sint quinque partes solidorum corporum, è cubo ortum ait TERRAM, è pyramide IGNEM, ex octo basium corpore AEREM, è uiginti basium forma AQVAM, è duodecim basium solido GLOBVM VNIVERSI. Plato in his quoque Pythagoram imitatur*. hæc etiam Theodoretus recenset, & Stobæus.

201 Quibus recensitis colligo Deum fuisse rerum omnium creatorem, & antequam ex scripturis veritatem hanc demonstrem, ipsorum gentilium oracula expendo : ipsi etenim olim omnia commixta edixerunt, præcipue ex Epicuro, Lucretius, & Ouidius lib. 1. metamorphoseos,

Hanc Deus, et melior litem natura diremit,
Nam cœlo terras, et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secreuit ab aere cœlum,
Quę postquam euoluit, cœcoque exemit aceruo
Dissociata locis concordi pace ligauit;
Ignea conuexi uis, et sine pondere cœli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce:
Proximus est aer illi leuitate, locoque:
Densior his tellus, elementaque grandia traxit,

Et

Et pressa est grauitate sui circumfluus humor
Vltima possedit, solidumque coercuit orbem.


ergo Deus secernit, Deus loca præfinit, locat, & cuncta, Deus, quem ignorantes Stoici, Zenonem, & Chrysippum secuti *naturam* nuncupabant, qua de re Seneca 2 nat. q. 45. differens ait, *uis Deum naturam uocare? non peccabis, est enim ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu uiuimus.* & Empedocles vbi dixit, naturam esse permixtionem, & diuulsionem elementorum, non vero ortus causam errauit: cecinit etenim lib. 1. nat philos

Iam quod natura mortales nomine dicunt,
Hoc nihil est: neque enim mortem natura vel ortum
Humano præbet generi: nam mixtio tantum,
Mixtorumque subest quædam secretio rebus,
Idque homines vulgo NATVRAM dicere suerunt.

si Plutarcho fides, *Anaxagoras concretionem, et secretionem, idest, ortum et interitum naturę nomine intelligebat*; scilicet à natura ortum rerum omnium philosophabatur fuisse, sicut Nemesius ex nostris, & Basilius.

202 Post delirantium insanias falsas veritatis lumen auoco, scripturæ scilicet oracula ex 1. Genes. v. 24. *Dixit Deus producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas, factumque est ita, & fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, omne reptile terræ in genere suo*; hæc à sensu litteræ nonnulli auertunt, vnde recte D. Ambrosius l. 6. hexæm. c. 2. inquit, *hoc loco non ignoro quosdam bestiarum, & pecorum, & serpentium terræ species alio retulisse, vt hæc ad immanitates criminum, stultitiam peccatorum, nequitiam cogitationum referrent, ego autem simplices naturas vniuscuiusque generis accipio*: Ambrosium ergo sequor, & ex Lyrano locum expendo, *hic describitur opus sextæ diei, in qua ornata est terra animalibus, & hoc est quod dicitur, producat terra, &c. primo animalia viuentia, quæ significantur per animam, quia res denominatur à forma, & consequenter magis specificat dicens, Iumenta quantum ad animalia quæ veniunt ad vsum hominis, quæ generali nomine dicuntur Iumenta, quasi iu-*

iugamenta: secundo & Reptilia: quantum ad animalia pedibus carentia, & quantum ad habentia pedes breues, vt lacerta, & consimilia, propter quod se videntur trahere super terram: tertio, & Bestias terræ: quantum ad animalia syluestria ideo dicuntur, bestiæ quasi vastæ: hanc distinctionem tradunt Plato de legibus: Aristoteles h. a. lib. 1. Oppianus de venatione, & Callisthenes: venenata vtique tunc creasse Deum Augustinus, & Damascenus docet, sed in illo felicitatis sæculo Deo auspice haud mortifera: quæue ex putri nascuntur, nequaquam tunc creata concedimus, licet Pierius, Vielmium traducens, ex Basilio astruat: muscas vero, quæ iuxta Aristotelis, & Auerrois sententiam apud Vielmium Episcopum ex fœmellæ, ac maris congressu eduntur, cæteraque similia agnoscimus: & D. Thomas ex D. Augustino p. 1. q. 72. distinguit dicens, *Animalia quæ generantur ex corruptione rerum inamimatarum, vel plantarum potuerunt tunc generari: non autem quæ generantur ex corruptione animalium tunc potuerunt produci nisi potentialiter tantum:* sic mures domestici, qui ex putri nascuntur sexta die creationis non extiterunt, licet Plinius *salis gustatu fieri prægnantes* opinetur, ex Aristotele, quem reddit Ælianus. sed sicut Ranæ coeunt, & ex putri generantur, quia semen non emittunt à Deo creatæ non dicuntur, sed terræ ex ortu genitæ, ita, & mures, à quibus Mures Ponticos excipe, quorum iconem exhibeo:



isti Volaterrano *Armelini*; Alberto *Glires*: sed à dictis differunt, & nomen à Ponto habent apud Plinium, & Aristotelem, quod à regionibus ad Septentrionem circa Pontum peterentur ad vsum, ornatumque vestium ait Gesnerus, ac rationabili coitu gignuntur, sicut & cætera animalia. at Hybrides ex diuersis speciei parentibus, vt Leopardum ex Leæna, & Pardo: ex Lupo, & Cerua Lyncem: ex Hirco, & Oue Tityrum, quæue noua affert Aphrica. Cornelius aduersus Pierium impugnat, etenim ex adulterio genita Deū non admisisse constat ex Leuit. c. 19. v. 19. mulas etiam excludo, quas licet Varro generasse scribat, sicut in Syria, & Phœnicia omnes Mulas concipere scribit Aristoteles l. 6. de n. a. 24. & Theophrastus contingere in Cappadocia, vel fabulosum est, vel alterius generis Mulæ sunt ait Vielmius, vel prodigij loco sunt referendæ vt Herodotus in Thalia, Suetonius in Galba, & Plinius l. 8. c. 44. tradit. cæterum prodierunt ijsdem affectibus, quibus nunc vigent, vt Lupus in Ouem, in Leporem Vrsus sæuirent, docetque D. Thomas 1. par. quęst. 96. artic. 1.

203 Expendo scripturę locum, & animalium omne genus exhibeo, *producat terra IVMENTA*: D. Augustinus, *iumenta à iuuando* dicta recenset, occinitque Isidorus lib. 11 *Iumenta appellantur quod iuuent homines sunt enim magnarum virium animalia*: Sextus Cęcilius ad Phauorinum penes Gellium lib. 20. c. 1. explicans verba legis, *si in ius vocat, si morbus, æuitasue vitium esset, qui in ius vocabit Iumentum dato; si nolet Arcerā ne sternito*: inquit, ęgrotantium commodo iumentum iussu legis datum fuisse, atque, *Iumentum quoque non id solum significat, quod nunc dicitur, sed VECTABVLVM etiam, quod adiunctis pecoribus trahebatur: veteres enim nostri IVMENTVM à IVNGENDO dixerunt: ARCERA autem vocabatur plostrum tectum vndique, & munitum quasi Arca quædam magna vestimentis instrata, qua nimis ægri, aut senes portari cubantes solebant*: probatque Nonius, *Iumētum à iungendo veteres dictum putant, G. in eo nomine attrita, nam & Vectabulum dicunt, quod nunc Vehiculum dicunt*; Hugo Carensis per Iumenta intelligit animalia

lia

lia quæ mansuescunt, quam opinionem pendit D. Thomas 1. p. q. 72. & nodum edisserit omnem, *dicendum quod per iumenta, vel pecora intelliguntur animalia domestica, quæ homini seruiunt, qualitercunque, per bestias autem intelliguntur animalia sæua vt Vrsi, & Leones: per Reptilia animalia quæ vel non habent pedes, quibus eleuentur à terra vt serpentes, vel habent breues, quibus parum eleuantur, vt lacertæ, & formicæ, sed quia sunt quædam animalia, quæ sub nullo horum comprehenduntur, vt Cerui, & Caprei, vt etiam ista comprehenderentur addidit quadrupedia: vel quadrupedia præmisit quasi genus, & animalia subiunxit quasi species, sunt enim quædam reptilia quadrupedia vt formicæ, & lacertæ*: sic perfecta quæque animalia iussu Dei orta, tum ea quæ ex aquis altilia, cæteraque vti Ambrosius, & Basilius scribunt: etenim Tullius 5. Tusc. Bestias appellauit *pisces, & volucres*, similiterque Hebræi, sicut Oleaster annotabat, nam *Behema* iumentum *Charab* autem, bestia, promiscue vsurpari testatur, licet re vera Episcopus Argolicēsis Vielmius, quod aliquod sit inter vtrumque discrimen, idque ex Platone, & Aristotele tradit: similiter D. Augustinus apud Glossam *per bestias intellexit quidquid ore sæuit, aut unguibus:* Oleaster iumenta esse credidit quæ herbam depascunt, hebræis *Beir:* reptilia quæ humi serpunt, quorum Plinius meminit l. 8. c. 22. & *serpentes* appellat: cætera ex Varrone, & Isidoro cognosces.

204 Sic Deus animalium omnium opifex, & creator illuxit, non enim terra edidit animantia, sed tantum fuit veluti materia ex qua, & illud oraculum, *producat terra animam viuentem*, ab hebræorum peritissimis legitur, *producantur ex terra iumenta*: Theodoretus q. 17. de eorum numero inquit, *cum voluit terram omnigenis fructibus, herbis, arboribus plenam reddidit, ANIMALIA VERO BINA condidit*, illa benedixit, vt amore incenderentur ad coitum, ait Rupertus, ac genus eorum multiplicaretur, *plantas* autem non benedixit, teste enim Gennadio in cat. grę. *vt ostenderet Deus maiorem apud se animantium, quam inanimatorum curam haberi, quia propter animalia plantæ, & semina, ideo benedici digniora, tum etiam, quia*

plantæ, & semina perseuerant agriculturæ labore additu, animantia vero inter se mutua coitione.

205 His ergo prænotatis, gentilium errorem damnamus, omnemque illorum sententiam veluti falsam reijcimus, enimuero delirasse colliges ex collectione ipsorummet philosophantium, quorum oracula prodit Plutarchus lib. 5. c. 19. & Stobæus: itaque Anaximander ait, *prima animalia in humore nata corticibus contecta spinosis, adultiora autem facta ad siccitatem desciuisse, raptoque cortice, non multum temporis super vixisse*: Empedocles Agrigentinus, *primo animalia, ac plantas nequaquam integro ortu extitisse, sed membris, quæ non dum coaluissent, deinde partes coaluisse, ita vt SPECTRI formam compages referret: tertium ortum fuisse ex his quæ vicissim nascuntur. quartum non iam ex similibus, vt ex terra, & aqua, sed proinde vicissim cum alimentum aliorum esset densatum: alijs MVLIERVM FORMÆ venustas incitamentum emittendi seminis attulisset: animalium porro omniũ genera discreta fuisse, certorum ratione temperamentorũ, ob quam alia aquam expetant: alia aerem quæ plus igni habeant: alia quæ grauiora sint ad terram suo appetitu ferantur, quæ autem æquabili sunt temperamento ea vocem è pectore emittere*. Epicurus, ac Euripides non nata, sed mutua vicissitudine animantia alijs subinde formis prodijsse testantur: ex terræ putredine Anaxagoras animantia iactat; eo quo pacto iuxta Thebaidem Ægypti cum Nili cessat inundatio calefaciente solelimum ab aqua relictum multis in locis ex terræ hiatu multitudo animantium oritur: *quod argumentum est*, subiungit Diodorus Siculus l. c. *ab ipso orbis primordio animantia similiter omnia generata esse: eodem quoque modo, & HOMINES à principio genitos*.

206 Tandem fabulam vt rideas dabo, olim scilicet credidisse *è fungis* homines, recensetque Luctarius lib. 7. c. 2. *Corinthum quoque vbi Pyrena fons est curru alatis draconibus vecto accessit vbi olim è FVNGIS ortos homines ferunt*; narrationem vero hanc refert Lucianus lib. 2. verarum historiarum.

DE STATVRA ANIMALIVM, & hominis.

CAPVT DECIMVMNONVM.



200 SApiens Apuleius vir Platonicus in apologetico ad Maximum aduersus Æmilianum rectam hominis staturam, curuamque pecudum indigitat, ac oris dignitatem prefert, dicens, *est enim ea pars hominis loco celsa, visu prompta, vsu fœcunda, nam feris, & pecudibus os humile, & deorsum ad pedes deductum, vestigio, & pabulo proximum, nunquam fere nisi mortuis, aut ad morsum exasperatis conspicitur, hominis vero nihil prius tacentis, nihil sepius loquentis contemplare*. occinitque Silius Italicus,

Nonne vides hominum, vt celsas ad sidera vultus
Sustulerit Deus, & sublimia finxerit ora,
Cnm pecudes, volucrumque genus, formasque ferarũ,
Segnem, atque obscenam passim strauisset in aluum?

hanc diuersitatem precunctis D. Ambrosius luculenter describit in Hexem. l. 5. c. 3. *vis ad vsum hominis deriuare, quæ genita sunt? noli veritatem vnicuique generi naturæ propriæ denegare, & multo magis ea ad gratiam aptabis humanam: primum quia omnia genera pecorum, bestiarum, ac piscium in aluum natura prostrauit, vt alia ventre repant, alia quæ pedibus substententur demersa magis quadrupedo corporis gressu, & velut affixa terris videas esse quam libera: si quidem erigendi se non habent facultatem, de terra victum requirunt, & ventris in quem deflectuntur, solas sequuntur voluptates; caue ô homo pecudum more curuari: caue ne in aluum te non tam corpore, quam cupiditate deflectas: respice corporis tui formam, & speciem congruentem celsi vigoris assume: si sola animalia prona pascuntur, cur te in edendo sternis ipse, quem natura non strauit? cur eo delectaris in quo naturæ iniu-*

ria est? cur noctes, & dies cibo intentus pecorum more terrena depasceris? cur illecebris corporalibus deditus ipsum te inhonoras, dum ventri, atque eius passionibus deseruis? cur intellectum tibi adimis, quem tibi creator attribuit? cur te iumentis comparas, à quibus te voluit Deus segregari dicens, nolite fieri sicut equus, & mulus quibus non est intellectus. hęc Ambrosius pie, & ad mores valde opportunus.

208 Epicurus licet in voluptate hominis felicitatem recensuisset, nihilominus differentiam hanc tradidit, quam occinit Lucretius, & Ouidius lib. 1. metam. postquam, animalium edidit ortum, ex eo inquit,

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset
Natus HOMO est, siue hunc diuino semine fecit,
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Siue recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cœli.
Quam satus Iapeto mixtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum:
PRONAQ; cum spectent animalia cætera terram,
OS HOMINI sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere VVLTVS.

his de rebus rationem refert Lactantius, & opificis sapientiam feliciter enucleat l. 6. c. 2. *Cætera animantes præter vnam voluptatem, quæ ad generandum pertinet nullam sentiunt, vtuntur ergo sensibus ad naturæ suæ necessitatem vident, vt appetant ea, quibus opus est ad vitam tuendam, audiunt inuicem, seque dignoscunt, vt possint congregrari, quæ vtilia sunt ad victum, aut ex odore inueniunt, aut ex sapore percipiunt: inutilia respuunt, aut recusant edendi, ac bibendi officium ventris plenitudine metiuntur: Homini vero solertissimi artificis prouidentia dedit voluptatem infinitam, & vitium cadentem quia proposuit ei virtutem, quæ cum uoluptate semper tanquam cum demestio hoste pugnaret*: itaque animalia curua sunt, vt cibum quærerent sicut Aristoteles, & ex eo Oppianus, & forsan Callisthenes docent; adde ex Basilio in Hexęm tellurem

lurem respicere velut vltimum operationum suarum finem, & quia tantummodo vitam curant victu, potuque terram tuentur, vt viuant.

209 Homines vero alloquitur Apostolus dicens, *quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*: Ambrosius, Chrysostomus, & Anselmus, id præcepisse astruunt quia patria nostra in cœlis est, & vt illinc fixa sint corda vbi vera sunt gaudia: etenim ad Philippum inquit, *in domo patris mei mansiones multæ sunt*: & generosa Mater inclamabat *Nate respice cœlum*! quo aspectu cuncta feliciter cedunt; & homo licet vitijs brutesceret eo intuitu reddit ad cor; quod exemplo Regis Nabuchodonosoris satis probatum censeo: etenim de illo legimus apud Danielem c. 4. v. 30. *eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibns abiectus est, & fœnum, ut BOS comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem Aquilarum crescerent, & ungues eius quasi Auium, igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad COELVM leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & uiuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui*: vide hominem, ob scelera, vt Paulinus scribit, in bouē conuersum subito cœlorum intuitu rediisse ad Deum, imo ad semetipsum iuxta illud, *redite præuaricatores ad cor*: nam ob nequitiam, ac turpitudinem in pecudum labe detrusi contemnerunt, sicut Claudianus l. 2. in Eutropium prodit,

Hi pecudum ritu non impendentia uitant
Nec res ante uident: accepta clade queruntur,
Et sero transacta gemunt.

210 Hinc Zoroaster, qui ab Eudoxo, & Anaximene sapientissimus nuncupatur in oracnlis inquit, *Anima profunditas immortalis imperet: oculos uero prorsus totos expande SVRSVM uersus*; oraculum expendit Psellus presbyter, *tuæ animæ diuina altitudo primas in te uindicet, & oculos tuos pariter uniuersos, idest, uirtutes cognitiuas sursum uersum erige*; & denuo idem Zoroaster ait, *principatum teneat animę profunditas diuina: OCVLOS autem OMNES IN ALTVM SVRSVM extendito*, ad quę

Psel-

Psellus, *animæ profunditas innuit triplices eius potentias, quæ in intellectu cogitatione, & opinione sitæ sunt. oculi uero triplices earum cogitationes cognoscendi ui præditas. est enim oculus cognitionis signum, vt & vita appetitionis, vult igitur vt referetur animæ immortalis profunditas, & quas habes vi cognoscendi præditas potentias, sursum in altum eleues, imo te ipsum totum ad dominum transferas*, optime; etenim vbi conuersionem orbis dominus in fine sæculi premit, ait *Respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*: ac si sursum, quis respiciens patriam videat suam, Deumque propitium; mundi vero aspectus solo intuitu coninquinet animum, vnde Synesius ex Zoroastro carmen sic refert,

Ne deorsum nutes ad mundũ atrũ, & tenebris plenũ;
Cui gurges profũd' sẽp infidus substrat' est, & orcus;
Vndique caliginosus, sordidus, spectris gaudẽs, amẽs.

locum vero eleganter proponit Lactantius l. 6. c. 20. *aiunt philosophi multo esse præclarius, & homine dignius, cœlum potius, quam cælata intueri, & hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus, tanquam floribus adornatum, quam ficta, & picta, & gemmis distincta mirari; sed cum diserte ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, & ad cœli spectaculum excitauerunt, tamen spectacula hæc publica non contemnunt: itaque his, & delectantur, & libenter intersunt, quæ quoniam maxima sunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentissime valent tollenda sunt nobis, quia non modo ad beatam vitam nihil conferunt, sed etiam nocent plurimum.*

211 Tullius etiam in 2. de nat. Deorum., vbi ex Platone, & Anaxagora, ac Panætio hominem ab humo recensuit, inquit, *primum eos humo excitatos, & erectos constituit, vt Deorum cognitionem cœlum intuentes capere possent, sunt enim ex terra homines, non vt incolæ, & habitatores: sed quasi spectatores supernarum rerum, atque cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet*. hæc ille, & prouidentiæ credit hominem ope excitum, Deumque agnoscit, cuius prouidentia factus est homo: recteque nullum aliud animal

cœlum, dicit, spectare; quia nullum animal cœlum velut patriam habet: Pierius l. 4. in Genes. de format. hom. q. 1. rectitudinis triplicem in homine causam assignat, & velut deficientem exhibet *abundantiam caloris*. alteram facit ad maiorem vsum sensuum interiorum, & vltimam manuum organum, vt illo scilicet apprime vteretur: primam impugno, etenim ex Aristotele calorem leonum maximopere animantium omnium cæteros excellere nouimus: ideo Plutarchus Leonem *solare animal* dixit: & Manethon Aegyptius ad Herodotum scribens, ob nimium calorem in hominem credidit, & Lucretius vbi de varietate animi occinit, de Leone ait,

Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira
Cum feruescit & ex oculis micat acrius ardor.

hinc ignitos leones apud Apollodorum, & Lucretius,

Sed calidi plus est illis, quibus acria corda
Iracundaque mens facile efferuescit in ira,
Quo genere in primis vis est violenta LEONVM.

& Diodorus lib. 1. ob caliditatem Aues aerem petijsse scribit: sicut de Aquila Iuba Rex docuit, & Albertus; ideo dicendum opificis Dei ope hominis erectum fuisse corpus, illudque dignum animo, eiusque imagine sanctuarium: est etenim (teste D. August. quem infra dabo) in corpore etiam *imago Dei* tanquam in signo, vel sicut in scholis loquuntur Theologi, *arguitiue*, & *significatiue*, sic explicandus Iunilius in Genes. dum ait, *non secundum corpus, sed secundum intellectum mentis ad imaginem Dei creatus est homo*: siquidem, cum Deus sit incorporeus, eius imago in anima principaliter est, vt inquit Cæsarius hom. 12. *in anima & mente ad imaginem Dei facti sumus, secundum carnẽ vero de limo terra formati sumus*: & Eucherius, *in interiore homine est conditoris sui imago*: Prudentius in Apotheosi contra Ebionitas;

His animam similem sibi conditor effigiauit.

212 Aliam causam addit Alcuinus, & à Deo corpus erectum occinit ob animæ perfectionem, canitque lib. 1. de initio mundi cap. 6.

Inde vbi perfectis consuescit viuere membris

To-

Totus homo, & fumant calefacta, & viscera solam
Expectant animam, puro quam fonte creator
Promit, & ERECTOS recturam ammittit in artus.

quod erecto indegeat organo, tradit Prudentius in Hamartigenia,

Nec segnis natura animæ est, aut tarda cauendi
Vulneris ignitum quoniam Deus indidit olli
Ingenium purum, sapiens, subtile serenum,
Nobile sollicitum, velox, agitabile, acutum.

etiam D. Augustinus l. 1. in Gen. c. 17. eleganter subinfert, *quamuis etiam corpus nostrum sic fabricatum sit, vt indicet nos meliores esse quam bestias, & propterea Deo similes: omnium enim animalium corpora, siue quæ in aquis, siue quæ in terra viuunt, siue quæ in aere volitant inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta, sicut hominis corpus: quo significatur etiam animum nostrum in superna, idest in æterna spiritualia erectum esse debere; ita intelligitur per animum maxime, attestante etiam ERECTA CORPORIS FORMA, HOMO FACTVS EST AD IMAGINEM, & similitudinem Dei.*

213 Insuper apud gentiles Seneca hæc haud ignorauit, dicens, *vultus nostros erexit in cœlum, & quidquid magnificum, mirumque fecerat videri à suspicientibus voluit ortus, occasusque, & properantis mundi volubilem cursum: interdiu terrena aperiuntur, noctu cœlestia, tardos siderum incessus, si compares toti, citatissimos, si cogites quanta spatia nunquam intermissa velocitate circumeant:* quo intuitu, & creaturarum pulcherrimarum aspectu creatorem facile agnoscere possit, etenim inquit, *Apostolus, inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt visa conspiciuntur*, & Bernardus ser. 24. in cant. secum loquitur, *Erubesce anima mea diuinam in pecorinam commutare similitudinem, erubesce volutari in cœno, quæ de cœlo es: erubesce anima mea, ait corpus, in mei consideratione, creata simili creāti recta, me quoque accepisti adiutorium simile tibi, vtique secundum lineamenta corporeę rectitudinis: quocumque te vertas siue ad Deum sursum, siue ad me deorsum, (nemo siquidem carnem suam odio habuit) ubique tibi occur-*


currit species decoris tui, ubique pro statu tuæ dignitatis habes de magisterio sapientiæ familiarem admonitionem. Ex quibus Bernardi verbis colligimus erectū fuisse & à Deo formatum corpus, vt eo anima vteretur ad Deum videndū, monetque Boetius metr. vlt. lib. 6.

Vnica gens hominum celsum leuat altius cacumen
Atque leuis recto stat corpore, despicitque terras.
Hæc nisi terrenus male desipis admonet figura
Qui recto cœlum uultu petis, erigisque frontem
In sublime feras animam quoque, ne grauata pessum
Inferior sidat mens, corpore celsius leuato.

& Tullius de officijs inquit, *inter hominem, et belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu mouetur, ad id solum quod adest, quodque præsens est se accommodat paullulum sentiens præteritum, haud futurum; homo autem, qui rationis est particeps per quam cōsequentia cernit, principia, et causas rerum uidet, earumque prægressus, et quasi ante cessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adiungit, atque annectit futuras: facile totius uitæ cursum uidet, ad eamque degendam præparat res necessarias, eadem natura ui rationi homini conciliat homini, et ad uitæ societatem.*

214 Cætera animantia curua versantur in orbe, & si quandoque quodlibet eorum erigitur, vel sustentaculo indiget, vel statim vt antea corruit; dabo Cercopithecum ex Simiarum genere, qui (Megasthene auctore apud Strabonem lib. 15. *comam humanam* habet, & est homini valde similis: corpus eius albescit, censeturque à Plinio exhibitus dum inquit, *Orseos Indorum gentem uenari Simias candentes*: faciem hominis syluestris exhibet, & rectus nonnunquam incedit, vt in icone vides.

Dd Descri-



215 Describuntur ab Æliano lib. 16. c. 10. in Prasijs indicis simiarum genus esse ferunt HVMANIS SENSIBVS, & magnitudine Hyrcanorum canum, tum earum comam & si naturalem artificio tamen hominis veritatis imperito elaboratam videri: tum barbam ipsarum speciem satiricę similitudinemque gerere, caudamque Leoninę similem spectari, reliquo corpore albas, capite, & extrema cauda flauas esse: neque vero quod viuendi ratione, & genere ipso syluestres sint (auibus enim agrestibus pascuntur) propterea feras esse, imo natura cicures, & moderatas ad suburbium Latages Indicæ orbis frequentes proficiscuntur, quibus coctam Oryzam Rex comedendam obijcit, ac quotidie cibaria eis proijciuntur, expletę ad syluestres sedes cum magna moderatione redire, neque obuium quemquam lędere dicuntur. hæc ille, qui tamen aliter videtur scribere lib. 17. c. 49. dicens, *in Prasiana Indorum regione Megasthenes Simias scribit maximis canibus non inferiores esse magnitudine: quinque cubitorum caudam habere, tum ex earum fronte comas propendere, easdemque barbam promittere: tum facie alba.*

ba esse, corpus vero nigrum spectari: neque malitia cæteris Simijs ingenita, sed mansuetudine, & humanitate imbutas esse: nihilominus ex Cardano Gesnerus ipsum sic describit, *est forma rara Cercopithecus magnitudine, & forma hominis: cruribus siquidem, virili membro, facie dicas hominem agrestem, quia totus est pilo obsitus: nullum animal perseuerat PLVS STANDO ILLO, homine solo excepto: amat pueros, & mulieres non secus, ac homines suæ regionis*, sic ex Megasthene, & Strabone habes Cercopithecum stantem, quia hominem præ cunctis refert, ostentatque illius formam, cætera vero animantia curua iacent, humique torpescunt.

216 Adde etiam Cynocephalos, *sunt, etenim, capite canino cætera membra hominis habent*, inquit Ælianus; eos Philostratus in vita Apol. *paruis hominibus similes* existimat: & antea Diodorus Siculus, ac Strabo idipsum dixerunt: Satyros etiam enumera, qui iuxta Pomponium Melam, & Solinum c. 34. hominis figuram præstant: Plinius l. 7. c. 2. *sunt Satyri Subsolanis indorum montibus* (Cartadulorum dicitur Regio) *pernicissimum animal, tum quadrupedes, cum recte currentes humana effigie propter velocitatem nisi senes, & ægri non capiuntur*, de Satyris vide Pausaniam in Atticis, & Hieronymum in vita Pauli Eremitæ, vbi Hippocentaurum Antonio, Satyrumque apparuisse scribit; tandem audi Minucium in Octauio, *Cum à feris belluis hoc differamus, quod illa prona, in terramque vergentia nihil nata sint prospicere, nisi pabulum: nos quibus vultus erectus, quibus suspectus in cœlum datus est sermo, & ratio per qua dominum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas, nec licet ingerentem sese oculis, & sensibus nostris cœlestem claritatem: sacrilegij enim vel maximi instar est, humi quærere, quod in sublimi debeas inuenire.*

DE VESTITV ANIMALIVM AC ARMIS, *simulque de hominis miseria, & nuditate.*

CAPVT VIGESIMVM.

217 GRande argumentum, & scitu dignũ, dum hominem terrarum orbis principem nudũ à Deo omnium opifice creatum, cætera vero animantia suis quæque operimentis enixa vidimus: hinc Plinius in proœm. lib. 7. inquit, *Animantium in mundo natura nullius prope partis contemplatione minor est, siquidem omnia exequi humanus animus queat: principium iure tribuetur homini, cuius causa videtur cuncta alia genuisse natura magna, & sæua mercede contra tanta sua munera, vt non sit satis æstimare parens melior homini, an tristior nouerca fuerit: ante omnia vnum animantium cunctorum, alienis velat opibus: cæteris varie TEGVMENTA tribuit, Testas, Cortices, Coria, Spinas, Villos, Setas, Pilos, Plumam, Pennas, Squammas, Vellera: Truncos etiam Arboresque cortice interdum gemino à frigoribus, & calore tutata est: HOMINEM TANTVM NVDVM, ET IN NVDA HVMO natali die abijcit ad vagitus statim, & ploratũ, nullumque tot animalium aliud ad vagitus statim, & ploratus, nullumque tot animalium aliud ad lacrimas, & has protinus vita principio*: hæc ille, ex Tullio, cui adde Sidonium Apollinarem l. 7. ep. 14. ad Philacrium, *equidem si humana substantia rectius mole, quam mente censenda est, plurimum ignoro; quid secundum corpolentiam per spatia quamuis porrecta finalem in homine miremur, quo nihilaque miserum, destitutumque nascendi conditio produxit, quippe cum præbeat tanquam ab aduerso Boui pilus, Apro seta, Volucri pluma vestitum: quibus insuper, vt vim vel inferant, vel repellant, cornu, dens, vnguis, arma genuina sunt: membra vero nostra in hunc mundum sola censeas eiecta non edita, cumque gignendis artubus* ani-

animalium cæterorum multifario naturæ præsidio, quasi quædam sinu patente mater occurrat, HVMANA TANTVM CORPORA EFFVDIT, quorum imbecillitati quodammodo nouercaretur: hanc miseriam deplorat Lotharingus Diaconus in lib. de contempt. mundi; & Euchetius, sed omnium præstantissimi Basilius, & Ambrosius.

218 Adest etiam Ouidius, qui in Halieuticis canit,

Accepit mundus legem, dedit ARMA per omnes
Admonuitque sui, Vitulus sic namque minatur,
Qui non dum gerit in tenera iam cornua fronte:
Sic Damæ fugiunt: pugnant virtute Leones,
Et morsu CANES, & cauda sic Scorpius ictu
Concussisque leuis pennis sic euolat ales
Omnibus ignota mortis timor, omnibus hostem,
Præsidiumque datum sentire, & noscere teli
Vimque, modumque sui. —

Martialis lib. 13. epigramm. 94.

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum.

Lucretius libr. 5.

Cornua nata prius vitulo, quam frontibus extent,
Illis iratus petit, atque infensus inurget;
At catuli Pantherarum, Scymnique Leonum
Vnguibus, ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
Vix dum cum ipsis sunt dentes, vnguesque creati.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere, & à pennis tremulum petere auxiliatum.

firmatque D. Zeno Veronensis dicens, *singula quæque animalium à conditore omnium Deo ad defensionem, ac tutelam sui occasiones quasdam proprias acceperunt, quibus saluti suæ cum necesse fuerit auxilium ferant.*

219 Hinc Democritus, & Anaxagoras hominis miseriam arguunt, & qui mortalem dixerunt animam cum Hipparco, & Anaxila infelicissimam hominum sortem æxistimantes, pecudum extollunt fata, inter quos ingenue Plinius loc. c. de homine subinfert: *at Hercule, risus precox ille, & celerrimus ante quadragesimum diem nulli datur: ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt; & omnis membrorum nexus,* ita-

itaque feliciter natus iacet, manibus, pedibusque deuinctis, flens animal cæteris imperaturum, & à supplicijs vitam auspicatur, vnam tantum ob culpam, quia natum est: heu dementiā ab ijs initijs existimantium ad superbiam se genitos; prima roboris spes, primumque temporis munus, quadrupedi similem facit; quando homini incessus? quando firmum cibi os? quandiu palpitans vertex summa inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? iam morbi, totque medicinæ contra mala excogitatæ, & hæ quoque subinde nouitatibus victæ: cætera sentire naturam suam, alia pernicitate vsurpare: alia præpetes volatus: alia vires: alia nare, hominem scire nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breuiterque non aliud naturæ sponte, quam flere; forsan haud vere? Apollonius refert vnum risisse Zoroastrem, quod neque Pythagoras, neque Eudoxus eiusdem sectatores edixerunt, narratque Plinius lib. 7. cap. 16. *Risisse eodem die quo genitus esset vnum hominem accepimus Zoroastrem: eidem cerebrum ita palpitasse, vt impositam repelleret manum futuræ præsagio scientiæ*: verior vates de homine inquit, *ridebit in die nouissimo*, quo cupiens dissolui, & esse cum Christo, incolatus sui finem assequitur: imo si infantium attendimus ortum, D. Augustinus lib. 7. c. D. recenset malorum monimenta iuxta Numinum fabulas, nam & Romani, teste Varrone, *vagitanum Deum* ob vagitum colebant: *Cuninam Deam*, ait Lactantius, quæ in cunis tueretur infantes: *Leuanam* insuper, quæ natos de terra leuaret, vti Macrobius ex Varrone, Seneca, & Plinius apud Gyraldum de hist. Deor. tradunt: *Rumiam, & Ruminam* Deam, quæ *mammam paruulo*, ait Augustinus, *immulgere dicebatur*: & Rumam dixere veteres mammam: idem Plinius, & Festus ante Augustinum: Varro item de re rust. apud Nonium Marcellum, *hisce manibus lacte fit non vino, Cunina propter cunas, Rumina propter Rumam*; & fusius Lilius synt. 1. Plutarchus in probl. & in Romulo, Seruius in 8. Virg. & alij, qui *Edusam, Potinam, & Cubam* Deas præsides potionibus, cibisque infantum, ex Varrone Nonio, Augustino li. 6. c. D. & Arnobio lib. 3. adu. gent. sicque edendi, cubandi,

di, ac potandi numine indigebant, ideoque Athenienses primum, inquit Apollodorus, deinde Samothraces pueros suos hisce diuorũ arcanis initiari curabãt: & Augustinus sequitur, exhibetque *Statilinum*, vel *Stabilinum*, vel *Statanum*, eo videlicet tempore, quo pueri stare, auctore Lactantio, incipiunt, traditque apud Nonium Varro: *Fabulinum* colebant Deum, cum fari pueri auspicabantur: & tandem Tullius in 3. de nat. Deor. scribit, *Nascio quoque Dea putata est, cui cum fana circuimus in agro Ardeatino, rem diuinam facere solemus; quæ quia partus matronarum tueatur, à nascentibus nascio nominata est.*

220 At animalia illis non indigent, & præstant: hinc Seneca ad Lucil. ep. vlt. hoc edisserit, & animum excolendum suadet, *quid inquam vires corporis alis, & exerces? pecudibus istas maiores, ferisque natura concessit: quid excolit formam? cum omnia feceris à multis animalibus decore vinceris: quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum modo vinxeris, vel vt Scythæ solent sparseris, in quolibet equo densior iactabitur iuba, horrebit in Leonum ceruice formosior: cum te ad velocitatem parateris par Lepusculo non eris: vis tu relictis in quibus uinci te necesse est, dum in aliena niteris ad bonum reuerti tuum? quod hoc est? animus scilicet emendatus, ac purus æmulator Dei super humana se extollens, nihil extra se sui ponens rationalis animalis: quod ergo in te bonum est? perfecta ratio: hanc tu ad summum finem euoca, in quantum potest plurimum crescere, tunc beatum esse te iudica, cum tibi ex te gaudium omne nascetur*: hæc sapiens ille, & apprime, etenim Cebete auctore, quid homine infelicius? Simonides Cresum irrisit, pauonemque illius pulchriorem regio ornatu indigitauit: & de liliorum pompa Christus inquit, *Nec Salomon in omni gloria sua*: ergo animum excolere homines debent vt præcellant animantia cætera, quæ illis præstantiora, hisce in rebus censentur: monetque Sidonius in epist. ad Philagrium dicens, *Illud (sicut ego censeo, qui animum tuum membris duco potiorem) non habet æqualitatem, quod statum nostrum supra pecudes uexi si fal-*

si-

sique nescias ratiocinatio animæ intellectualis euexit: cuius si tantisper submoueant dignitatem isti, qui, amicos ludificabundi non tam iudicialiter, quam oculariter intuentur, dicant, uelim in hominis forma, quid satis præstans, quid spectabile putent? proceritatem ne? quasi non hæc sæpe congruentius trabibus aptetur: an fortitudinē? quæ ualentior in leoninæ ceruicis toris regnat: an decorem lineamentorum? quem crebro melius infingit & argilla simulachris; & cera picturis: an uelocitatem? quæ competentius canibus adscribitur: an uigilantiam? cui certat, & noctua: an uocem? cui non cesserit asinus claritate: an industriam? cui pro suo modulo comparari nec formica formidat: sed forsan præferunt uim uidendi, tanquam nō sit eminentior uis Aquilarum: præferunt audiendi efficaciam, tanquam sus hispidus non antistet auditu: præferūt odorandi subtilitatem, tanquam non præcedat uultur olfactu: præferunt gustandi discretionem, tanquam non plurimum hinc nos cedimus, & Simio: quid de tactu loquar quincto sensu corporis nostri, quem sibi indifferenter tum uermiculus, quam philosophus usurpant? taceo hic de appetitibus illecebrosis, quos in coitu motui belluino carnis humanæ uoluptas inclinata communicat: ecce quam miseriam præferunt, excoluntque, qui mihi, quod eis solo sis obtutu notior, turgidi insultant; hæc ille ex Seneca, Boetio de consol. l. 6. pros. vlt. Arnobio lib. 3. Æliano v. h. l. 8. c. 24. Tertulliano de anima, & Claudio Mamerco l. 2. c. 9. qui ait, *uisus homini belluaque communis est, sed tamen ut nonnulla irrationabiles animantes præ hominibus uideant acumine uidendi.*

221 Antistant itaque belluæ, hominesque præcellunt, si ornatum spectes, & arma; etenim post Basilium, Iunilium, Ambrosium, ac Bedam, qui de mundi origene disseruerunt, Constantinus Manasses auctor in annal. de die quinta inquit, *Dei mandatum ueluti semen quoddam incidens, aquas admodum fœcundas reddebat, hinc ortæ uolucres aera libero uolatu permeantes, quarum aliæ magnis sunt alis prædita, aduncis unguibus, quos armorum nacta sunt loca, aliæ rostrum habent acutius nouacula, qui-*

quibus scilicet carnes pro cibis sunt destinatæ, quarum è genere sunt aquila uolucrum imperatrix, crudiuori Accipitres; Aues cateræ quæcunque non coctis vescuntur: hinc & auiculæ garrulæ herbis uictitantes, alis exiguis præditæ, vitæ breuis varie cantillabant, in lustris garriebant; arbores perstrepebant, nimirum musicæ Carduelesi Alaudes, Spinni, Sturni, aliaque volucres omnes, quæ agrorum herbas circumuolitant, & victum inde facilem conquirunt: tunc etiam in terra BESTIÆ conspectæ sunt horribiles, Leones hirsutas, ac villosas ceruices habentes: Vrsi, Pardalides, Tigrides, Apri bronci, Elephas lato pectore, Canes dentibus serratis instructi, veloces Lepores, omnes denique tam volatiles, quam pedestres bestiæ, quæ vel in omnibus, vel mari, vel montibus degunt: at quænam comparatio istorum cum homine? nudus egressus sum de vtero matris mei, nudus reuertar illuc, vates inclamat; & alter fatetur, primam vocem emisi plorans: sicque expenditur apud Iob oraculum c. 5. 7. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum*: Elisphaz, teste Caietano, vult confirmari pœnas esse improrum, cum nihil casu in rebus creatis, vt D. Thomas expendit, fiat: probari potest ex Bernardo ser. 4. ad frat. vbi ait, *homo creatus non fuit ad laborem, nam diues creatus est, nascuntur igitur in summa egestate ad laborem, & qui in peccatis concipimur, & nascimur ad pœnas, & ad labores nascimur*: at potius dicendum cum Olympiodoro, & Chrysostomo sensum esse, ac si diceret, *minime decet te confici, quod ærumnis afficiaris, homo cum sis: non enim terra, neque montes aut saxa, quæ sensum non habent, dolorem, & ærumnas pati possunt proprium itaque hominis est ærumnis vexari, quare subiungitur, homo nascitur ad laborem*. Auis vero, vt oritu- volat, & lata liber cœlorum spatia petit, cantat, gaudetque vernantibus pratis.

222 Ergo ex animantibus solus homo infelix, solus plorat, constringitur solus. idque Heraclitus apud Porphyrium prosequitur, & Varro de educ. puer. pluribus siue iuxta Empedoclis, & Epicuri, siue Panœtij oracula pandit, imo Plinius in proœm. l. 7. inquit, *vni animantium luctus*

est datus, vni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra, vni ambitio, vni auaritia, vni immensa viuendi cupido, vni superstitio, vni sepulturæ cura, atque etiam post se de futuro: nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pauor confusior, nulli rabies acrior: denique cætera animantia in suo genere probè degunt, congregari videmus, & stare contra dissimilia: Leonum feritas inter se non dimicat: serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem belluæ, ac pisces nisi in diuersa genera sæuiunt: at Hercule homini plura ex homine sunt mala: hæc ex Aristotele, & Callisthene; Tullius antea lib. 3. de Rep. apud D. Augustinum lib. 4. contra Pelagium scribit, *homo non ut à matre, sed ut à nouerca natura editus est in uitam, corpore nudo, & fragili, & infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inest tanquam obrutus quidam diuinus ignis ingenij, & mentis.*

223 Sed quia Tullius de nat. Deor. l. 2. mirifice philosophatur, & historiam, rationemque omnium animalium exhibet, siue quæ ad ortum, tegumen, cibum, ac mores, siue quæ ad conseruationem spectant enarrat, ipsius verba, & si longa littera dabo, *Animantium quanta uarietas est? quanta ad eam rem uis, ut in suo quaque genere permaneant? quarum aliæ corijs tectæ sunt, aliæ uillis uestitæ, aliæ spinis hirsutæ: pluma alias, alias squamma uidemus obductas: alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. pastum autem animantibus large, et copiose natura eum, qui cuique aptus erat comparauit, enumerare possum ad eum pastum capessendum, conficiendumque quæ sit in singulis animantiū, et quam solers subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum, omnia enim, quæ quidem intus inclusa sunt, ita nata, atque ita locata sunt, ut nihil eorum superuacaneum sit, nihil ad uitam retinendam non necessarium. dedit autem eadem natura belluis, et sensum, et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturaleis pastus capessendos, altero secernerent pestifera à salutaribus, iam uero alia*

ani-

animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia uolando, alia nando; cibumque partim oris biatu, et dentibus ipsis capessunt partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum, alia sugunt, alia carpunt, alia uorant, alia mandunt; atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant, quę autem altiora sunt ut anseres, ut Cygni, ut grues, ut cameli adiuuantur proceritate collorum. manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficileis aditus habebant ad pastum; at, quibus bestijs erat is cibus, vt alius generis bestijs vescerentur: ijs aut vireis natura dedit, aut celeritatem: data est quibusdam etiam machinatio quaedam; atque sollertia: vt in araneolis alia quasi retexunt, vt si quid inhaeserit conficiant: aliae autem vt ex inopinato obseruant, & si quid incidit arripiunt idque consumunt: pinna vero (sic enim graece dicitur) duabus grandibus patula conchis cum parua squilla quasi societatem coit comparandi cibi. itaque cum pisciculi parui in concham biantem innatauerint, tum admonita à squilla pinna morsu comprimit conchas. sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur. in quo admirandum est congressu ne aliquo inter se, an iam inde ab ortu naturae ipsa congregatae sint. est etiam admiratio nonnulla in bestijs aquatilibus ijs, quae gignuntur in terra: veluti crocodili, fluuiatilesque testudines, quaedamque serpentes ortae extra aquam simul, ac primum niti possunt, aquam persequuntur: quin etiam anatum oua gallinis saepe supponimus: ex quibus pulli orti primum aluntur ab ijs, vt à matribus: deinde eas relinquunt, à quibus exclusi fotique sunt, & effugiunt cum primum aquam, quasi naturalem domum videre potuerunt, tantam ingenuit animantibus conseruandi sui naturam custodiam legi etiam scriptum, esse auem quandam, quae platalea nominetur: eam sibi cibum quaerere advolantem ad eas aueis, quae se in mari mergerent: quae cum emersissent, piscemque cepissent, vsque eo premere earum capita mordicus, dum illae captum amitterent, id quod ipsa inuaderet. eademque haec auis scribitur conchis se solere complere, easque cum

stomachi calore conuexerit, euomere atque ita eligere ex ijs, quæ sunt esculenta. ranæ autem marinæ dicuntur obruere sese arena solere, & moueri prope aquam: ad quas quasi ad escam pisces cum accesserint, confici à ranis atque consumi. Miluo est quoddam bellum naturale cum coruo: ergo alter alterius vbicumque nactus est oua, frangit. illud vero ab Aristotele animaduersum à quo pleraque, quis potest non mirari? grues cum loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficiunt: eius autem summo angulo aer ab ijs aduersus pellitur: deinde sensim ab vtroque latere tanquam remis ita pennis cursus auium leuatur. basis autem trianguli, quam grues efficiunt ea tanquam à puppi ventis adiuuatur, hæque in tergo prævolantium colla, & capita reponunt, quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet vbi nitatur, reuolat vt ipse quoque quiescat: in eius locum succedit proxima ex ijs, quæ acquieuerunt, eaque vicissitudo in omni cursu conseruatur. multa einsmodi proferre possum: sed genus ipsum videtis. iam vero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiæ, vt in pastu circumspectent, vt in cubilibus delitescant: atque illa mirabilia, quid ea quæ nuper, idest paucis ante sæculis medicorum ingenijs reperta sunt? vomitione canes purgantur: aluo se Ibes Aegyptiæ curant: auditam est Pantheras, quæ in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere, quo cum essent vsæ non morerentur, capras autem in Creta feras cũ essent confixæ venenatis sagittis herbam querere, quæ Dictamus vocaretur, quam cum gustauissent sagittas excidere dicunt è corpore: Ceruæque paulo ante partum perpurgant se quadam herba, quæ Seselis dicitur: iam illa cernimus, vt contra metum, & vim suis se armis quæque defendunt: cornibus Tauri, Apri dentibus, morsu Leones, aliæ fuga se, aliæ occultatione tutantur, atramenti effusione Sepiæ, torpore Torpedines: multa etiam insectanteis odores intollerabili fœditate repellunt: vt vero perpetuus mundi esset ornatus magna adhibita cura est à prouidentia Deorum, vt semper essent, & bestiarum genera, & arborum, omniumque rerum, quæ altæ aut radicibus à

terra,


terra, aut stirpibus continerentur. vsque modo Tullius. nec male Plinius lib. 8. c. 25. ait, *callent in hoc cuncta animalia, sciuntque non sua modo commoda verum, & hostiũ aduersa, norunt sua tela, norunt occasiones, partesque diffidentium imbelles*.

224 At ne glorietur omnis caro, has prænotiones statim ab ipso ortu perfecte animalia non habere docet D. Thomas p. 3. etenim sicut teste Lucretio, pueros nostros instruimus, ita, & pullos suos aues, catulosque belluæ: quod post Psaltem Claudianus in præph. paneg. Honorij Augusti occinit,

Paruos non Aquilis fas est educere fœtus,
Ante fidem solis, iudiciumque poli:
Nam pater excusso salijt cum germine proles
Ouaque maternus rupit hiulca tepor:
Protinus implumes conuertit ad ethera nidos
Et recto flammas imperat ore pati,
Consulit ardentes radios, & luce magistra
Naturam, vires, ingeniumque probat.

de Vrsa vide Ælianum lib. 2. h. a. c. 19. de Leone Plinium l. 7. de Delphinis Basilium in Hexæm. de Ciconijs Albertum, & Pierium, quorum ex oraculis cognosces non statim à primo ortu perfecte animalia vestitu, armisque prædita, sed adinstar hominum post multa creuisse: *Tarandum* propono, quem Albertus *Rangiferum* nuncupat, & Aristoteles de adm. aud. *Trophilum*: ac *Bouis* nomine in Hercynia sylua cerui figuram præferentis Cæsar lib. 6. de bel. gal. describit; in Septentrione versus Polum Arcticum generatur, & in Regionibus Noruegiæ, ac Sueciæ: apud Lappos populos Sigismundus in hist. Moscouitarum recenset.

hic



hic dum oritur cornua non habet, deinde inquit Robertus Stephanus, *tres ordines cornuumgerit in capite, ita vt in singulis bina sint cornua, & caput eius virgultis compositum videatur*: hinc teste Gesnero dicitur *Rangifer*, quasi *Ramifer*: ea quadam lanugine cooperta Munsterus describit, vnde Ge. Fabricius, velut ramos altos, mucrutatosque indigitat: sunt alba venulisque longis cornua distincta, adeo vt quinque cubitorum mensuram aliquando at-

attingant, & ramis conspiciantur viginti quinque: plura vide apud Gesnerum, Olaum, ac Munsterum: nunc obsessuo animal absque cornuum mucrone nasci, sicut & fœmellæ ijsdem perpetuo carent: deinde paulatim insurgunt, ramosque præmultitudine ostentant: ergo non omnia à primo ortu animantia armata prodeunt, cum & Tarandus infestum habeat *lupum*, aliosque quos Olaus nominat: adde, inferioribus ramis concreta frigoribus flumina ad potum rumpere, vt conijcias illis indigere, & tamen non statim cornua præferre compertum est.

225 Sic concludamus, hominemque nuditate, ploratu, ac vinculis obnoxium commendemus, etenim teste Sidonio loc. c. *præcedit animam pecudis humanus animus, quia sicut inferior est caro vita, sic vita rationi, cuius assequendæ substantiam nostram compotem Deus artifex, ferinam vero impotem fecit*: sufficit præcunctis ratio, vt amictus lumine sicut vestimento animus accedat ad cor altum; & quia beneplacitum fuit Deo habitare in eo, omnia subiecit sub pedibus hominis oues, & boues, insuper, & pecora campi, ob hanc rationem nudum creator hominem edidit. audi Basilium in hom. quod Deus non sit auct. mal. *cur non statim quoniam hæc nec naturalia esse nec ex arte decebat: non naturalia propria sunt brutorum, eis ab initio amictus sunt præparati? vt penna, seta, pellium crassitudines, quę & rigoribus resistunt, & ęstus ferunt in quibus nihil alterum ab altero distat, ęquali omnibus natura existente, homini autem secundum proportionem in Deum charitatis bonorumque distributio conueniebat*: sic aperti sunt eorum oculi post peccatum, ait Ambrosius cap. 13. de parad. *& cognouerunt altiore scientia non tunicam sibi, sed virtutum deesse velamina*: Plato de Regno dum Saturni recenset tempora de illis hominibus inquit, *Nudi quin etiam, & expediti, ac errabundi vt plurimum pascebantur: Deus pascebat eos, ipse illorum pastor, & custos.*

DE

DE PRIMIS ANIMALIBVS, & an loquebantur.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

226 
X Pythagoricorum schola sapientissimos philosophorum enumerat Heraclides, inter quos Iamblichum commendare insignem sapientia virum vel mihi liceat, hic etenim in orat. exhort. ad hominis præstantiam vsum loquendi refert, caussamque credidit rationē, *Homo omnium animantium creatus est longe sapientissimus, namque ea praditus est sapientia, ac vi vt aspicere valeat tum quę sunt, tum etiam scientiam, prudentiamque ex omnibus haurire: prēterquam quod etiam insculpsit, & insigniuit ei aliquod Numen per rationem, vniuersi quasi globus, hoc est Deus vniuersi, in quo species omnes, ac forma eius, qui in eo est tributa est, simulque OMNIA NOMINA, & verba; etenim sonoribus, vocisque enunciationi locus seorsim, hoc est gutturi attributus est, orique, ac naribus*: itaque homo rationis compos loquitur, cæteraque animantia silent, vel strepunt. firmatque ex Platone Plutarchus l. 4. pl. ph. 19. *proprie autem vox articulata est grēcis ab illustrando mentis conceptu dicta.*

227 Nihilominus ab initio orbis aurea, Saturni auspicijs florente adhuc ætate, quæue tunc animantia ratione, intelligentia, ac loquendi peritia, nonnulli, prædita crediderant: inter quos Platonem enumerant, qui vbi de Regno disserit Saturni tempora describit, dicens, *Saturni quondam alumni in tanto ocio, & libertate vita, potentiaque non solum inter se, sed etiam CVM BESTIIS COLLOQVENDI hisce omnibus ad philosophiam vtebantur, inter se, & cum bestijs viuentes, sciscitantesque ab omni natura, quacunque propriam sentiendi vim aliquam differentem ab alijs habet, ad prudentiam acquirendam facile*

facile indicari potest, illos longo quodam interuallo nos ad beate viuendum exuperasse: errorem hunc ex Mosis narratione hausisse Platonem Eusebius censet lib. 12. præp eu. c. 9. *prudentiorem omnibus bestijs terræ serpentem fuisse, & sermonem eius vicissim cum muliere habitũ Moses scribit: quam rem quemadmodum Plato narrauerit non est alienum audire: qui Saturni temporibus erant, inquit, tanta virtute pollebant, vt non cum hominibus solum, verum etiam cum bestijs oratione vti possent: sed non ad philosophiam, & inter se, & cum bestijs hac virtute vtebantur, diligenter scrutantes de singulorũ natura ad accumulationem prudentiæ, sed cibo, & potui tanquam belluones continuo inhærentes fabulas secum, & cum bestijs tales conferebant, quales modo de ipsis narrantur*: hæc ille.

228 Sed si ad Mosis narrationem hæc referre licet, habeo Iosephum ex hebræis, qui lib. 1. antiq. c. 2. nisi aliter quam scribit intelligat, idipsum diserte promit, *Cum per id tempus nullum esset inter animalia dissidium, & SERPENS familiariter cum Adamo, ac uxore degeret, inuidebat eis felicitatem venturam, si iussis Dei parere perseuerarent, & ratus in calamitatem casuros si mandata neglexissent, malitiose persuadet mulieri, vt de arbore scientiæ gustaret, asseuerans inesse ei vim dignoscendi boni, ac mali de qua si gustassent beatam, nihiloque deteriorem, quam Deos vitam acturos: atque hoc pacto mulierem subuertit, vt mandatum Dei subuerteret*: D. Cyrillus lib. 3. contra Iulianum, & Procopius, ignorasse mulierem, testantur, sermonem intellectualis creaturæ fuisse proprium, quod etiã Abulensis firmat: Eugubinus *Basiliscum* Euam tentasse autumat: & Magister sent. in 2. dist. 6. Luciferi monitu adortam mulierem credit: at facit ad rem Basilij locus, & vrget præcipue in hom. de parad. *illic animantium varia spectacula: omnia enim sunt mansueta: omnia inter se moribus concordia: AVDIVNTQVE, AC LOQVVNTVR, quæ probe intelligi possunt: non horrendus erat tũc serpens, sed mitis, ac mansuetus: nec horribiliter in terra proreptans, ac veluti inundans SED ALTVS SVPER PEDES GRADIENS*: ad hęc respondet, post Eusebiũ, &

ex neotericis Agellius, & Pierius ex Aristotele, qui l. 4. h. a. c. 9. animalia quædam condocefacta similes humanis voces edere scribit, sed illa efformant vt audiunt, ac intellectu carent, estque proprium hominis intelligibile eloquiũ vti ex Platone, Pythagora, & Anaximandro diximus. addo aduersus Iosephum, & Basilium semper reptasse serpentem, vti docet D. Thomas, & rerum exigit ordo, cecinit etenim Boetius de cons. l. 5. m. vlt.

Quam varijs terras animalia permeant figuris
Namque alia extento sunt corpore pulueremq; verrũt:
Continuumque trahunt vi pectoris incitata sulcum:
Sunt quibus alarum leuitas vaga, verberetque vẽtos,
Et liquido longi spatia atheris enatet volatu:
Hæc pressisse solo vestigia, gressibusque gaudent,
Vel virides campos transmittere, vel subire syluas,
Quæ varijs videas licet omnia discrepare formis,
Prona tamen facies hebetes valet ingrauare sensus.
VNICA GENS hominũ celsum leuat altius cacumen,
Atq; leuis RECTO STAT CORPORE despicitq; terras.

& antea Tullius de natura Deorum, Timæus, Chrysippus, Seneca, pluresque ex gentilibus, vt serpentem excludant à recta hominum forma, scripserunt: nec os pronum ad loquelam aptum iam nouimus.

229 Habent animalia quæque sonum, non vocem. Apuleius l. 3. florid. differentiam humanæ vocis, ac animalium in foro Carthaginiensium vbi se statuæ dignatum honore commendans gratias refert, sic perhibet, *vox hominis, & tuba rudore toruior: & Lyra concentu variatior: & tibia questu delectabilior: & fistula susurru iucundior: & buccina significatu longinquior: mitto dicere multorum animalium immeditatos sonores distinctis proprietatibus admirandos, ut est Taurorum grauis mugitus, Luporum acutus vlulatus, Elephantorum tristis barritus, Equorum hilaris hinnitus, nec non Auium instigati clangores, nec non Leonum indignati fremores, cateraque id genus voces animalium truces, ut liquida, quas infesta rabies, vel propitia voluptas ciant: pro quibus HOMINI VOX DIVINITVS DATA angustior quidem, sed maiorem habet*

utilitatem mentibus, quam auribus delectationem: etiam auctor Carminis de Philomela animantium voces edisserit, & Varro *mugit Bos, Ouis balat, Equi binniunt, Gallina pipat, grunnit lepido lacte satur mola mactatus Porcus*; ad quæ Senecæ Scholiastes, vt rugitum leonis probaret inquit, sed quid prohibet ex alijs etiam alia de bestiarum sono addere, non vbique obuia? AElius Spartianus in Gætæ vita ait, Agni balãt, Porcelli grunniunt, Palumbes minuriunt, Vrsi sæuiunt, Leones rugiunt, Leopardi rictant, Elephanti barriunt, Ranæ coaxant, Equi hinniunt: addo Hirundines fritinnire: Coruos crocitare: Turtures gemere: Lupos vlulare; vt & caninum genus, cui etiam tribuitur *nictare, latrare, gannire, birrire, & ringere*: Asini rudunt: Hirci hirquitalliunt: ganniunt Vulpes: Cygni drensant: Anseres gingriunt: Cameli blatterant: Gallinæ glociunt, & glocidant: Miluij iugerunt: Grues gruunt: minutæ Aues minuriunt, vt Festus docet.

230 Sed Lactantius de ira Dei c. 7. quem D. Hieronymus commendat sapienter hanc distinctionem perhibet, dicens, *Nullus philosophus asseruit vnquam nihil inter hominem, & pecudem interesse: nec omnino quisquam modo, qui sapiens videri vellet rationale animal cum mutis, & irrationalibus coequauerit: quod faciunt quidam imperiti, atque ipsis pecudibus similes: qui cum ventri, ac voluptati se velint tradere, aiunt eadem ratione se natos, qua vniuersa, quæ spirant: quod dici ab homine nefas est, quis enim tam indoctus est vt nesciat, quis tam imprudens, ut non sentiat aliquid inesse in homine diuini? non dum uenio ad uirtutes animi, & ingenij, quibus homini cum Deo manifesta cognatio est; nonne ipsius corporis status, & oris figura declarat non esse nos cum mutis pecudibus æquales? illarum natura in humum pabulumque prostrata est, nec habet quidquam commune cum cælo, quod non intuetur, homo autem recto statu, ORE SVBLIMI ad contemplationem mundi excitatus confert cum Deo uultum, & ratione ratio cognoscit; propterea nullum est animal, (ut ait Cicero) præter hobimem quod habeat aliquam notitiã Dei, solus enim sapientia instructus est, ut religionem solus*

lus intelligat. & hæc est hominis, atque mutorum uel præcipua, vel sola distantia: nam cętera, quæ videntur hominis esse propria, & si non sint talia in mutis, tamen similia videri possint: PROPRIVS HOMINI SERMO EST; tamen, & in illis quædam similitudo sermonis, nam & dignoscunt inuicem se vocibus, & cum irascuntur edunt sonum iurgio similem, & cum se ex interuallo videāt gratulandi officium voce declarant, nobis quidem voces eorum videntur incondita, sicut illis fortasse nostra: sed ipsis qui se intelligunt, verba sunt: denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis ostendant: hæc ille: ex Seneca de ira, ac Clemente Alexandrino.

231 Itaque vel similem hominis exprimunt vocem animantes, vel portento loquuntur, idque non à seipsis, quia organum impar ad loquelam est, sed dæmone, vel angelo vocis sonum exprimente: vt vocem imitantur diximus ex Plinio paulo ante c. 1. Aues vero, vt Coruus, ac Psittacus in triuijs garriunt: at si portentum attendimus, adest Oppianus, qui lib. 1. Gynec. de equo occinit,

Quippe equis egregie natura largita est solers
Hominum audaciam, & in pectoribus docilem animū:
Semper agnoscunt suum charum equisonem,
Et hinniunt conspicati illustrem ducem,
Et qui bello ceciderunt multum gemunt socium:
Equus in pugna FREGIT olim VINCVLA SILENTII,
Et naturæ leges superauit. & accepit VOCEM HVMANAM, ET LINGVAM SIMILEM HOMINIBVS.
Equus vero Martius Macedonis Regis
Bucephalus armis contra dimicabat.

hæc ille Pindarum secutus, & Nicandrum, equorum enarrauit præstantiam: historiam Equi Achillis edidit, qui teste Q. Smyrnæo l. 3. herum occumbentem luxit: itemque Equorum Patrocli ab Hectore interfecti in Iliade: similia enarrantur de Equo Nicomedis Regis, qui inedia vitam finiuit, qua in re videndus Plinius l. 8.c.24.& Virg. Æn.11. transit ad Xanthum Achillis equum beneficio Palladis humana

mana voce loquentem, vti Scholiastes animaduertit, præoccinitque Homerus in Iliade: Plinius lib. 8. c. 41. inquit, *Canem LOCVTVM in prodigijs (quod equidem annotauerim) accepimus, & SERPENTEM LATRASSE, cum pulsus est regno Tarquinius*: vide insuper apud Theocritum, Taurum cum Europa colloquenté, & plura Valerius.

232 At dicent nonnulli, vox vtcumque sit supponit intelligentiam, non enim loquitur nisi intelligens: adde ex Plutarcho de anim. soler. animantes cognitionem habere, & sensum, quod Timæus, Anaximander, Callisthenes, & Oppianus docent; quo supposito Straton physicus scripsit, sensum absque mente esse non posse, quia (teste Hippocrate apud Vallesium de sac. phil.) videtur mens non posse separari à sensu: imo Iob Gallo intelligentiam tribuit, *Quis posuit in visceribus hominum sapientiam, vel quis dedit Gallo intelligentiam*? Iob c. 38. expendunt hunc locum Plinij verba c. 21. 10. vbi de Gallis scribit, *proximè gloriam sentiunt, & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno natura genuit, norunt SYDERA, & ternas distingunt horas interdiu cantu: cum sole eunt cubitum, quartaque castrensi uigilia ad curas, laboresque reuocant, nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nũtiant cantu: ipsum vero cantum plausu laterum: imperitant suo generi, & regnum in quacunque sunt domo exercent: dimicatione patitur hoc quoque inter ipsos, velut ideo agnata tela cruribus suis intelligentes, nec finis sape commorientibus, quod si palma contigit, statim in victoria canunt, seque ipsi principes testantur, victus occultatur silens, egreque seruitium patitur*: sic Thargum, R. Moses, R. Abraham Esra, R. Simeon, & alij intelligunt descripsisse *Gallum artificiosum, intelligentem, industrium*; quia R. Mose ex Thargum auctore, *media nocte surgere docet homines ad laudandum Deum*; igitur animalia haud absque intelligentia ponunt, imo & ratione prædita: Quibus respondendum, sensum à mente differre, nam vere anima corporis soluta compede mentem gerit, nequaquam sensum: sensus insuper rationalium æternitatem respicit,

ob

ob quam Dei cultum, religionem, virtuteſque proſequitur, ſic Dei cognitio innata nobiſcum cenſetur; animalium vero irrationalium ſenſum ad præſens procliuem, neque futura curare compertum eſt: enim vero rationalis creatura immortalitate nitens, ad ea quæ æternum ſpectant dirigitur, quod in brutis non videtur.

233 Loquuntur etiam animalia ob veneficia, ſic Plutarchus in libello, quem Gryllum inſcripſit, Vlyſſem introducit ad Circen dicentem, *quomodo cum his colloquar, quomodo reſpondeant dum Aſini, Sues, ac Leones ſunt? cui Circes, ego tibi eos prebebo, & intelligentes, & diſſerentes, aut potius hoc vnum ſufficiat audire voces, & reddere loco omnium, en tibi vnum, habes cum quo diſputes.* poculi veneficio id factum cenſet Heraclides, & Euſtathius, qui Homerum expendit; at apud Lucianum, & Apuleium homo in Aſinum conuerſus non loquitur, vnde colligas, ex Philoſtrato lib. 7. Apollonium Tyaneum magum brutorum voces audiuiſſe, imo iuxta Iamblichum, Pythagoram cum Vrſa, Tauro, & Aquila ſermones contuliſſe, ijſdem ope dœmonum reſpondentibus, iſtos, adinſtar Circis, homines alligaſſe, illos tantummodo curuatos deſipuiſſe: ſic legimus, apud Glycam, Canem Simonis Magi humana præditum voce, & Melampum cum belluis ſermonem habuiſſe fabulantur quamplures. adde Bouem apud Arnobium l. 7. dicentem, *Rationales homines ſunt, & articulatas exprimunt voces; & vnde illis notum eſt, an & ego quod facio meis rationibus faciam, & vox iſta, quampromo mei generis verba ſint, & ſolis intelligantur à nobis:* ſed hæc ficta ſunt.

234 De Pſittaco ſcribit Victorius; & Perſius ait,

Quis expediuit Pſittaco ſuum χαῖρε?
Picaſque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingenique largitor
Venter negatas artifex ſequi voces.

alij ſpeculis, alij obſcuritate, inedia alij aues docent, ſicque ait Arnobius l. 2. *diſcit verba Pſittacus integra, & nomina prorſus exprimere*: at examinemus eius ora; Iconem propono, vt ab ore incipiam:

Os



Os inquit Lactantius, & antea Plinius, multum confert ad vocis sonum, imo & dentes, vnde Volaterranus in philologia ait, *os in primis munitur labris, & dentibus, hinc Labeones, & Dentati, qui cum his nascuntur, vt Curio dentato contingit, dati sunt homini à natura, vt tradit Aristoteles, cibi sermonisque gratia: quibusdam vero animalibus pro armis, vt quae serratos habent, & exertos: homini commode instituti, primi acuti vt secent: maxillares lati,*

lati, vt molant: medij vero, qui vocantur canini, qui amborum naturam seruent: infanti circa VII. mensem nascuntur tres, quo tempore inflammantur gingiuæ, quas oportet digito iugiter tenuare: hæc Aristoteles; at Lactantius de opif. Dei c. 15. rem omnem absoluit, *Grammatici quidem, ac philosophi vocem definiunt, aerem spiritu uerberatum, vnde verba sunt nuncupata, quod perspicue falsum est, non enim vox extra os gignitur, sed intra, & ideo verosimilior est illa sententia, stipatum spiritum cum obstantia faucium fuerit illi, sonum vocis exprimere, veluti cum in patentem cicutam, labroque subiectum dimittimus spiritum, & is cicutæ concauo repercussus, ac reuolutus à fundo dum descendentem occursu suo redidit ad exitum nitens sonum gignit, & in vocalem spiritum resiliens per se ventus animatur*. hæc ille ex Tullio, qui de natura Deorum lib. 2. ait, *incredibile est nisi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. primum enim à pulmonibus arteria vsque ad os intimum pertinet: per quam VOX principium à mente ducens percipitur, & funditur; deinde in ore sita lingua est finita dentibus: ea vocem immoderate profusam fingit, & terminat: sonosque vocis distinctos, & pressos efficit, cum & ad dentes & ad alias partes pellit oris: itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, cordarum, denteis, nareis, cornibus ijs qui ad neruos resonent in cantibus*: ex quo quisque potest colligere, an vere aues possent loqui, dum organo loquelæ indigent: nec modo exhibeo mentis vsum, de quo Quintilianus, ex Anaxagora, & Tullius ibidem ex Aristotele, & Plato apud Plutarchum scribunt.

235 Dicendum ergo imitationem humanæ vocis nonnulla ex animalibus affectare, sed haud intelligere, sic & ipsa aliquid voce sua exprimere, quæ internorũ sint indicia, quod Lucretius lib. 5. occinit,

Postremo quid in hac mirabile tantopere 'st re,
Si genus humanum, cui VOX, & LINGVA uigeret,
Pro uario sensu uarias res uoce notaret,
Cum pecudes mutæ, cum denique secla ferarum
Dissimileis solent uoces, uariasque ciere:

Cu

Cum metus aut dolor est, & cum iam gaudia gliscũt?
Quippe etenim id licet è rebus cognoscere apertis.
Inritata canum cum primum magna Molossûm
Mollia ricta fremunt duros nudantia denteis:
Longe alio sonitu rabie districta minantur,
Et cum iam latrant, & uocibus omnia complent,
At catulos blande cum lingua lambere tentant,
At ubi eos iactant pedibus, morsuque petentes
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus:
Longe alio pacto gannitu uocis adulant,
Et cum deserti baubantur in ædibus, aut cum
Plorantes fugiunt summisso corpore plagas.

ad hæc Scholiastes inquit, *quid mirum est homines, quibus natura præcipue uocem, & linguam dedit potuisse suo cuiusque arbitratu, ac pro suo cuiusque sensu, qui est uarius, & multiplex singulas res notare, cum muta animalia suos affectus, qui sunt admodum pauci dissimilibus tamen uocibus notare possint, ac soleant? nam animantes rationis expertes dolorem dumtaxat, & uoluptatem, & cæteros affectus, qui his duobus subijciuntur, uoce inarticulata, quidem illa, sed tamen dissimili significant.* at pergit Lucretius, & alia profert exempla,

Denique non hinnitus item differre uidetur,
Inter equas ubi equus florenti ætate iuuencus
Pennigeri sæuit calcaribus ictus amoris,
Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma?
Et cum sis aliâs concussis artubus hinnit?
Postremo genus alituum, uariæque uolucres,
Accipitres, atque ossifragæ, mergique marinis
Fluctibus in salsis uictum, uitamque petentes,
Longe aliàs alio iaciunt in tempore VOCES,
Et cum de uictu certant, prędaque repugnant,
Et partim mutant cum tempestatibus una
Raucisonos cantus: cornicum ut secla uetusta,
Coruorumque greges, ubi aquam dicuntur, & imbreis
Poscere, & interdum uentos, aurasque uocare:
Ergo si uarij sensus animalia cogunt
Muta tamen cum sint, uarias emittere uoces.

Gg *Quan-*

Quanto mortaleis magis aequum'st tum potuisse
Dissimileis alia, atque alia res uoce notare?

sic Aues mutant voces cum de victu, vel prole certant, simulque cum tempora mutantur: de Cornice plura Tullius de diuin.

236 At dices, prognostica habentur iuxta animantiũ sensa, igitur intelligunt: imo dum voces edunt, non casu, sed aliquid altum sentientes vociferantur: nec mirum inquit Porphyrius, si illorum oracula haud interpretantur, dum neque Indorum voces percipimus: loquuntur, teste Oppiano, Elephantes inter se: loquuntur, & passeres, si Philostrato fides: Camerarius scribit, Ciconias ad colloquium conuenisse, simulque Anseres; de Formicis asserit Cleanthes: de Grue Ibici facinus cui non compertum? Virgilius Georg. 1.

Tum Cornix plena pluuiam uocat improba uoce.

Auienus *de Ardea*, Aratus *de Herodio*, Tullius ex Ennio *de Fulica*,

Cana Fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
Nuncia horribiles CLAMANS instare procellas:

Varro in Sesqui Vlysse, *lugere uolitans uisus Miluus aquã è nubibus tortam indicat fore*; Plinius, *coruique singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuabunt, uentos, si uero carpsim uocem resorbebunt uentosum imbrem*: Virgilius in Georgica,

Cum medio celeres reuolant ex aequore mergi,
Clamoremque ferunt ad littora:

plura Theophrastus de signis, ex quo Aratus in phaen. Tullius de diuinatione, Plinius, & alij.

237 Sed hanc augurandi peritiam Carneades, & Panaetius reprehendentes vanitatem eius edixerunt, quam licet antiquitate commendatam laudarunt veteres, vtpote ex Asia, in qua, auctore Zoroastro, nata fuerat, in Graeciam ab Hostane quodam importatam nouimus, illustratam denique à Democrito, vti Sirenus docet, quam ex disciplina Apollonicae, Captidenis, & Dardani Phoenicum integris voluminibus explicauit; Plinius l. 7. c. 56. auguria ex Auibus à *Car*, à quo Caria dicta recenset; ex caeteris ani-

animalibus ab Orpheo: auſpicia Auium à Tireſia Thebano: at non ſolum à D. Cypriano de idol. van. irridetur, ſed etiã ab Ariſtotele, cæteriſque ſapientibus, licet Plato in Phœdro illam velut antiquam, & ex humanæ intelligentiæ cõiecturis exhibeat; & Tullius l. 1. de diu. Stoicos illam defendere ſcribat, nos cum D. Auguſtino l. 2. de doct. chriſt. c. 24. aſſerimus, *Ritus augurum ſocietatem dæmonum cum hominibus manifeſtiſſime oſtendere*: etenim animalia cum ratione careãt non mouentur à ſeipſis iuxta exigẽtiam rerum quæ præmonſtrent, ſed vel naturæ ductu, & arcano, vti albeſcit luna, & iris curuatur, ad quod non indigent prænotione, natura ad opus vrgente: ergo pronoſtica ſunt ex natura rerum euentus optime præſignante, vt homo propter quem facta ſunt omnia ad opus ſuum ſe dirigeret: hinc Chriſtus ad Apoſtolos dixit *Reſpicite ficulneam*, ſcilicet Baſilio, Origine, Chryſoſtomo, ac Cyrillo auctore, vt ex arboris folijs æſtatem agnoſcerent proximam, etiam Hirundines id denotant, ſed neque hirundinem, neque ficulneam à ſemetipſa, ſed naturæ opportunitate præſignaſſe æſtatem confitemur.

238 Sit pro coronide, nequaquam Apollonium, Pythagoram, Tireſiam, Melampum cæteroſque his impijſſimis ſimiles animalium ſermonem auſcultaſſe, etenim ſermonem ſolis hominibus competere teſtantur omnes, præcipue Tullius, qui apprime in l. de nat. Deorum inquit, *domina rerum eloquendi vis, quam eſt præclara, quamque diuina? quæ primum efficit, vt ea quæ ignoramus diſcere, & ea quæ ſcimus alios docere poſſumus, deinde hac cohortamur, hac perſuademus, hac conſolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac gentienteis comprimimus hac cupiditates, iracundiaſque reſtringuimus: hac nos iuris legum, vrbium, ſocietate deuinxit, hac à vita immani efferа ſecregauit*, & ſequitur vocis modulos referare.

DE ESV CARNIVM, ET AN FVIT A MVNDI *origine*.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

239 
Acrarum litterarum arcana quædam sunt, quæ hominum intelligentiam superant, præcipue cum oraculorum sensum supra mentis facultatem exquirimus: similis est quæstio *de esu carnium*, in qua tempus, & oracula pugnant. etenim post orbis eluuiem, Deus omnium parens, homines benedixit, adiecitque *omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia: excepto quod carnem cum sanguine non comedetis*. quo ex contextu diuersimode expositores perhibent vsum carniũ in cibis, præcipue aiunt Chrysostomum, & Theodoretum docuisse, licitum antea diluuium carnibus vesci; sed vterque a Glossa profertur, simulque & loca, vnde error aliquorũ expositorũ patet, etenim Chrysostomus hom. 27. inquit, *hic est initium edendarum carnium, non vt nos ad ventris ingluuiem paret, & instruat, sed quia ex ipsis erat Noè sacrificaturus, & gratias acturus*; & Theodoretus q. 55. *Deus post diluuiũ carnium edendarum legem statuit, vt morbum morbo expelleret, & minori maius sanaret; præuidens enim Deus talia in Deorum numero, atque honore habenda eorum escam concedit, vt impietatem è medio tollat: extremæ enim dementiæ est adorare quod comedas*; adde D. Thomam 1. 2. q. 102. a. 6. & alios quos infra dabo.

240 Sed vt à gentilibus incipiam, frugibus primum homines, deinde carne, ac lacte pastoritiam exercentes, ac venationem vesci solitos tradit Varro l. 2. de re rust. *cum viuerent homines ex his rebus, quæ inuiolata vltro ferret terra, ex hac vita in secundam descendisse pastoritiam è feris, atque agrestibus, vt ex arboribus, ac virgultis decer-*

carpendo glandem, arbutum, mora, pomaque colligerent ad vsum: sic ex animalibus cum propter eandem vtilitatē, quæ possent syluestria deprehenderent, ac concluderent, & mansuescerent: in quis primum non sine causa putant OVES assumptas, propter vtilitatem, & propter placiditatem: maxime enim hæc natura quieta, & aptissima ad vitam hominum: ad cibum enim lacte, & caseum adhibitum, ad corpus vestitum, & pelles attulerunt: hæc ille ex Dicæarcho, cui adde Diodorum Siculum l. 1. bibl. qui ex Euripide inquit, *homines à principio genitos dicunt in agris, pastum quærentes syluestri, & incondita vita vixisse, quibus HERBAE, ET ARBORVM FRVCTVS vltro victum præberent: sic primi homines nullo subsidio fulti duram agebant vitam: erant enim nudi nullo, neque ædium neque ignis adinuento vsu, cibo in diem quæsito cum ignorarent agrestes fructus in vsum futurum condere, & seruare ad egestatem, quo fiebat vt hyeme plures, aut fame, aut frigore interirent: experimento deinde edoctos, & speluncas aiunt quæsisse ad euitandam frigoris vim, & FRVCTVS seruare cœpisse.*

241 Vitam hanc miserrimam Empedocles carminibus expressit, ac Ephorus plurimis voluminibus descripsit; nihilominus alij hanc auream dixerunt ætatem, de qua Ouidius l. 1. metam.

Mollia secura peragebant otia gentes:
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

idem libr. 3. Amor. eleg. 7.

At meliora dabat curuo sine vomere fruges,
Pomaque, & in quercus mella reperta cauo:
Nec valido quisquam terram scindebat aratro
Signabat nullo limite fossor humum.

Isidorus lib. 17. etym. *Ilex ab electione dicta est, huius enim arboris fructum homines primum ad victum sibi elegerunt, vnde Poeta,* *Mor-*

Mortales primi ructabant gutture glandem.
Plato vbi de Regno, Saturni recenset tempora, Homerum secutus inquit, *Tunc sane totius princeps, curatorque primum Deus extitit, vt nunc per varias mundi plagas singula ipsius partes à Dijs principibus constituta sunt: ANIMALIVM, quoque genera gregatim distincta dæmones quidam tanquam diuini pastores sortiti sunt, quorum quisque ad munus suum obeundum sufficiens cum esset singuli singulis, sicut ille voluit præficiebantur, quibus praerat ipse: fructus uero illi, & POMA & FRVGES abunde arbores, & fertile solum sponte sua absque agricultura opera suggerebant.* hinc festiue Boetius l. 2. consl. phil. metr. 5. canit,

Felix nimirum prior ætas
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande:
Bacchica munera nec norat
Liquido confundere melle:
Vtinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos;

sic Arnobius aduers. gentes l. 2. inclamat. *inuentis frugibus glandes spreuerunt, & repudiarunt Arbuta.* Ouid. lib. 15. met.

At vetus illa ætas cui fecimus aurea nomen
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis,
Fortunata fuit, NEC POLLVIT ORA CRVORE:
Tunc, & aues tutæ mouere per aera pennas,
Et Lepus impauidus medijs errauit in aruis,
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo,
Cuncta sine insidijs, nullamque timentia fraudem.

hæc ille ex Pythagora; & Porphyrius de carnium abstinentia, ac alter Apollonius, siue Carystius, siue Lydius inquit, *primum terra fruges, & poma, absque hominum cultu redebat; omnesque ijs sponte nascentibus vescebantur procul à iurgijs nec animalium, nec hominum cædes humum cruentabat;* & ex Epicuro Lucretius lib. 2. post-

quam animalia à terris initio edita, neque per funem aureaum (quam Homerus fingit apud Macrobium lib. 1. in somn. scip.) cœlo demissa, occinit,

Genuit terra eadem, quæ nunc alit ex se:
Præterea nitidas fruges, vinetaque læta
Sponte sua primum mortalibus ipsa creauit:
Ipsa dedit dulceis fætus, & pabula læta:
Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore,
Conterimusque boues, & vireis agricolarum.

242 Nihilominus ab ipso mundi exortu, post Adæ lapsum cœpisse carnium esum, facile demonstrare possumus; etenim ab ipsis gentium scriptoribus rem primum petendam arbitror, deinde ex sacrarum paginarum oraculis; sic Fabius Pictor lib. 2. siue de aureo sæculo nomen tradit, & gesta, *Aurea ætas primo ortu generis humani fuit sic dicta quod posterioribus sæculis comparata æque, atque aurum inter metalla effulxit; eam cœpisse sub Ogyge ante Ninum annis circiter ducentis, & quinquaginta, Xenophon, atque maiores prodiderunt: Is Ianus sub initium aurei sæculi læuum latus Tiberis Hetruria tenuit, Camæses vero, ac Saturnus circa finem eiusdem ætatis dextrum incolerunt: ea ætate nulla erat Monarchia, quia mortalium pectoribus non dum hæserat vlla regnandi cupiditas. victum sponte nascentia præbebant, aut in diem victus quærebatur VENATV.* hæc ille, ex quo animaduerto, venatum dupplici ex causa cœpisse, vt belluas infestantes conficerent easque cicuratas, vt ait Varro, sibi subijcerēt ad vitæ commodum: etenim, Strabone auctore, feras prouincias, easque eximias deuastasse compertum est. sicque illas venabantur, vt carnibus earum vescerentur, & pelles ad operimentum haberent: sic de illo primo hominum sæculo Diodorus l. 1. bibl. c. 1. scribit, *belluas bis fuisse infestas, quibus vt obsisterent cætus hominum factos, aiunt, communis vtilitatis gratia*: idque consonat contextui Genes. c. 4. 17. *Egressus Cain à facie Domini, ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Henoch*: hæc prima ciuitas ob multiplicatum hominum genus, inquit D. Augustinus l. 15. c. D. c. 8. fuitque,

que, si Iosepho fides, anno quincentesimo Cain; & quia Catharin. putat primos illos homines è paradiso eiectos venisse iudæam, credit Abelem sacrificasse eo in loco vbi postea fuit Hierusalem, & Cain ex iudæa egressum alio profectũ fuisse: sed an vere ambigo: Aristoteles dicit l. 1. pol. hominem velut animal politicum, & sociabile societatem ob id petijsse, vrbemq; ædificasse, nihilominus Plato in Protagora, aduersus ferarum incursum vrbium munimine coaluisse tradit: Lyranus addit, *Ædificauit ciuitatem ad sui defensionem, quia semper erat in timore, & tremore positus:* ne scilicet, iuxta in eum dira, interficeretur: Rupertus homicidij causam recenset apud Glossam, sicut de Roma Lucanus,

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

at si, locum iuxta Eden fuisse credis, Lyranus inquit, *per Eden intelligitur paradisus terrestris: in pœnam enim Cain factum est, vt expelleretur versus illam regionem delectabilem, & felicem, quam per peccatum patris amiserat, vt inde haberet materiam doloris, quia illuc accedere non valebat.*

243. Hinc optime Caietanus obseruat illa verba, *Abel fuit pastor ouium*, & confirmat quod diximus, *quia nisi agni tunc fuissent hominibus ad esum, nulla fuisset laus Abel ex eo quod primogenitos pingues elegisset ad diuinum sacrificium: perinde enim fuisset Abeli pingues, atque macilentos sacrificare, si non propter VSVM CARNIVM, sed propter solum pellium vsum gregem pascebat*: & ad illa verba, *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, inquit, *Pastorale officium Abelis testatur gregem ouium humanis vsibus seruisse non solum prabendo lanam, & agnos, sed lac, & caseum: nec obstat diuinam scripturam differre indulgentiam vescendi carnibus post diluuium: quoniam non indulgentia, sed necessitatis explicatio fuit illa: ante peccatum enim explicata est materia necessaria humani cibi in vegetabilibus: post peccatum autem in animalibus. vnde ibi dicitur animalia data esse homini post diluuium, sicut antea data fuerant ei olera virentia; cum quibus stat, quod medio tempore, scilicet post peccatum, & ante*

di-

diluuium, homines naturali iure vsi fuerint vescendi carnibus animalium.

244 Firmat hanc assertionem Berosi oraculum, dum tradit humanis tunc ante diluuium carnibus vesci solitos fuisse homines: & Berosi locum ex lib. antiq. auoco, *scribunt illis temporibus circa Libanum fuisse Oenon Vrbem maximam gigantum, qui vniuerso orbi dominabantur ab occasu solis ad ortum, hi vastitate corporis ac robore confisi inuentis armis omnes opprimebant, libininique inseruientes inuenerunt papiliones, & instrumenta musica, & omnes delicias, MANDVCABANT HOMINES, & procurabant aborsus, in eduliumque præparabant, & cōmiscebantur matribus, filiabus, sororibus, masculis, & brutis, & nihil erat sceleris, quod non admitterent contemptores religionis & Deorum*: hæc eadem verba alij referunt ex ipsis gentilibus, vnde licet omnino assere, quod si carnes hominum comedebant, proculdubio ferarum vescebantur carnibus, ideo qui tenent licitum fuisse esum carnium, vti D. Thomas, Chrysostomus, & Theodoretus, distinctionem adijciūt, (vt videre est apud Pieriū in Genes.) filios Seth vtpote iustos ab illis se abstinuisse ob perfectionem vitæ, cęteros vero comedisse indifferenter carnes testantur. sed an recte Pierius intelligat, ambigo.

245 Restat itaque, vsum carnium à mundi exordio fuisse, quod ex Procopio in Gen. signo, *Satis manifestum est Abelem manducasse carnes, cum ouium sacrificijs placaret Dominum: nequaquam eas hostias obtulisset Domino, si earum vsum, vt vetitum esset abominatus;* & in sacris hebræorum ceremonijs, sacerdotes vesci ex immolatis permissum fuit: quod etiam gentiles dœmonum monitu fecisse Tertullianus, imo, & Ioannes in Apocalyp. demonstrant. grande erat erga Deum illud litandi obsequium, hinc epulæ apud Plutarchum in Theseo: & hinc carmina, & cantus penes Macrobium in Scip. somn. hinc principua vota si Dionysio fides, quod Hadriani numus, simulque Domitiani in ludis sæcularibus promunt.









246 Tandem quiſque interrogabit, cibum animalium carniuororum, ex herbis, frugibuſque, an ex carnibus vt plurimũ fuiſſe? negant, qui bina à Deo animantia, ac ſeptena creata credunt cum Iuſtino, ac Theodoreto: qui verò multitudinem in illis recenſent; affirmant: Virgilius l. 1. Georg. negatiuam cauſam ſuſtinet,

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni,
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipſaque tellus
Omnia liberius nullo poſcente, ferebat:
Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,

PRAE-

PRAEDARIQ; LVPOS IVSSIT, pontumq; moueri,
Mella decussit folijs, ignemque remouit,
Et passim viuis currentia uina repressit,
Et uarios usus meditando extunderet artes,
Paulatim, & sulcis frumenti quaereret herbam
Et silicis uenis abstrusum excuderet IGNEM.

hæc ille ex Hesiod. l. 1. & Arato in Phœnom expressitque Tibullus l. 1. el. 3. hinc est quod Plato de Regno, *illos primos homines epulis affatim, poculisque exaturatos* describit, sed ignorat quod canit, etenim dum de vino loquitur, post diluuij recenset tempora, sicque non officit, deinde quod occinit, ex tunc lupos venationem aggressos vorasse carnes. nam neque ignis vsum ætati tribuit illæ, Lucretium secutus, (qui non à silice ortum, sed fulmine originem referat) cum ijs fere temporibus ignem scriptura denotet; sicque in multis peccasse patet, præcipue quia post Adæ facinus in sudore vultus terram fruges edidisse compertum est.

247 Dicendum igitur cum D. Thoma 1. p. q. 91. a. 1. ad 2. *quod animalia, quæ nunc sunt ferocia, & occidunt alia animalia, in statu illo irrationabiliter est dicere, quod fuissent mansueta: nam per peccatum hominis natura animalium non est immutata, ut quibus nunc naturale est comedere aliorum animalium carnes, tunc uixissent de herbis, sicut Leones, & Falcones: nam Glos. Beda dicit Gen. 1. quod ligna, & herba non data sunt omnibus animalibus, & auibus in cibum, sed quibusdam: fuisset ergo naturalis discordia inter quædam animalia, nec tamen propter hoc subtraherentur dominio hominis, sicut nec nūc propter hoc subtrahuntur dominio Dei, cuius prouidentia hoc totum dispensatur: et huius prouidentiæ homo executor fuisset, ut etiam nunc apparet in animalibus domesticis, ministrantur enim Falconibus domesticis per homines gallinæ in cibum*; hæc ille, & Plato de Regno, hoc innuit, dicens, *Deum tunc curatorem, ac pastorem* fuisse, scilicet eius prouidentia homines, & animalia vixisse iuxta exigentiam illius felicissimæ ætatis; ceterum quia ex Basilio, & Ambrosio, iuxta magnitudinem Dei creationis opus consite-

fitemur maximum, asserimus in illo multiplici animalium genere vnum quodque suum habuisse cibum, non enim per Adæ lapsum collapsa est ipsorum prima virtus, neque animalia aliquid, perdiderunt, vel acquisiuerunt, imo sunt, sicut antea; et quę nunc carnibus vescuntur, eandem habuisse appetētiā, aduersus Plutarchū de esu car. arbitramur.

DE VENATIONIS ORIGINE, ET VSV PELLIVM.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

248 Emporum antiquitate Ægyptios philosophantium suorum plausisse monumenta compertum est, simulque Platonem rerum origines ab ęuo recensuisse velut prętantissimas, cuncti norunt: sic vetustissimam olim venationem exhibere fert animus, vt ab eius fere incunabilis ipsam commendemus: ab orbis exordio venationem cœpisse sacrę scripturarum paginę testantur; hinc Diodorus Siculus l. 1. bibl. c. 1. homines primum conuenisse ob venatum, ferarumque expulsionem scribit: & Dicęarchus apud Varronem innuit: Porphyrius de sacrificijs inquit, *primi, qui animalibus uesci cœperunt, penuria frugum animalia inuaserūt, prius enim terræ fructibus uescebantur*; & antea Virgilius l. 1. Georg.

Prima Ceres ferro mortales uertere terram
Instituit, cum iam glandes, atque Arbuta sacræ
Deficerent syluæ, et uictum Dodona negaret.

post hunc Autobulus vir studio sapientię pręditus ad Soclarem Phisiologum venationis originem prodit apud Plutarchum de anim. solert. dicens, *Qui primus interfecit Vrsum aut Lupum laudem inuenit; deinde Bos, aut Sus, quod proposita sibi sacra gustasset caussam suæ necis præbuit. Hinc iam Cerui, Lepores, Capreæ esui haberi cœperunt, feceruntque ut oues etiam, et Canes adeo alicubi, equique comederentur*; sensus est, olim cum glande vescerren-

rentur homines, animalium pelles aduersus frigora curabant: quibus interfectis cum carnes semel gustassent omne venationis facinus adorti sunt, at Bouem primum mactasse Adamum Genebrardus in chronol. refert.

249 Tempora si spectes, à Moyse petenda restat origo, enimuero si Tatiano Assyrio fides, & Eusebio, imo Philoni, ac Iosepho Hebręorum doctissimis, non Homero, modo, vt ipsi docent, Moyses est antiquior, verum etiam omnibus, qui ante eum apud græcos aliquid scripserunt, Lino, scilicet, Philammone, Thamyride, Amphione, Orpheo, Musęo, Demodoco Phœmio, Sibylla, Epimenidi Cretensi, qui Spartam adiuit, Aristę Proconesio, qui Arimaspia scripsit, Asbolo Centauro, & Isatide, & Drymone, & Eueclo Cyprio, & Horo Samio, & Protęnida Atheniense, qui fere omnes de Heroum gestis cecinerunt, inter quę venationis plausum præcecinisse erudito, vel leuiter, lectori patet: præmittendum nihilominus est id quod Arnobius l. 1. adu. gent. inquit, *ante millia annorum decem ab Insula qua perhibetur Atlantica Neptuni* (*sicut Plato demonstrat*) *magna erupit vis hominum, ut innumeras funditus deleret, atque extingueret nationes*. hæc ex Tertulliano: & temporum si antiquitatem pendis, ante Mosem certamina recensebis, in quibus venatorum classes suos extollisse manipulos conspicuum est. enimuero si apud Homerum quamplures venatores efferuntur in Iliade: Suida teste, *Corinnus Iliensis Poeta ante Homerum, primus Iliadem scripsit. Traiano bello adhuc durante*: Palamedem etiam bellum illud scripsisse testatur: sicut Aelianus l. 11. c. 2. inquit, *Orabantij Trazenij poemata ante Homerum extiterunt, et Melisander Milesius Lapitharum, et Centaurorum pugnam literis prodidit*: de Phantasia Memphite Hephestio Ptolomæus, de Daphne Tiresiæ filia Diodorus Siculus l. 4. de Sisypho Coo Tzetzes Chil. 5. de Dicty Cretense, qui cum Idomenæo militauit Isaacius Porphirogineta in caracteribus Græcorum, & Troianorum, pluresque alios legimus tempore longe antiquiores Homero, ex quorum messe vindemiam suam Iliadis deprompsit, vtpote ex his qui bello interfuerunt, & sicut Tullius in

quæst.

quæst. Tuscul. de Homero inquit, *quæ Regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formæ, quæ pugna, qui motus hominum, qui FERARVM, non ita expinctus est, ut quæ ipse non uiderit, non ut uideremus effecerit?* hæc ille Ephorum, ac Herodotum illudens, qui de cœcitate Homeri dixerunt.

250 Nihilominus semper à Mosis historia venatorum originem ducendam arbitror, namque licet Palamedem, cæterosque tesseras duxisse apud Troiam scribatur; certum est principes Græciæ in Aulide conuenisse post raptum Helenæ an. orb. 2757. Agamemnonis Mycenarum Regis an. 5. quo Menelaus eius frater, qui Tyndari Spartanorum Regis filiam Helenam duxerat, defuncto socero in Regno successerat; ante C. n. 1191. fuitque Agonis Olympici, quem Hercules annis 425. ante primam Olympiadem instituerat in honorem Pelopis an. 10. sed Mosis ortum nouerunt, qui sapiunt, an. mundi 2371. ante C. n. 1577. Phorba Argiuorum, & Mamylo Assyriorum Regibus, & sic nulla temporum comparatio instat: imo Moses historiam suam ab orbe condito collimauit, vt ex tunc venatores fuisse ostendamus. Genes. c. 10. v. 9. *Chus genuit Nemrod ipse cepit esse potens in terra, et erat ROBVSTVS VENATOR coram Domino, ab hoc exiuit prouerbium, quasi robustus Venator coram Domino*; ne crederet posterior ætas hunc venatorem, fuisse de triuijs subiungit, *fuit principium regni eius Babylon, et Arach, et Achad, et Chalanne in terra Sennaar*: hic explicite primus Venator recensetur, cuius gesta *p. 2. lib.* 1. luculenter dabo; at nonnulli venatoris nomen diuersimode expendunt, præcipue, qui litteræ sensum velut Helicen non recipiunt, sicut Alcuinus, & Hugo à S. Victore, qui allegoricum D. Hieronymi, & Augustini secuti sensum, contumacem virum, violentum, ac tyrannum exhibent, ea venatione deditum, qua homines per insidias capi solent, vti ex Aristotele dicemus; sed Abenezra, & Vatablus *de Venatione ferarum* exponunt, *Venatoremque* perhibent; & etiam Caietanus aduersus Abulensem, hunc Venatorem promit; quod probare ausim, quia LXX. illud, *cepit esse potens in terra*, vertunt, *iste*

erat

erat gigas, ac virium robore ferarum audaciam, velut Hercules, funditus delere valebat; quo tandem praeditus Babylonem, caeterasque prouincias vicit, & imperauit; cepit Regnum Venatoris huius an. orb. cond. 1718. ante Chr. nat. 2230. post diluuium an. 62. stetitque vsque ad Alexandrum teste Callisthene philosopho ad Aristotelem de rebus Chaldeor. scribente ann. 1903. post Imperij culmen scelera admisit, & suum Belum, (si Beroso Annijano exhibenda fides) Iouem fecit, nepotem Ninum Saturnum dixit. sicque Hieronymus, & Cyrillus hunc idololatriae velut primum auctorem inculcant, cui Semiramis Templum erexit: sed cum vmbris lucta: & antiquitatis arcana dum sequimur claudicamus, ego potius, vt venatoris vindicias agam, ante diluuium veteres Idola coluisse arbitror, docetque Tertullianus in lib. de Idololatria, apud quem Enoch inclamat, *Iuro nobis peccatores, quod in diem sanguinis perditionis poenitentia parata est, qui seruitis lapidibus, et qui imagines facitis aureas, et argenteas, et ligneas, et lapideas, et fictiles, et seruitis phantasmatibus, et daemonijs, et spiritibus infamibus, et omnibus erroribus non secundum scientiam, nullum ab ijs inuenietis auxilium*: haec ille, cuius meminit Iudas Apost. in epist. can. ex quo colligimus Nemrod non fuisse Idololatriae inuentorem, quam antea Enoch natus an. mundi 622. promit.

251 Nec scriptura dicens, *fuit robustus Venator coram Domino*, de venatore malum aliquod adstruit, enimuero potius fortissimum hunc denotat, quam pessimum, sicut Theodoretus, & Theophilactus docent: sensus est, venatorem vere fuisse coram Deo, cui omnia patent. sicut psal. 50. *Malum coram te feci*: Ionae 3. *Vade in ciuitatem Niniuem grandem*: Chaldaeus, *erat Niniue ciuitas magna coram Deo*: idest vastissima, vt Pagninus Isid. Clar. & Vatablus expendunt, vtique *ciuitas trium dierum*, vide Strab. l. 2. geog. & l. 16. ac Diodorum Sic. qui l. 1. & 3. eam asserit constare ex stadijs 480. idest 60. milliarijs, quae teste Acosta, xv. *perficiunt leucas lusitanas*: longitudinem vero fuisse stadiorum 150. idest, xv. *leucarum cum dimidia*: latitudinem stadiorum 90. idest trium leucarum, & sex sta-

ſtadijs minus, quod Hieronymus non improbat: eandem expenſionem ex contextu pro venatore noſtro deduco.

252 Sic verum vt fatear, ante orbis eluuiem venationem exercuiſſe, haud ſub lance pendet; probatur primo RR. calculo, qui penes Lyranum Caini fatum per Lamech recenſentes, venatum depromunt; *ſciendum quod Lamech cæcutiens cum puero ductore exiuerat in campum ad VENANDVM, et non pro carnibus, quia illis non ueſcebantur homines, ſed pro pellibus, quibus induebantur*. hactenus ex hebræis, & D. Hieronymus in epiſt. 125. ad Damaſum Pontificem SS. Patrum traditionem hanc eſſe teſtatur, quam firmat Rhabanus apud Gloſſam dicens, *Lamech exercens uenationem ſagittam direxit, quo adoleſcens indicauit, caſuque Cain inter frutetа latentem interfecit*; adde Genebrardum in chron. *VENATIONIS exemplum poſteris reliquit Lamech, arma inuenit, & fabricauit, quibus cædes fierent*. de hoc an Tibullus petat? pende ex Philone, & Ioſepho:

Quis fuit horrendos primus, qui protulit enſes?
Quam ferus, et uere ferreus ille fuit.

nec officit dubium, quod Burgenſis, Catharinus, & Oleaſtrius poſt Theodoretum effutiunt, non duos ſed vnum fuiſſe interfectum, pœnaſque ſeptuplum Lamechum nonluiſſe: quia ad libitum hæc ſcribunt, & vbi litteræ ſenſus ex contextu non patet, traditionum monumenta ſunt recenſenda; interim vide Abulenſem, & Lyranum.


253 His adde, veteres lanificij vſum continuo non intuliſſe, ſed adinſtar primi parētis pellibus ſe induiſſe vt nuditati conſulerent, & frigoris arcerent iniurias: Gen. 3. 21. *fecit Dominus Deus Adæ, et uxori eius tunicas pelliceas, et induit eos*: cauſſam perquirunt Epiphanius, Theodoretus, ac Procopius, aſſignatque in Pharo ſac. ſap. auctor, *ut diuinitus inducti ad mactandum aliqua animalia, et eorum corijs detractis ſe contegerent*; Genebrardus in chron. *uſus lanarum, et pellium monſtratur à Deo dum primos homines è paradiſo mox eijciendos pelliceis ueſtibus amicit*. idque anno mundi 130. ſed potius ad primum expulſionis diem factum recenſendum puto, vt ex tunc pellium com-

commoda haberentur, ficut Caietanus vertit, *fecit Iehoua Elohim Ada, et uxori eius ueftes corij*. vnde Theodoretus q. 39. in Gen. inquit, *Admirari oportet perennem eius bonitatem, qui etiam delinquentium curam gerat, nec uestimentis neceſſarijs eos carere permittat nudos*. exigit nanque naturæ imbecillitas ferarum coria aduerſus aeris iniurias, idque fuſius Seneca in Poſſidonium aſtruit epiſtol. 91. dicens, *ſimplici cura conſtant neceſſaria, in delicijs laboratur: non deſiderabis artifices, ſi ſequere naturam: illa noluit eſſe diſtrictos, ad quacunque nos cogebat inſtruxit: Frigus intollerabile eſt corpori nudo, quid ergo? num quid non PELLES FERARVM, ET ALIORVM ANIMALIVM à frigore ſatis, abundeque defendere queunt? non corticibus arborum, pleraque gentes tegunt corpora? non auium pluma in uſum ueſtis conſeruntur? non bodieque magna Scytharum pars tergis uulpium induitur, ac murium, qua tactu mollia, et impenetrabilia uentis ſunt.*

254 Ergo ætas aurea tantum pellita vigebat, et vti nouimus Scythas, Hunnos, ac Indos quos Alexander in ep. ad Ariſtotelem deſcribit, *Balenarum, ferarumque pellibus contectos.* & denuo, *uidimus fœminas, uiroſque aliquot Pantherum, Tigridumque pellibus ueſtitos*: de Adæ indumento Rupertus in Geneſim ſcribit, *tunicas pellicias illis feciſſe dicitur Deus, quia iuſte talia uoluit eorum eſſe corpora, qua non ſolum tegi propter turpitudinem, ſed etiam caleſieri opus eſſet propter infirmitatem*: horum tantummodo natura indiget, cætera ſuperfluitate damnantur; de Scythia, quæ in Orientem porrecta includitur ab vno latere Ponto, & ab altero Montibus Riphæis, à tergo Aſia, & Phaſi flumine, Iuſtinus l. 2. ſcribit, *Lanæ ijs uſus, ac ueſtium ignotus, et quanquam continuis frigoribus urantur PELLIBVS tamen ferinis, aut murinis ueſtiuntur*; vide Varronem lib. 2. de re ruſtica; Feſtus lib. 14. *Hercules ob id quoq; pellē babere fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur*. de Septentrionalibus Virgil. lib. 3. Georgicorum,

—Hyperboreo ſeptem ſubiecta Trioni,
Gens effrena uirum, uicino tunditur Euro,

Et pecudum fuluis uelantur corpora setis.
Germanis Tacitus, & Cæsar l. 6. de bello Gallico vestitum eiusmodi attribuunt, & pelles prætiosas inde transferant, quas apud nostrates plures commendant, easque exhibeo:



Lucretius lib. 5. aduersus sæculi pompam occinit,
Tunc igitur pelles, nunc aurum, et purpura, curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant:
Pellis enim cecidit vestis contempta ferina,
Quam reor inuidia tali tunc esse repertam,
Vt letum, insidijs qui gessit, primus obiret,
Et tamen inter eos distractum sanguine multo
Disperisse, neque instructam conuertere quisse:
audiant, qui nuptias sibi comparant, audiant vel tandem Festum, & sapiant, *Pellibus*, inquit, *antiqui induebantur, ob id, & noua nupta IN PELLE LANATA solet considere:* ad quid mundus muliebris, nunc mundum totum inuertit, vt se ornet? sed de hoc satis alibi ex Tertulliano: tantummodo sufficiat Lucretium auocare, & arguere, vtpote occinentem,

Nec dum res igni scibant tractare neq; vti — Pellibus. nouerat enim earum vsum Adam à Deo indutus. plerasque legimus gentes corijs coopertas, vt referam, Romanos rerum dominos, gentemque togatam, de quibus Propertius inquit,

Curia prætexto, quæ nunc nitet alta Senatu,

Pel-

Pellitos babuit rustica corda patres.

ideo ab ineunte orbis exordio Adamum eiusque liberos venatores exlubemus ob emolumenta pellium; imo *& carnium vsum*, vti Iustinus Martyr scribit quæst. 110. ad Orthodox. quem apud Suidam in Herodoto Iulianus Apostata confutat. Vide Mosem-Barcepha.

255 Sed fabulæ adsint: Xenophon de venat. scribit, *venatio, & canes Deorum INVENTIO fuit Apollinis, atque Diana*, cui adde Diodorum, & Ctesiam, ac Pausaniã: hinc Vatum carmina, præcipue Gratius eleganter in Cynegetico occinit;

O felix, tantis quem primum industria rebus
Prodidit AVCTOREM? Deus ille, an proxima diuis
Mens fuit? in cæcas aciem, quæ magna tenebras
Egit, & ignarum perfudit lumine vulgus.
Dic age Pierio (fas est) Diana ministro.
ARCADIVM stat fama senem, quem Manalus auctor
Et Lacedæmoniæ primum vidistis Amycla
Per non assuetas metantem retia valles,
DERCYLON haud illo quisquam se iustior egit,
Aut fuit in terris diuum obseruantior alter
Ergo illum primis Nemorum Dea finxit in annis,
Auctoremque operi dignata inscribere magno,
Iussit adire suas, & pandere gentibus arteis.
Ille etiam valido primus venabula dente
Induit, & proni moderatus vulneris iram,
Omne moris excepit onus, tum stricta verutis
Dentibus, & geminas subiere hastilia furcas.
Et quidam totos clauserunt dentibus orbes,
Ne cessaret iners in vulnere massa ferino, &c.

de Diana apud Diodorum, & Eustathium plura leges, quæ nos infra p. 2. longa littera damus: audiendus nihilominus elegantissimus Oppianus qui l. 2. aureis carminibus ex Xenophonte occinit,

Narra hominum quisnam, fortiumque Heroum
A tua manu acceperit illustres artes venationis:
Vtrinque in imo cliuosæ Pholoes, ventosæ sæua genera
Feris mixta hominum lumborũ tenus, verũ à lumbis

Equorum semihominum, *POMERIDIANVM INVENERVNT VENATVM*.

Centauros ergo inuentores pomeridiani venatus fuisse tradit; de quibus Antimachus in Centauromachia; & Pausanias in Eliacis posteriores tantum *pedes equinos* habuisse scribit; sed potius gentem robore præditam rei bellicæ consultissimam censendam puto, dicitur namque ab Orpheo in Argonauticis — *Gens asperrima bello*; cuius facinora eccinit Vates in scuto Hesiodi, & Lucretius Epicureus philosophus, aduersus fabulas eorum simulachra expendit,

Sed neque Centauri fuerant, nec tempore in vllo
Esse queant duplici natura, & corpore biuo;
Ex alienigenis membris compacta potestas.
Hinc illinc paruis, vt non par esse potes sit.

sic Pholum Arcadiæ Montis Pholoe venationis inuentorem exhibet, simulque Oppianus Xenophontem secutus Centauros, siue potius exultissimum Hipocentaurum Chironem illorum omnium principem alibi primum venationem exercuisse scribit.

256 Hinc sequitur Cilix Poeta egregius,

Verũ inter homines prim⁹, qui Gorgonis ceruicẽ sẽguit,
Iouis aurei filius inclytus inuenit Perseus,
Sed pedum velocibus sublatus alis,
Et Lepores, & Thoas capiebat, & genus Caprarum
Ferarum, Dorcadasque pernices, Orygumque secula:
Aut vero ipso Ceruorum insignium ardua capita
EQVESTREM autem VENATIONEM Lucifer
reperit Castor.
Ad certamina ferarum CANES armauit truculẽtos
Nobilis primus Lacedæmonius Pollux,
Egregie in STATARIIS MONTANIS pugnis,
Oenei filius effulsit Bellicosus Meleager.
CASSES, & LAQVEOS, & RETIA primus
Hippolythus hominibus venatoribus ostendit.
Schenai vero prima inclyta filia Atalanta
Feris eadem PINNATAM, Apri interfectrix inuenit puella.
NOCTVRNAM FALLACISSIMAM VENATIONEM Orion

Orion primus excogitauit astutus.

quod hic de Theseo, & Orione scribat, dubium vrget, quia Xenophon in venatorum albo vtrumque haud recensuit, sed Gorgonem interfecisse pessimum animal, vti Athenæus lib. 5. tradit compertum est, apud Pausaniam in Corinthiacis, Pyndarum in Pyth. Maximum Tyrium ser. 12. Manilium cæterosque quamplures: adde Orionem venatorem cecinisse Ouidium.

257 Cæterum apud Auream Ætatem, qua degebant sapientum proceres, venatum Heroas horruisse, Pythagoricorum secta testatur, sed si Possidonium audis, ex tunc venandi studium crebuisse conspicuum est, enimuero apud Senecam ep. 91. hæc legimus, *illo sæculo quod aureum perhibetur penes sapientes fuisse regnum, Possidonius iudicat: hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur, &c.* inde procedit Seneca, & inquit, *ferramenta fabrilia excogitata à sapientibus viris Possidonius iudicat, isto enim modo, dicat licet sapientes fuisse per quos tunc LAQVEIS captare feras, & vallare visco inuentum, & magnos CANIBVS circumdare saltus* hæc ille, quæ respondet venatui Adam, ac priorum hominum, de quo diximus: interim vide Ouidium l. 15. met.

VENATIONIS DIVISIO.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

258 VEnationis nomen diuersimode ab Aristotele, ac Platone expenditur, nos vero ipsissimam venationis speciem annuentes, Euripidem sequemur, ac de triplici venatu dicemus. de qua Tullius lib. 1. de officijs inquit, *Ludendi etiam est quidam modus, vt ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquã turpitudinem delabamur: suppeditant autem, & Campus noster, & STVDIA VENANDI honesta exempla ludendi;* P. Victor octo campos enumerat, Viminalem, Exqui-

lini,

lini, Agrippæ, Martium, Codetanum, Bructanum, Lanatarium, Pecuarium, & vltra Thyberim Vaticanum, extra numerum: Martium hinc intelligit, ait Scholiastes, qui ibi fuit, vt Pomp. Lætus refert, vbi est ecclesia S. Laurentij in Lucina cum hortis; fuit is olim Tarquiniorum ager, de quo Plutarchus in Publicola, Dionysius lib. 5. Liuius l. 2. d. 1. deinde Marti sacrarunt illum Romani, vt ibi iuuentus exerceretur, Horatius,

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi.

259 Studia dixit, eo quia Aristides, simulque Euripides apud Plutarchum triplicem venationem exhibent, de qua Aristoteles l. 1. pol. c. 5. ait, *Quidam ex venatione viuunt, sed alij ex alia hoc est, quidam prædas agendo, alij piscando, (qui lacus scilicet, & Paludes, ac fluuios accolunt mareue piscationibus accommodatum:) sunt qui Aucupio alantur, aut ferarum venatione, sed maxima pars hominum è terra viuit, & fructibus vrbanis*; hanc distinxionem tradit Oppianus l. 1. Cyneg. *triplicem venationem Deus largitus est hominibus Aeriam Terrestremque, & marinam iucundam; verum non est æqualis labor, nam quo tandem pacto paria essent piscem palpitantem de gurgitibus protrahere, & extensas aues ex aere capere, aut feris trucibus in montibus decertare: veruntamen neque piscatori, neque facile Aucupi venatio est absque labore, labori vero simul voluptas comitatur sola, & defatigatio nulla*, hactenus ille, qui, teste Suida, Sozomeno, ac Arsenio, cæterisque quampluribus, pro singulis versibus aureum ab Antonino Imperatore accepit, vnde *aurea* eius carmina sunt appellata: nonnulli *ad vigesies millies nummum* peruenisse ferunt (idest vt Græci dicunt penes Lilium, *Myriadas duas*:)

260 Seneca ad Lucilium scribens epist. 91. inquit, *ista sagacitas hominum, non sapientia inuenit*. sed non procul à lapsu cæcutiens aberrat. enimuero ab orbis exordio Sapientia Dei, scilicet Verbum, triplicem hanc venationem exhibuit, & hominum imperio animalia subdidit dicens, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã,*

vt

vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs vniuersæ terræ; ad quæ Gregorius Pontifex Nissenus, quem Zinus vertit, hom. 1. inquit, *Homo à Deo terræ totius imperium accepit, diuinaque vox non in tabulis ligneis, aut voluminibus, quæ à tineis corrumpuntur, sed in ipsa natura inscripta est, PRÆSIT. quibus autem præsit? his nimirum omnibus, præsit piscibus, bestijs terræ, volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*. & ex LXX. Tertullianus legit *præsint*, vt ad omne posteritatis genus oraculum innotesceret, creato namque homine, scriptura denuo inquit, *Benedixit illis Deus, & ait, crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*: Dei vox ad Adam liberosque vt venationes exerceat fertur, non vero ad ipsum in paradiso degentem, quia teste Anastasio Episcopo Niceno, Damasceno, Augustino, & Eucherio, cæterisque quampluribus, tunc animalia sponte hominis parebant imperio; potius ergo ad posteros innotuit, sicut Diodorus expendit in Genes. *subijcite eam habitationi vestræ, domitis, aut pulsis FERIS idoneam facite*.

261 Imperat ergo homo, neque est intelligendus Hugo de S. Victore in annotat. super Genes. docens, per peccatum hominem amisisse imperium in duo genera animalium, in præstantissima, scilicet, vt Leones, Tigres, ac Pantheras, & in villissima, vt muscas, culices, & cyniphes, probatque ex plaga Ægypti. sed errat, etenim ab vno milite Dauid duos forsan simul confectos leones non legerat; Lysimachus, & Alexander, Curtio Auctore, leones interfecerunt, & Daniel conclusit ora leonum: muscas vero, ac locustas solo igne fugat homo, & si Manichæi dæmonum ope illas somnient exortas: hausit errorem à Theodoreto qui quæst. 20. in Gen. scribit, *animaduertendum est non vniuersa animalia propter hominem creata esse, sed ea demum, quibus dominari dicitur, nempe PISCES MARIS, VOLVCRES COELI, ET PECORA TERRÆ, fortasse etiam, et reptilia terræ propter necessarium vsum*

Phar-

Pharmacorum, quæ ex illis conficiuntur, non tamen facta sunt propter hominem CETE illa grandia, et FERÆ TERRESTRES. hæc ille, & male, nam de venatione Ceti diximus ex Oppiano, Gregorio Nisseno, & Ambrosio infra l. 2. & Basilius ait, *Cetus tam immanis, et ferus per hamum tenacius inhærescentem captiuus adducitur, hominis ingenio, et industria domitus, et expugnatus, prædaque factus piscatori, exiguo ingens, immanis imbelli: sic homo per rationem principatum in quæuis animalia exercet, et in seruitutem redigit*. si tandem medicamenta respicit, ex Vrso Plinius: ex Leæna Democritus: ex Elephante Tertullianus, & Eucherius pharmacorum vim eliciunt, vt merito cum Cyrillo, dicamus errasse, dum etiam imaginem Dei in homine, & non in muliere ponit.

262 Hinc obseruo apud veteres antiquissimos, quos Iuba, ac Damascenus *felices* nuncupant, vtpote primorum patrum iugi sæculorum ductu sectatores, venationem maximarum ferarum viguisse, asseritque Alexander Rex ad Aristotelem, qui relictis in Phasiacem copijs dum ad solis, lunæque arborum oracula pergeret, scribit, *cum appropinquaremus ad regionem nobis prædictam vidimus fœminas, virosque aliquot Pantherum, Tigridumque pellibus contectos*. sacerdotem sacrorum antistitem insuper pedum amplius decem statura altiorem describit, *nigro corpore, dentibus caninis, perforatis auribus, pellibus ferinis vestitum*; & de reliquis subinfert, *Opobalsamo, et thure vescuntur, cadentisque riuuli ex vicino monte potant aquã; Homines adcumbentes, et quiescentes sine vllis ceruicalibus, stratis tantum pellibus ferarum, hoc AMICTV contenti: viuunt annis fere trecentis*; agnoscimus antiquorũ monumenta vestium, quas venatu antiquissimi virorum confecisse nulli dubium restat. enimuero sic scriptura illos indigitat, ac simili amictu coopertos expendimus.

263 Plato in 7. de leg. triplicem hanc venationis speciem denarrat, & in Sophysta idem parum diuersimode promit, *uenationis homini duæ sunt species, una quidem gressibilium uenatio animalium, uarijs speciebus, nominibusque distincta: altera uero agilium, quæ fluentium uenatio*

tio nominatur; agilium vero quadam pennis per aerem, *quadam per aquam vagantur: volantium venatio Aucupium nominatur, aquatilium vero piscatio*: hæc ille, & Moysis, eiusque doctrinæ plurimum sapit, nam si Philoni, Eusebio, ac Tatiano credimus, ex scripturarum penu admirabilium arcana deprompsit: sic aues, ac pisces iisdem aquarum ab in cunabulis exhibet, & venationem, Aucupium, ac piscationem tradit, de quibus Gregorius Nissenus, siue potius Basilius ait, *quæ in profundissimis pelagi partibus sunt scrutatur homo: venatur ea quæ terram incolunt, capit quæ versantur in aere; atque ita nihil est quod homo arte non præueniat*; idque Seneca in Octauia sic occinit,

—Tertium solers genus
Nouas ad artes extitit, sanctum tamen,
Mox inquietum, quod sequi cursu feras
Auderet acres, fluctibus tectos graues
Extrahere pisces RETE, vel calamo leui:
Decipere volucres crate, ceruos, aut leues
Tenere laqueo: premere subiectos iugo
Tauros feroces. —

264 His recensitis; quamlibet specierum multipliciter sumi compertum est: nam venatio quæ belluas insequitur, teste Xenophonte, ac Plutarcho quandoquidem non solum per montium iuga, camposque exercetur, sed inter viuaria, & harenas: vulgo dicitur *caccia riseruata*; & ad voluptatem inter spectacula olim in Circo, nunc inter septa depromitur: illam laudat Plato, estque vt plurimum Heroe digna: qua de re post Xenophontem, Bargæus lib. 2. Gyneg. iuxta Oppianum occinit,

Hinc olim Heroes, diuum genus, aurea proles
Quæsiuere sibi nullo interitura sub æuo
Nomina, & æternam meruere in sacula laudem
Phillyrides Chyron, Larissæusque Machaon,
Amphiaraus, & Iasion, fratresque timendi
Castibus hic, ille alter Equis. —

alteram vero Seneca, ac plerique damnant.

265 Piscatio etiam dupplex est, nonnulli piscinas tanquam Nero inuertunt: & sunt otiosissimi: alij nauim insedent,

dent, sicut Oppianus tradit de Antonino Imp. & lino, vel hasta pisces incursantes capiunt: Seneca Tragicus ex scopulis senem pendentem describit, & arundine pisces decipientem; hæc piscatio procul à laude, quia sicut ex Auicēna dicemus, exercitatione caret: alij herbis inficiunt æquora, vel conchas seligunt, & isti semper infelices vti Plautus inclamat, à gloriæ censu, ac piscatorum nomine indigni expelluntur: & omnes simul piscationem exercentes pluribus damnantur à Pythagora, Plutarchus l. 8. symp. q. 8. *apud Ægyptios non solum neque Syros, sed etiam apud græcos, sanctimonia par erat piscibus abstinere*: forsan quia, teste Dione Chrysostomo or. 2. de Reg. qui piscibus vescuntur corpora imbecilliora afficiunt; vnde Homerus, Heroas suos a piscibus abstinuisse testatur; imo primis temporibus piscatores non erant, sicut Ouidius fast. 6. de Dea Carna cani,

Prisca Dea est, aliturque cibis, quibus ante solebat,
Nec petit, adscitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat,
Ostreaque in conchis tuta fuere suis.

sic recte inclamant Iuuenalis, & Petronius, tantummodo ob luxum hæc adinuenta fuisse.

266 Aucupio Hercules intentus aues fortiter sagittis suis infecit: Plato etiam improbat aucupium, at aquilarum, similiumque altilium venatio Heroum est digna censu. idque Demetrius de re accipitr. & Symmachus docent. alij vel tendiculis, vel visco, vel aue, cantuque aues decipientes colligunt. isti ludum hunc illudunt ad quæstum; sic omnia domat homo: tandem monita D. Gregorij Nisseni exhibeo, vt dignitatem suam quisque prospiciat ne peccet, *prima nobis imperandi potestas decernitur: ad IMPERANDVM NATVS ES HOMO, quid ergo perturbationibus seruis? cur dignitatem abijcis tuam? cur te peccato tradis inseruitutem? cur te constituis mancipium diaboli? rerum constitutus es princeps? cur naturæ tuæ grauitatem proiecisti?* hæc ille postquam venationis studia recensuit.

IM-

IMPERIVM HOMINIS SVPER ANIMALIA ex venatione: eius etymum expenditur.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

267 Enationis laus fere omnis aduersus antra ferarum, quas adoritur, ac perdit: idque Xenophon in Cyropædia, Apollodorus, Nicander, ac Hyginus in Apri Calydonij facinore expendunt: maxima inde laus extollitur, vbi periculosissima mortis munimenta versantur, quibus instructa tunc animalia vigent; sed Dei oraculum, sicut animantes ad obsequium traxit, ita homines euexit ad imperij culmen; etenim post diluuium dixit Deus Noè, eiusque filijs, *terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis quæ mouentur super terram, omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt*; Genes. c. 9. & ecclesiast. c. 17. *dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram, posuit timorem illius super omnem carnẽ, ET DOMINATVS EST BESTIARVM, ET VOLATILIVM*. D. Basilius, & Ambrosius ad mentis rationem dominium referunt, quod tangit Tullius l. 1. de officijs, *pertinet ad omnem officij quæstionem semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque bestijs præcedat: illæ enim nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu: Hominis autem mens discendo alitur, & cogitando.*

268 Sed luculenter differit præcunctis D. Thomas 1. p. q. 96. a. 1. *Omnia animalia sunt homini subiecta, quod apparet ex tribus, primo ex ipso naturæ processu, sicut enim in generatione rerum intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum, nam materia est propter formam, & forma imperfectior propter perfectiorem, ita etiam est in vsu rerum naturalium, nam imperfectiora*

cedunt in vsum perfectorum: plantæ enim vtuntur terra ad sui nutrimentum, animalia vero plantis, & Homines plantis, & animalibus, vnde NATVRALITER HOMO DOMINATVR ANIMALIBVS. & propter hoc philosophus dicit in 1. polit. quod venatio syluestrium animalium est iusta, & naturalis, quia per ea homo vendicat sibi, quod est naturaliter suum: secundò apparet hoc ex ordine prouidentiæ diuinæ, quæ semper inferiora per superiora gubernat, vnde cum homo sit supra cætera animalia, vtpote ad imaginem Dei factus, conuenienter eius gubernationi alia animalia subduntur: tertio apparet idem ex proprietate hominis, & aliorum animalium, quæ subduntur prudentiæ, ac rationi hominis; firmat hæc Socratis sanctio apud Platonem; qua iubet *sacros venatores* vbique belluas incursare: imo hanc legem animalia noscere Ouidius in Halieuticis occinit; & ideo arma simul conferre ad mortis effugium,

Accepit mundus legem, dedit ARMA per omnes,
Admonuitque sui: vitulus sic namque minatur
Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte:
Sic Damæ fugiunt; pugnant virtute leones,
Et morsu canis, & cauda sic Scorpius ictus
Concussisque leuis pennis sic euolat ales.
Omnibus ignotæ mortis timor: omnibus hostem,
Præsidiumque datum sentire, & noscere teli,
Vimque, modumque sui:

idque Aristoteles, & tandem Sidonius pluribus docent, & tamen armis quibuscumque illa in cunctis homini subiecta vidimus.

269 Et recte Iustinianus Imperator, iuxta maiorum sanctiones edixit, *FERÆ BESTIÆ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo, & terra nascuntur simulatque ab aliquo capta fuerint iure gentium statim illius esse incipiunt, quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, nec interest feras bestias, & volucres vtrum in suo fundo quis capiat, an in alieno*; hisce imus ille, & Aristoteles lib. 1. polit. cap. 5. inquit, *Stirpes animalium, cæterasque animantes hominum*

causa factas putandum est; sic cicures vt his homines ad cibum, tum ad alios vsus vtantur: feras autem si non omnes, at certe plerasque, vt eis alantur, iuuenturque tum ad vestes, tum ad instrumenta cætera comparanda: quod si natura nihil imperfectum, nihil temere frustraque facit, ipsas omnes feras hominum causa factas, natura fuisse necesse est; quo fit vt opes bello etiam parandi ratio, à natura quodammodo proficiscitur, nam eius pars est venatoria facultas, qua vti conuenit; cum in belluas, tum in eos homines, qui cum sint ad parendum nati imperium recusant, est enim huiusmodi bellum natura iustum: alibi hac de re diximus ex Xenophonte, & Athenæo: videndus est Tullius l. 3. de fin. & Aristides, qui dominium hominis in animalia promit, vnde merito occupantium esse D. Thomas docet 2. 2. quæst. 64. articul. 1.

270. Extollit Callisthenes principatum hominis in animalia, & pluribus vt assolet D. Gregorius Nissenus, siue Basilius extollit: sed laus omnis à venatu; enimuero Theophilus Antiochenus ad Autolycum lib. 2. ait, *FERAS græci nominant* θηρία ἀπὸ τοῦ θηρεύεσθαι, *idest, quod VENANDO capiantur*; Lactantius etiam aduersus Tullium l. 7. c. 4. inquit, *cæteris animantibus quibus sapientia data non est munita indumentis naturalibus, & armata sunt: homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem dedit solam, itaque nudum formauit, & inermem, vt eum sapientia & muniret, & tegeret: munimenta, & ornamenta eius non foris, sed intus, non in corpore, sed in corde constituit*, sed cur homo ratione præditus? vt imperet ac cætera animantia sibi domet, & eligat sic Lactantius, firmatque Nissenus, imò scriptura diuinitus tradita. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã, & præsit bestijs terræ*, etc.

271. Etymum venatoris, venationisque idipsum exhibet, Papias nanque scribit, *venator dictus est, quasi venabulator, à venatione quod bestias perimat*; de venabulo Nonius, *Venabulum est venantium telum latissimum*; venatio insuper ad ferarum capturam spectat, dum quis animalium secla scrutatur; rem pandit Varro, & Scaliger ibi-

ibidem *venari est scrutari venas* Isid. , *venatur , qui scrutatur aliquid* . vera notio , sed difficilis ; vnde Becmanus etyma plura perhibet , illudque laudat , *à venio etiam est VENOR , nam qui venatur mature veniat, hinc inde currat , in syluis , campisque oberret necesse est : sic græci à canibus venari vocant* ; *si vero venari à vena duci placeat , erit venari , feras indagare , quasi per terra , syluarumque venas* . hæc ille non male , sed frigide , nam quid est venator vt veniat mature , ac discurrat ? num quid non etiam hoc ad militem, colonũ , & fabrum spectat : deinde Scaliger Ines dixit : *ina* apud Pompeium est *filamentum fibrarum tenue , ac minutum* ; etiam teste Festo , *ina* est pars chartæ tenuissima : & inane ab ina deducitur , ideo potius *à venio venam* dixissem , quia per ipsam sanguis venit , & Seneca l. 3. quæst. nat. c. 15. scribit , *placet natura regi terram, & quidem ad nostrorum corporum exemplar, in quibus , & venæ sunt , & arteriæ , illæ sanguinis , hæ spiritus receptacula* : ad rem proprior Papias, *vena dicitur, quod per eam sanguis veniat ad cor* . addit Martinius, *possit venor à κυνὶ dici* , quod græcis κύων , Anglis est *venari , aucupari* .

272 Isidorus lib. 12. c. 2. *canis nomen latinum, græcam etymologiam videtur habere , græcè enim κύων dicitur* : sed cur venatio ad canem ? quia canis scrutatur ferarum cubilia eoque venator vtitur , audi Ouidium de canibus in Halieutico ,

—Nunc elatis rimantur auribus auras ,
Et nunc demisso quærunt vestigia rostro ,
Et produnt clamore feram , dominumque vocando ,
Increpitant : quem si collatis effugit armis .
Insequitur , tumulosque canis , camposq ; per omnes.

ergo eo quia scrutatur antrorum rimas , iuga montium , ac saltus forsan venator sapientum calculo nuncupatur.

273 Itaque ad venationem spectat agitare feras , easque adoriri , ac perdere : Virg. 7. Æn. *Cursuque feras agitabat Iulus* . Sidonius in paneg. Anth. *inuentas agitare feras , & fraude latentes quærere* . Symmachus ad Maximum venatorem lib. 9. ep. 26. *agitare te venatibus feras ,*

&

& hybernis mensibus apennini gelida lustrare, valetudinis tua æstimatione nunquam putaui: quibus adde Xenophontem, qui Cyrum omnium ferarum foueas, ac septa cursu inuertisse testatur: & Fracastorius 2. syphil.

Hic (iubeo) tibi nulla quies, nulla otia sunto:
Rumpe moras, agita assiduis venatibus apros,
Impiger assiduis agita venatibus vrsos.

imitatio Virgiliana nitet, nam Georgicorum 3. canit,

Sæpe etiam cursu timidos agitabis Onagros,
Et Canibus Leporem, canibus venabere Damas.
Sæpe volutabris pulsos syluestribus Apros
Latratu turbabis agens, montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia ceruum.

274 Pro coronide locum Sidonij Apollinaris exhibeo; lib. 4. epist. 9. ad Industrium de Vectio inquit, *ipse, quem loquimur in Equis, Canibus, Accipitribus instruendis nulli secundus. ferarum carnibus abstinet, cursibus acquiescit, itaque occulte, delicateque religiosus venatu vtitur, nec vtitur venatione*. hæc ille, non verborum lusu, sed proprietate dicendi; forsan à venatione alienum facit, quē religiosum depromit: nouerat religiosis illam omnino interdictam, apud Hilarium l. 10. in Mtr. Concil. Agathense can. 55. & expresse Carolus Magnus l. 5. c. 2. *venationes, & syluaticas vagationes cum canibus omnibus seruis Dei interdiximus, similiter vt acceptores*, (Accipitres Lucilio) *& falcones non habeant*. ita Sauarus locum expendit, sed male, nam Accipitres, Equos, Canesq; imo, & cursus exhibet: dicendum ergo venationem à venatu differre: D. Prosper l. 3. c. 17. de vit. contempl. *vtuntur accipitribus, & saginatis canibus ad venatum, venationibus crebris ad luxum*, sicque colligitur, venatum esse venantium facinus, venationes vero prædam; Lampridius in Alexandro, *Leporem quotidie habuit venationem frequentem, sed eam cum amicis diuidebat*; apud Virgilium Numanus Remulus de Italis inquit,

Venatu vigilant pueri, syluasque fatigant.

sic expendo locum Genes. 27. 3. *Sume arma tua pharetram & arcum, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis. fac mihi inde pulmentum.* DE

DE VENATIONE HEROVM, & periculis venatorũ. expẽditur l. 2. Reg. c. 23. v. 20.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

275 Onsultissimus fere omnium philosophantium Plato in 7. de leg. enarratis venationum speciebus, inculcat, damnatque piscationem, & aucupiũ, deinde inquit, *sola ergo QVADRVPEDVM VENATIO restat omnibus optima, quæ equis canibus, ac corporis viribus agitur: nam quibuscunque diuina cura est fortitudo, ij quadrupedes omnes cursu, vulneribus, telisque manu propria venando vincere debent*: hanc vero Xenophon HEROVM VENATIONEM nuncupat, quia Oppiano auctore, vbi pericula vigent, robore, ac magnanimitate cunctos præcellunt; Heroas etenim Pythagoras in carminibus *illustres* nuncupat, cuius nominis caussam reddit Hierocles in car. Pyth. *non immerito illustres heroes appellantur tanquam virtute, & splendore perpetuo nobiles, qui nos à terrena ista vita ad diuinam tollant, atque erigant*; isti, Labeone teste apud D. Augustinum, præstantiores Semideis putabantur, sic dicti ab *hera* terræ filia, vti Iamblichus, & Theophilus scribunt: vel ab *amore* sicut Plato in Cratylo: Porphyrius addit ab amore virtutum, à quo immortalitatis præconium, & laus educitur: & recte Bargæus l. 3. Cyneget. ex Oppiano occinit,

Si qua tenet iuuenem venandi cura, perennis
Laudis AMOR, si quem stimulis ardentibus agit,
Is sciat inuentis maiorum instructus, & arte
Nulla vsquã dira metuenda pericula mortis esse sibi.

Ouidius de Meleagri socijs l. 8. met.

—Cupiuntque suum adire periclum.

sicut in Lysimacho compertum Trogus Pompeius perhibet, traditque Iustinus l. 15. *cum in conspectum eius concitus Leo impetum fecisset, manum manipulo inuolutam Lysi-*

ſimachus in os leonis immerſit arreptaque lingua feram exanimauit: quod cum nunciatum Alexandro eſſet, admiratio in ſatisfactione ceſſit, chariorem que eum propter cõſtantiam tantæ uirtutis habuit. hæc ille, licet diuerſimode Curtius ex Ariſtobolo, qui factum è veſtigio enarrare potuit. nam Arrianus etiam in venatione apud Indos glorioſiſſimum facinus recenſuit, vbi Alexander, & Lyſimachus ferociſſimum leonem adorti, Rex vno ac potenti vulnere illum confecit.

276 Optima ergo venatio, quæ pericula ſubit, vt ſuperet, exemplum vero prodit Xenophon lib. 1. Cyropæd. *ubi nouit Aſtyages Cyrum magna teneri cupiditate in venationem egrediendi emittit eum una cum auunculo, datis etiam vna cuſtodibus quibuſdam equitibus ſeniorum, qui eum tum à locorum difficultatibus, tum à SYLVESTRIBVS FERIS cuſtodirent, ſi quæ apparuiſſent. Cyrus eos interrogabat, quæ feræ proxime adeundæ non ſint, & quæ fidenter inſequendæ: hi autem dicebant per multos proprios factos eſſe ab vrſis, & apris, & leonibus, & pardalibus interemptos, &c. itaque Cyrus equo deſcendit, ſtabatque, atque his auditis triſtis erat; ſed ubi clamorem ſenſiſſet in equum tanquam afflatus reſiluit, uidenſque APRVM ex aduerſo adactum ei obuium equum agit, iaculoque contorto APRVM rectiſſime in frontem ferit, ac detinet.* vidiſti iuuenis audaciam? vbi aprorum ferocia Adonidem, cæteroſque Meleagri ſocios interfectos adoleſcens audiuit, aprum aggreſſus confecit: hæc fortium cura, fortia facere, & pati; imbecilliora negligunt, ne in paruis vileſcant; recte Velleius l. 22. *agendo, audendoque res Romana creuit*, idque Achilles apud Statium l. 5. Achilleid. Vlyſſi enarrat, Chyroniſque rudimenta olim ſibi tradita prodit,

—Quid nunc tibi prælia dicam
Syluarum? & uacuos ſæuo iam murmure ſaltus?
Nunquam ille imbelles offæa per auia Lynces
Sectari, aut timidos paſſus me cuſpide damas
Sternere, ſed triſtes turbare cubilibus urſas,
Fulmineoſque ſues, & ſicubi maxima Tigris,

Aut subducta iugis fœtę spelunca Leanæ:
Ipse sedens uasto facta expectabat ab antro,
Si sparsus magno remearem sanguine, nec me
Ante nisi inspectis admisit ad oscula telis.

277 Sed quia fortium hanc venationem, Heroumque diximus, Tullium l. 1. de offic. profero, eumque expendo, *omnino fortis animus, & magnus duabus rebus maxime cernitur; quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere, nullique neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ succumbere; altera est res, ut cum ita sis affectus animo res geras magnas, illas quidem, & maxime utiles, sed ut uehementer ARDVAS, PLENAS; LABORVM, & PERICVLORVM, tum causa uitæ, tum multarum rerum quæ ad uitam pertinent.* hactenus ille: & venatorem ab hoc censu nequaquam gloriæ immunem demonstro, enimuero, *honestum* imo *sacrum* hunc venatum censuisse Platonem, simulque Xenophontem compertum est. cuius decus Oppianus cecinit, & Cyrus, ac Mitridates experti sunt. deinde venatores magnam rem gerere, maxime vtilem, arduam, ac periculosam neminem latet, traditque Ausonius ad Theonem epist. 5. vbi ostentatorem Theonis fratrem suggillat, dum se venatorem inter Heroas venditat, ipsumque Theonem procul à syluis illudit ea propulsantem pericula, quæ venatores insultant quandoquidem, etiam perituri.

Inde ostentator uolitat, mirentur ut ipsum
Gedippa, Vrsinusque suus, prolesque Iouini,
Taurinusque ipsum priscis HEROIBVS æquans:
Qualis in Olenio Victor Calydonius Apro,
Aut Erymanthëo pubes fuit attica monstro.
Sed tu parce FERIS uenatibus, & fuge nota
Crimina syluarum, ne sis Cinyreia proles,
Accedasque iterum Veneri plorandus Adonis.

hæc ille, & imbellem, eneruemque pungit, dum venatum, quem Meleager, & Hercules exercuère distulit.

288 Accedat Ascanius, eaque magnanimitate com-

pos,

pos, venatorũ acta cõmedẽt; de venatu Dydonis Vir inquit,

Postquam altos uentum in montes, atque inuia lustra:
Ecce feræ saxi deiectæ uertice capræ
Decurrere iugis, alia de parte patentes
Transmittunt cursu campos, atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant; montesque relinquũt,
At puer Ascanius medijs in uallibus acri
Gaudet equo, iamque hos cursu, iam præterit illos:
Spumantemque dari pecora inter inertia uotis
Optat APRVM, aut fuluum descendere monte leonẽ.

multa caprearum agmina obuiam incursabant milites, spelæa alter ceruorum, damarum alter secla tentabat, solus Ascanius Aprum in votis habet, vt adinstar Olenij, vel Alcidis immortalitatis monumenta signaret; hoc imperij omen principes extollit, quibus, teste Plinio in paneg. ad Traianum, spectat, *lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium iuga, & horrentibus scopulis gradum inferre*. de Iugurtha Sallustius inquit, *ubi primum adoleuit pollens uiribus, decora facie; sed multo maxime ingenio validus, non se luxui, neque inertiæ corrumpendum dedit, sed uti mos gentis illius est (equitare, iaculari, cursu cum æqualibus certare,) & cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esse: ad hoc pleraque tempora in VENANDO agere, LEONEM, atque alias feras primus aut in primis ferire, plurimum facere, & minimum ipse de se loqui*. hæc venatoris magnanimi imago nitet inter Heroas, hæc animi magnitudo hominem ad fastigia erigit, Sidonius Apollinaris in paneg. Auiti cecinit,

Iam si forte Suem latratibus improbus umber
Terruit, albentes nigro sua guttture lunas
Frangere ludus erat, colluctantique lacerto
Vasta per aduersas uenabula cogere prædas.

hæc ille, & Ouidius de Apro à Diana immisso,

Misit Aprum quanto maiores herbida Tauros
Non habet Epirus, sed habent sicula arua minores:
Sanguine, & igne micant oculi, riget horrida ceruix,
Et seta densis similes hastilibus horrent;
Stantque uelut uallum, uelut alta astilia seta

Feruida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit: dentes æquantur dentibus indis:
Fulmen ab ore uenit, frondes afflatibus ardent.

cum hoc referre certamen, periculosissimum quidem Martialis, Ausonius, ac Xenophon duxerunt, at virorum præstantissimorum ingenia vbique vigent, vt difficile opus ad gloriæ, ac immortalitatis simulachra referant. sicut videre est in numo Getæ, vbi periculosissimę venationis imago refertur.





279 Hinc scriptura fortissimum militem commendat Banaiam venatorem 2. Reg. 23. *Banaias filius Ioiadę utri fortissimi magnorum operum de Capseel: ipse percussit duos Leones Moab, & ipse descendit, & percussit LEONEM in media cisterna in diebus niuis*: hæc sacer contextus de Banaia, quem Theodoretus Regis fratrem fuisse autumat, licet Iosephus genere sacerdotem hunc exhibeat, forsan ex eo Glossa Interlinearis, & Strabus Banaiam *magistrum* nuncupant, *Erat Banaias magister de Capseel, idest de congregatione Dei in Cerethi, & Pheleti, qui interpretantur occidentes, & uiuificantes*, ait Strabus, nec aliter de Achillis hasta veteres: à plerisque insuper existimatur vnus è tribus, qui aquam hauserunt è cisterna, attuleruntque Da-

Dauid ; sed licet de hoc dispar scriptorum oraculum sit, *magnorum operum virum fortissimum* fuisse compertum est; nam duos robustissimos Leones Moab interfecit, vel sicut 1. paral. 11. legitur, *duos Ariel Moab*, quod est omnino idem; quia Strabo teste, *Ariel Leo Dei interpretatur*; vnde male Vatablus per duos Leones, *duas artes* intellexit: excluditque expensionem Hugonis, Caietani, Comestoris, Dionysij, ac Lyrani, qui ex Hieronymo tradunt duos Moabitarum robore præstantissimo fratres vnico certamine interfecisse, idque Iosephi testimonio edixerunt, scribentis, *Banaias prouocatus à duobus fratribus virtute inter Moabitas illustribus vtrumque confecit*; hoc quamuis grande fortitudinis monumentum sit, nihilominus veros Leones grandi corporum mole præstantes confecisse Abulensis docet, & hoc firmiter dicendum Tostatus asserit, *cum nihil sit, quod cogat nos conuertere sensum literalem in methaphoram*: nec illa sunt Hieronymi monumenta, sed hebræorum traditiones auctori adscribendæ suo: saltem leonem in media cisterna percussisse omnes testantur; inquit enim scriptura, *ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus niuis*. Lyranus ad litteram hæc refert, factum vero enarrat Iosephus, *cum enim ningeret leo in quendam puteum illapsus est, cuius os quod angustum esset, videbat breui fore, vt id niuibus oppleretur, atque ideo deplorato exitu, & salute rugire cœpit*; *Banaias autem forte fortuna iterfaciens accurrit ad rugitum bestiæ, & cum descendisset in puteum, repugnantem ictu baculi, quem gerebat exanimauit*; Strabus in Glossa non casu, *sed cum cæteris ad spectaculum venisse, ac in cisternam desilisse, & leonem interfecisse* tradit: egregium hoc fortitudinis facinus laudat Abulensis, licet Sansonem, ac Dauid maximopere commendet, quia necessitate coacti belluas adorti sunt, hic vero ad ostentationem virium nouum genus pugnæ peregit.

280 At Sãctius venatoris robur male expendit, eumq; leonis interfectorem perhibet, *pene in niue demersi*, *neq; enim*, inquit, *in cisterna in qua tam erat alta moles illa niualis vngues habebat, quos exereret, & in venatoris viscera*

scera altius insigeret; cum se neque commouere posset, neque explicare crura; hactenus ille, & in omnibus non bene, nam cisternam niue supponit plenam, cum Iosephus os tantum cisternæ oppletum referat; enimuero si plena, ac coequata niuium aggere vsq; ad ora teneretur, fugam proculdubio arripere fortissimum animal saltu petuisse crediderim; ideo sensum litteræ Lyranus sic facit, *Leo, propter niuem os fouea cooperientem illuc cecidit, ad quam descendit Banaias*; euenit etenim non semel foueæ os ex animo coopertum venari belluas, sicut Strabo Ælianus, cæterique de Elephantorum venatione scribunt. Plinius l. 8. c. 7. *Africa foueis Elephantos capit*: Xenophon de venatione Leonum, *capiuntur foueis latis in orbem deductis*; & Albertus, Leo Africanus, & Apollodorus id ipsum promunt. hinc adde magnanimiter pugnasse Banaiam, fortiterque vicisse, dum sponte certamen adoriri non metuit; & quamuis Salianus veluti audacem in re leui venatorem damnet; non officit; etenim Abulensis in lib. 1. Reg. c. 17. q. 21. Dauid exemplo censuram refellit dicens, *veniebat leo, vel ursus, tollebatque arietem de medio gregis, & persequebar eos; in hoc significatur maxima animositas, & confidentia Dauid, quia pro re parua exponebat se magno periculo, nam si leo, uel ursus persequeretur Dauid, & ipse defensurus se opponeret Leoni, non erat aliquid magnum, quia timor eum ad hoc impelleret, quod etiam interdum superaret, quanquam admirabile non tamen nimis erat, quia naufragio uires suggerit ipse timor, quia tamē sine aliqua causa impellente, pro solo raptu pecoris Dauid aggrederetur leonem nimia animositas erat, & confidentia, quasi de facili uictoria*; itaque militis experimentum fuit cum leone inijsse certamen, sicut Heraclitus Ponticus Herculem superasse leonem interpretatur, & de Mitridate Apollonius prodit. ac Plinius l. 8. c. 36. simulque Lucretius dum ait,

Principio genus acre leonum, sauaque secla
Tutata est uirtus.

ad quæ Pierius inquit, *neque alia de causa leonem cœlo adscriptum multi prodidere, nisi quod sol eo tempore, quo signum*

gnum id permeat maxime sit ualidus, atque robustus; firmatque ex Pausania, & Homero, ac Simandio Ægyptiorum Rege, bellatorem scilicet hominem decere in conflictu aduersus hostem, similiter sæuire: & de pugna Dauid pueri cum gigante Abulensis q. 20. scribens ait, *Dauid induxit probationem roboris sui magni, quia sæpe ipse pugnauit contra leonem, & ursum; non poterat autem maior esse animositas Philisthini, quam animositas leonis, nec robur eius maius, leonis robore*.

281 Pugnæ tempus recensendum restat, quod plerique ed XII. an. Dauid Regis colligunt ex 2. Reg. c.8. fuitque an. mundi 3903, ante C. n. 1045. Thinæi Assyriorum Regis an. 4. Acasti Archontis perpetui an. 5. Latini Syluij Regis v. latinorum an. 12. cum apud Hebræos Abiathar Pontifex, teste Eusebio, sacrorum princeps haberetur; Heraclidarum Regnum, Codro seipsum interficiente, destructum est. ac Peloponnenses dimicantes aduersus Athenienses ex vtroque corruère.

282 Sed vt Banaiam prudenter leonem confecisse, ac fortiter sapientiores annuant, Alexandri Macedonis pugnam in Bazaria aduersus ferarum agmina exhibeo quam Curtius l. 8. sic refert, *Alexander cum toto exercitu ingressus agitari undique feras iussit, inter quas cum LEO MAGNITVDINIS RARÆ ipsum Regem inuasurus incurreret, Lysimachus obijcere se feræ ceperat, quo Rex repulso, & abire iusso adiecit; tam à semet uno, quam à Lysimacho Leonem interfici possit: Lysimachus enim quondam cum uenaretur in Syria occiderat eximiæ magnitudinis feram solus, sed læuo humero usque ad ossa laceratas ad ultimum PERICVLI peruenerat; id ipsum exprobans ei Rex, fortius quam locutus est fecit, nam feram non excepit modo, sed etiam uno uulnere occidit*: de Samsone legimus Leonem interfecisse, vnde inquit Augustinus l. 18 c. D. apud Strabum, *cum Samson mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules*.

283 At caueat venator dum belluas adoritur, audiatque Xenophontem, qui venationis modum tradit, ne pericula subeat, in l. de ven. inquit, *Leones, Pardi, Lyncei,*

Pan-

Pantheres, Vrsi, & aliæ quæcunque eiusmodi feræ in locis externis capiuntur circa Pangæum montem, & Cittum supra Macedoniam, aliæ in Olympo, Mysio, et Pyndo, aliæ in Nisa supra Syriam, et ad alios montes quot quot idonei sunt generis huius animalia nutrire: capiuntur uero partim in montibus Aconitico ueneno aquis insperso propter asperitatem regionis: partim etiam quæ noctu in plana descendunt equis, et armis introclusæ, nec sine VENATORVM DISCRIMINE capiuntur: sunt quibus, et foueas latas in orbem ducunt in medio relinquentes profundam terræ columnam, cui capram noctu religatam supponunt, et foueam ramis obtegunt, etc. Plinius similiter lib. 8. scribit, *Troglodytæ contermini Æthiopiæ, qui hoc solo uenatu aluntur, arbores propinquas itineri eorum conscendunt; inde totius agminis nouissimum speculati, extremas in clunes desiliunt: læua apprehenditur cauda, pedes stipantur in sinistro fęmore: ita pendens alterum poplitem dextra cędit prææcuta bipenni, hoc crure tardato profugiens, alterius poplitis neruos ferit, cuncta pręceleri pernicitate peragens.*

284 Itaque nonnulla animalia si opportune quis adoritur facile vincit; Vrsum in capite peritiores feriunt, quia Plinio auctore l. 8. c. 36. *inualidissimum urso caput, quod Leoni fortissimum, ideo urgente ui, præcipitaturi se ex aliqua rupe manibus eo operto iaciuntur:* quid in leonis conflictu? audi Plinium de Leone ibid. c. 16 *principatu Claudij casus rationem docuit pudendam talis feræ nomine, pastoris Gętuli sago contra ingruentis impetum obiecto, quod spectaculum in harenam protinus translatum est, uix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamuis leui iniectu operto capite, ita ut deuinciatur non repugnans, uidelicet omnis uis constat in oculis*: alij armis ferarum excipiunt insultus, sicut Alexander Macedonum Rex ad Aristotelem scribit, *adfuere leones albi, taurorum magnis comparandi corporibus cum ingenti murmure concussis ceruicibus, stantibusque alte iubis in modum fulminum in nos impetum faciunt, exceptique uenabulis ruunt;* Strabo venationem Elephantorum tradit, quam alibi dedimus;

& periculorum fugam demonstrat, ficque lepide, apprimeque Martialis l. 12. ep. 14. Priscum monet, ne pro lepore vitæ discrimen subeat,

Parcius vtaris moneo rapiente Veredo
Prisce, nec in Lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus equo:
Insidias, & campus habet, nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licet, fallere plana solent:
Non deerunt, qui tanta tibi spectacula præstent,
Inuidia fati sed leuiore cadunt,
Si te delectant animosa pericula: Tuscis
Tutior est virtus insidiemur APRIS
Quid te frena iuuant temeraria? sæpius illis
Prisce datum est equitem rumpere, quam leporem.

VENATIONIS LAVS.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

285  Allisthenes, quem Strato, & Plutarchus extollunt, venationis studium velut bonarum artium singulare decus, inter præstantissima hominum monumenta Alexandro Regi commendauit. hinc Oppianus Cilix ad Antoninum Imperatorem occinit, *tibi canere aueo VENATIONIS NOBILES ARTES*. Gratius etiam vetus Poeta,

Dona cano diuum, lætas venantibus artes.

Olympius Nemesianus in Cynegetico,

Venandi cano mille vias: hilaresque labores
Discursusque citos, securi prælia ruris.

286 Hinc sapientissimi philosophorum virtutum experimenta signarunt. nam Xenophon inquit, *meliores sunt qui laborem amplectuntur, quod ita esse magno probatur exemplo: nam veteres abineunte ætate VENATIONES apud Chyronem meditati, multa & honesta didicerunt, ex quibus magna illis uirtus accessit, quæ ipsos nunc etiam* ad-

ADMIRANDOS facit: enimuero hoc laborum pondere Hercules inter Numina [si Apollodoro, & Basilio fides] recensetur, imo cæterique quamplures venationem affecati gloriæ, eximiæque laudis emolumenta duxerunt, & apud Plutarchum de solert. anim. Tyrtæus ex Euripide, ostendit, *maximam LAVDEM deberi venationi, quæ vim animi nostri, eam quæ pugnis, & ferro inter se commissis hominum certaminibus gaudet (siue natura eam, siue disciplina indidit) maiori ex parte ad se trahens purum præbet spectaculum artis, audaciaque cum prudentia coniuncta, quæ robori mentis experti opponatur*, *collaudetque illud Euripideum*,

Vires exiguæ sunt mortalium.
Sed calliditate multiplici
Belluas maris, & terrestria,
Et sub cœlo volitantia,
OMNIA HOMO DOMAT.

hæc ille, cui plaudit Autobolus adijecitque, *qui primus interfecit lupum, aut vrsum LAVDEM inuenit*; de venatione Apri Calydonij Ouidius,

Lecta manus iuuenum coiere cupidine laudis.

de qua Xenophon plura denarrat, ac venatorum (quos Heroas nuncupat) nomina tanquam in albo recenset dicens, *VENATIONIS, & bonarum artium discipuli fuere Cephalus, Æsculapius, Melanion, Nestor, Theseus, Hippolytus, Palamedes, Vlysses, Menestheus, Diomedes, Castor, Pollux, Machaon, Podalirius, Antilochus, Æneas, & Achilles, qui per id tempus dijs chari fuerunt, nemo autem miretur quod plerique eorum, tametsi dijs placerent mortui sunt, &c. tamen CANVM, VENATIONISQVE, & aliarum artium studio cum multum virtute præstarent ADMIRABILES fuerunt*. hactenus ille.

287 Venationis studium gloria sequitur, & præstantissimus Plato in Alcibiade, venationem sacrorum institutioni præferre ausus est, regumque liberos post arenæ, ac ferarum secla ad aras ducendos censuit, enimuero inquit, *pueri cum septimum annum transgressi fuerint tum equos conscendunt, & equorum magistros adeunt, & VENARI in-*

incipiunt: anno autem XIV. puerum suscipiunt ij, quos illi Regios Pædagogos appellant, qui sunt è Persis selecti, quatuor constantis ætatis viri, & sapientissimus, & æquissimus, & temperatissimus, & fortissimus; quorum primus magiam docet Zoroastri Horomazi; hac autem in re cultus deorum versatur, docet etiam & ille Regia instituta: Pyctagoræorum secta primum Deos adire iussit; & meritò Zoroastri, forsan, sacrorumque arcana pueros aggredi, quã adoriri belluarum antra debuisse nonnullus opinaretur, nam de eius magia scribit Marcellinus lib. 23. *Magiam opinionum insignium auctor amplissimus Plato, Machagistiam esse verbo mistico docet, DIVINORVM INCORRVPTISSIMVM CVLTVM, cui scientiæ sæculis priscis multa ex chaldeorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastres.* & Plinius l. 30. c. 1. Zoroastrem in Perside primum magiam docuisse tradit, quem sex millibus annorum ante Platonis mortem Eudoxus prodidit: & Hermippus vicies centum millia versuum à Zoroastre condita explanauit: eiusque superstitiosissimam religionem Plutarchus de Isid. & Osir. Clemens Alex. in strom. cæterique depromunt: Nihilominus Plato antequam adyta Deorum adirent principum pueri, venatui vt incumberent religiosè voluit: audi Horatium, forsan Achillem extollentem,

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusque, & apricigramine campi.

& alibi Xenophontis disciplinam indigitans,

—Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior.

optime ideo sapiens Virgilius Didonem Ascanio equum dedisse l. 4. Æn. canit,

—Ante omnes pulcher Iulus
Sidonio est inuectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum, & pignus amoris.

288 Adde, vt Platonem expensum ex Calcidio habeas, nouisse venatum non absque Numine Deos sequi, deorum comitatu cæteris præponendum. Symmachus nanque vrbis prefectus *Maximum* venatorem *sectatorem Deorum*

nuncupat l. 9. ep. 26. dicens, *inter sodales Apollinis, ac Dianæ SECTATOR vtriusque numerabere, & si te magis, vt scripta testantur, VENATICÆ ARTIS gloria iuuat, nam cum te niuosis saltibus inerrasse describeres supra epistola temperamentum verbis tripudiasti, nimirum lætus ex arduo, & adhuc calens montani operis euentu*; ecce venatorem sectatorem Numinum: in Diana nanque, Horatij Scholiastes, & in Apolline, venatorum antesignatis, numina fere omnia pandit, sicut antea Macrobius in somn. Scip. Seruius, & Eustathius animaduertebāt, sicque illorum sectatorem, comitemque venatorem consultissimi vatum dixere, non enim numina venatum abhorrent, imo venatorum præfere habitum vides.









289 Nemesianus in Cynegetico, elegantér occinit,

Latonæ Phœbe magnum decus, eia age suetos
Sume habitus, arcumque manu, pictamq; Pharetram
Suspende ex humeris: sint aurea tela, sagittæ:
Candida puniceis aptentur crura cotburnis.
Sit clamys aurato multum subtegmine lusa,
Corrugesque sinus gemmatis baltheus arctet
Nexibus: implicitos cohibe diademate crines,
Tecum Naiades faciles, viridique iuuenta
Pubentes Dryades, Nimphaque vnde omnibus humor
Adsint, & docilis decantet Oreadas Echo.

nec male Cyrus apud Xenophontem pæd. l. 1. relictis in Perside Pædagogis apud Astyagem, adhuc puer, mansurum se dixit, vt lustra ferarum percurrens venator iustitiæ, ac prudentiæ gradus ascenderet: scripsit etenim Plinius l. 1. ep. 6. ad C. Tacitum, *vndique sylua & solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt: proinde cum VENABERE licebit auctore me, vt panarium, & lagungulam, sic etiam pugillares feras, experieris non DIANAM magis montibus, quam MINERVAM inerrare.*

290 At ne profana à sacris aberrent, apud ecclef. c. 47. v. 3. de Dauid adhuc puero legimus, *cum leonibus lusit, quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouium à iuuentute sua*: magnum facinus, heroe dignum, quo & incircumcisum aggredi, & imperium ausus est: sic etiam Achilles, teste Statio l. 2. Achil. dum apud Chyronem degeret inquit,

Vix mihi bissenos annorum torserat orbes
Vita rudis volucres, cum iam peruertere CERVOS,
Et Lapithas cogebat equo, præmissaque cursu
Tela sequi. — de Ascanio Virgilius Ænead. 4.
At puer Ascanius medijs in vallibus acri
Gaudet equo, iamque hos cursu, iam præterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat APRVM, aut fuluũ descẽdere mõte LEONEM.

obseruo pueri votum: nam puerum Iugurtham in feriendis leonibus se exercuisse Sallustius scribit; enimuero præter

Ca-

Caprarum ſylueſtrium, Ceruorumque copiam, de quibus Strabus, & Ælianus, apud Benium, Apros nutrire Africã (quæ Sues plurimum fouet) & leones, licet Plinius Ariſtotelem ſecutus, Ariſtoteles Herodotum improbent, ex Oppiano, & Philoſtrato cõpertũ eſt, imo quamplures, teſte Brodæo miſcel. l. 7. c. 13. id firmant, docetque Timæus inter hiſtoriarum principes nulli ſecundus.

291 Hæc regia, hæc recta via ad imperij faſtigium, & ſacra, nam venatio ſacerdotes ac Reges prouehit: vtrumque Mythridates venatu aſſequitur, innuitque Iuſtinus l. 37. *venandi ſtudium finxit, quapropter quatuor annos, neque vrbis, neque ruris tecto vſus eſt, ſed per ſyluas vagatus eſt & in diuerſis montium regionibus pernoctabat aſſuetus FERAS CVRSV, aut FVGERE, aut PERSEQVI, cum quibuſdam etiam viribus congredi, quibus rebus, & inſidias vitauit, & corpus ad omnem virtutis patientiam durauit*. huc vſque ille: & Dauid Regni culmen aſcendit, cum initurus aduerſus gigantem prælia inquit, *paſcebam gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum*. vt inoteſceret venationis ludum, non modo belli, ſed victoriæ exercitium eſſe: quo etiam mulieres ſuapte natura imbecilles, & oraculi iuſſu *ſub viri poteſtate* torpentes, excitenrur & regnent; vt recte Diodorus, Ectefias, cæterique quamplures inclament, ac omnium ore Trogus Pompeius lib 2. *ſingulare omnium ſæculorum exemplum: auxere Remp. ſine viris, vt etiam cum contemptu virorum ſe tuerentur*: cauſſam pandit, *virgines non otio, neque lanificio ſed armis equis, & VENATIONIBVS exercebant*.

DE

DE VIRTVTIBVS ANIMALIVM expenditur Genesis cap. 49.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

292  Irtutis nomen omni laude, ac præconio dignum commendat Varro, simulque Romanorum proceres fausto diuinitatis plausu tulerunt. sic M. Marcellus virtuti Ædem suo primo consulatu vouisse legimus, eiusque filium ad portam Capenam dicasse: imo Tullius de legib. ipsam præcunctis coli iussit, forsan quia Plato in Menone, apud Clem. Alex. l. 5. strom. c. 5. ait, *videtur nobis virtus diuina sorte accedere, quibus accedit*: & Maximus Tyrius disser. 22. n. 130. *perfectissimum est virtus, vt nonputandum sit aliud, quam quod à Deo proficiscitur bonum hominibus contingere: cum re uera nullum sit bonum, quod non ab eo originem suam trahat*: sic antea Pythagoras, & Plato apud D. Augustinum l. 4. c. Iulianum c. 3. & Cassianus deinde col. 13 c. 17. ait, *omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta esse*: idque respicit, *animam bonam* nonnullos sortitos esse. vt scribit Seneca epist. 95. *sic vt dij immortales nullam didicere virtutem: ita quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem honesta complectuntur*; nec aliter Clemens Alexandrinus l. 1. strom. c. 4.

293 Sed non ideo aliena sunt animalia ab hoc virtutũ semine, etenim Salomon in prou. c. 30. inquit, *quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus; FORMICÆ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi, LEPVSCVLVS plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum: Regem LOCVSTA non habet, et egreditur uniuersa per turmas suas: STELLIO manibus nititur, et moratur in ædibus regis.* ideo intelligendus Aristoteles lib. 6. eth. cap. 13. *omnibus à natura tributa sunt virtutes, omnesque à moribus proficiscuntur: natu-*

ra

ra enim et iusti, et temperantes, et fortes gignimur, reliquarumque virtutum principia, et semina, simul atque in lucem editi sumus continemus in nobis, sed tamen aliud quiddam, quod proprie bonum sit esse volumus, et qua ex hoc genere sunt aliter inesse: nam et pueris, et belluis à natura tributi sunt habitus, qui sine intelligentia, et ratione obesse hominibus videntur: itaque comparat bruta cum pueris, & alibi cum insanientibus illa comparat, sicut Diogenes apud Plutarchum tradit: pueris itaque Dicæarchus, & Aristoxenus *animi intelligentiam* omnino negarunt; Timæus vero, & Empedocles ex Pythagora, vsque ad septennium sine ratione illos dixerunt: sensus ergo est petendus à Seneca in epist. 124. scribente, *sed ne te diu teneam aliquod erit bonum in muto animali, erit aliqua VIRTVS, erit aliquid perfectum? sed quale? nec bonum absolute, nec uirtus, nec perfectum: hæc enim rationabilibus solis contingunt, quibus datum est scire, quare, quatenus, quemadmodum, ita bonum in nullo est nisi in quo ratio.*

294 Itaque Seneca edocente, nulla in animalibus erit virtus, imo animalia cum arboribus eodemque pacto conformat, excluditque à bono, *verum bonum, nec in arboribus, nec in mutis animalibus est, hoc quod in illis bonum est, precario bonum dicitur: quod est? inquis, hoc quod secundum naturam cuiusque est: bonum quidem cadere in mutum animal nullo modo potest, felicioris melioris que naturæ est: nisi vbi rationi locus est, bonum non est: quatuor hæ naturæ sunt arboris, animalis, hominis, et Dei: hæc duo quę irrationalia sunt, eandem naturam habent, illa diuersa sunt, quod alterum immortale, alterum mortale est; ex his ergo vnius bonum natura perficit, Dei scilicet, alterius cura, hominis: cętera in sua natura perfecta sunt, non vere perfecta, à quibus abest ratio*: sicque antea aduersus Epicureos Chrysippus, & deinde Porphyrius: etenim virtutes morales, vel scientias esse cum Socrate apud Platonem in Protagora, Menone, & Lachete esse testamur, vel cum Lactantio l. 6. c. 5. aduersus Lucilium, & Panætium, ac Tullium, *uirtutem omnem in uo-*

voluntate faciendi bona recensemus, & semper excludantur bruta, quæ scientias in audiendo positas percipere nequaquam valent, & ratione carent: imo moralem virtutē D. Augustinus 2. de lib. arb. c. 18. describit, *virtus est bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nemo male vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur*: vnde excluditur sententia Anaxagoræ, Democriti, & Anaximandri, qui mentem patientem in brutis agnoscebant, quia Aristoteles in 7. physic. inquit, *virtus est dispositio perfecti ad optimum*, eiusque actus debet esse perfectus, vt probat D. Thom. 2. 2. q. 17. a. 1. ad 3. quod etiā Augustinus *bonam mentis qualitatem* putauit, nec quis recte viuere, Deo authore potest, nisi rationis vsu, ac perfectione compos: conclud itque in Ethic. Aristoteles, *virtutem esse habitum electiuū in mediocritate:* Hieronymus in Epitaphio Paulæ, *modus virtus est, vitium nimietas reputatur:* Cleobolus *modum optimum* apud Ausonium in carm. 7. sap. illam appellauit: ex Platone Apuleius de philosophia, virtutes *medietates* dixit; annuit Theages Pythagoræus penes Stobæum ser. 1. Nazianzenus, Nissenus, & Pelusiota, quos recenset Raynaudus, & tandem Seneca l. 2. de ben. c. 16. ait, *cum sit vtrinque virtutis modus æque peccat, quod excedit, quam quod deficit*: at modum hunc quis in brutis præscripsit? sola ratio, ait Plotinus de anima, modum vnicuique definit, & alte illud, *ne quid nimis* præscribit.

295 Sed quia Plutarchus de solert. anim. & in Gryllo, Basilius, & Ambrosius in Hexēm. Chrysostomus ho. 4. in Acta. Cleanthes de Formicis, Iuba, Democritus: ac Plinius l. 8. de eleph. Aelianus, imo ipse Aristoteles virtutum exemplar in animalibus exhibent, aliquod in eis vestigiū virtutis inesse credendum est: ideoque Aristoteles l. 7. Eth. c. 6. inquit, *bestias neque temperantes, neque intemperātes dicimus, nisi per translationem: & si quo alio modo omnino animalium genus aliud ab alio, tum contumelia, & alacritate, tum voracitate differt: non enim electionem, neque rationem habent, sed à natura non secus, ac furentes homines qui mente excesserunt; feritas autem, minus quidem quam vitium, sed horribilius malum est: quippe*

cum non sit corrupta, quemadmodum in homine optima pars, sed desit. hactenus ille: Epicurus etiam bonum humanum, virtutesque sensui adscribens, brutis competiturum asserebat, vt videre est apud Senecam ep. 124. at præcunctis fauet animantibus Gryllus, vbi Vlyssem penes Plutarchum alloquitur, & sicut Ithaca tellus absque labore hominum, sponte fruges vberioresque profert, sic *melior est*, inquit, *brutorum anima quæ absque labore virtutem, tanquam sponte enatum fructum edit, nam absque imperio, & disciplina, tanquam terra non arata, neque consita, natura instinctu, producit augetque vnicuique conuenientem virtutem*.

296 Ergo vel vestigium virtutis nonnunquam in brutis nouimus, quod in homine ignoramus. de impijs inquit vates, *mutauerunt golriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*: & alibi monet, *nolite fieri sicut equus, & mulus in quibus non est intellectus*. vnde Epictetus apud Arrianum l. 1. c. 3. inquit, *ob carnis societatem declinantes à meliore, natura quidam lupis similes efficimur, dum sumus perfidi, & insidiosi, & ad nocendum parati: alij leonibus, quia feri, & immanes, ac truculenti, maxima vero pars vulpeculæ sumus, aut si quid aliud in animalibus pro monstroso habetur*: Chrysost. hom. 4. in matt. *cum tanquam asinus recalcitres, lasciuias vt Taurus: tanquam equus post mulieres hinnias: ventri tanquam vrsus indulgeas: & vt mulus carnem pingues: & malum memoria teneas velut camelus: porro rapias quidem, vt lupus: ferias vt Scorpius: sis subdolus vt vulpes, nequitiæ vero tanquam Aspis, & Vipera venenum serues, & sicut malignus dæmon fratres impugnes, quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talis in te natura signa cum non intuear?* idipsum repetit Isidorus Pelusiota l. 2. ep. 135. Philo lib. de Abrahamo: Boetius 4. de cons. prosa 3. Clemens Alexand. l. 2. strom. c. 9. Nissenus hom. 1. de hom. creat. Lactant. l. 5. inst. c. 11. nec mirum dum *eorum Deus venter est*. hinc Tullius ait l. 1. de officijs, *pecudes nihil sentiunt nisi voluptatem ad eamque feruntur omni impetu: hominis autem mens discendo alitur, & cogitando semper aliquid aut inquirit*,

inquirit, aut agit, videndique, & audiendi delectatione ducitur: quin etiam si quis est paulo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re, sed nomine,) sed si quis est paulo erectior, quamuis voluptate capiatur, occultat, & dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam, ex quo intelligitur corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantia, eamque contemni, & reijci oportere: hæc ille ex Catone maiore de senectute, & Aristotele, qui l. 7. eth. c. 1. de hominum vitiositate inquit, *sic in specie humana raro aliquis ex pecudum genere cernitur; &c. eos etiam homines, qui alios vitijs, flagitijsque, superant hac infamia notamus*. etenim teste Horatio,

—Corpus onustum
Hesternis vitijs, quoque prægrauat ipsum
Atque affigit, humi diuinæ particulam auræ.

& Claudianus 2. aduers. Eutropium occinit,

Hi pecudum ritu non impudentia vitant.

296 Quid ergo? nonne brutorum nomina virtutes hominum demonstrant? Varro de re rust. l. 2. plura refert: Libanius decl. 29. Socratem *Lusciniam* nuncupauit: Cinesias ab Aristophane dicitur *suauidica Philomela*: Alexandrum adhuc in vtero, teste Aristobulo, & Tertulliano, *leonem* dixerunt augures: Semiramidem Apollonius *columbæ* insigniuit nomine; Deorum mater apud Arnobium, & Lucretium leonibus demonstratur: Aelianus l. 7. h. a. c. 45. ait, *priscis animalia, vel quæ ratione carent adeo curæ fuerunt, vt Pyrrho Epirotæ gratum fuerit Aquilæ cognomen, Antiocho autem, vt fertur, Accipitris*: Christus etiam Dominus, dicitur *Leo de tribu Iuda*; eiusque discipulos, Aquilæ, Vituli, Leonis, ac Cherubini spectra demonstrant, non solum apud Ezechielem, sed etiam Ioannis in Apocalypsi oraculo tales similiter ostenduntur: & apud Gentiles Iuppiter in Hirco, vnde & Ammonius, Tertulliano auctore, dicitur, vt à pecude omen, illudque faustissimum sumeret.



297 Obseruo in cap. 49. Genes. quamplurima animalium monumenta virtutum: etenim Iacob morti proximus diuinior factus, vti Plato in Phedone, & in conuiuio tradit, cuius oraculo suffultus Tullius de diuinatione inquit, *senectus appropinquante morte multo diuinior est*: quia Platone in apologia Socratis auctore, *homines solent maxime futura prædicere cum iam morituri sunt*; an quia tunc anima incipit corporis vincula rumpere, & D. Thomas 2. 2. q. 172. a. 1. ad 1. edocente, *anima quanto abstrahitur à corporali, aptior redditur ad recipiendum influxum spiritualium substantiarum, & ad percipiendos subtiles motus, qui ex impressionibus naturalium causarum in imaginatione humana relinquuntur*? an quia Amor erga prolem parentes fatidicos facit? Anchises in 6. Æneidos futura sic referat,

Nunc age Dardaniam prolem, quæ deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustres animas, nostrumque in nomen ituras
Expediam dictis, & te tua fata docebo,

sed hæc absurda seponamus. moriturus Iacob sancto spiritu plenus futura prædixit, quod Chrysostomus, Theodoretus, & Hieronymus tradunt; alij vero ex Lyrano, & Burgense, ad Mesiæ tempora eius oracula referunt.

Sic

298 Sic cum decimum, & septimum annum ageret in Ægypto, vt Iosephus li. 2. antiq. c. 8. scribit, Iacob ante obitum filios suos benedixit, & impios Ruben *principium doloris sui*, ac Leui, *vasa iniquitatis bellantia*, nequaquam animalibus comparauit, de Iuda verò dixit, *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt LEO, & quasi LEAENA, quis suscitabit eũ?* quibus verbis *fortitudinem* Iudæ descripsit, de qua li. paral. c. 5. *Iudas erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt*. Tertullianus de anim. c. 49. & Plutarchus in Alexandro per Leonem *vigilam virtutem* intelligunt; & Epiphanius l. 1. t. 2. hær. 78. per *Leænam* Deiparam innuisse Iacob enarrat, *Dominus Leoni assimilatur, non secundum naturam, sed propter ænigma*: addo *virium confidentiam* ex Polluce; & psal. locum expendo, *Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi*; venantur enim soli, nec timent, vnde Horatius lib. 4. car. ode 4.

Qualemue lætis Caprea pascuis
Intenta fuluæ matris ab vbere,
Iam lacte depulsum leonem
Dente nouo peritura vidit.

alij *vigilantiam*, ex Manethone perhibent, vnde Arrianus de Alexandro lib. 8. scribit, *Alexander plus vigilare solet, quam vos, vt ipsi quietos somnos capere possitis*. cætera Pierius promit.

299 Sequitur Iacob, *Issachar Asinus fortis accubans inter terminos*. Rabinorum quamplures apud D. Hieronymum in qq. heb. & Burgensem in additione 5. censent *sapientes* ex hac familia descendisse, quod D. Ambrosius approbat. nec obstat Asinum apud rudes symbolum esse ignorantiæ, nam qui se ignorare credit vere est sapiens, vti Laertius de Platone tradit: Seneca de tranquil. *nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ* prodit, & Christus discipulos suos paruulos, ac insipientes nuncupauit: Eucherius per Onagrum *eremitam* intellexit; Ægyptij Ochum Persarum Regem: Clysthenes Sicyonios *Asinos* dixit, & Cleanthes confidentissime asserebat, *Asinus quidem*

dem sum, sed qui portare possum sarcinam Zenonis : imo Origines, & Porphyrius, Ammonio edocente, *Asinum habere condiscipulum* festiue tulerunt. Lucianus iuxta Ptolomæi dictum in Menippo, animas diuitum ab inferis remittendas sub Asini forma recitat: tandem inquit Pierius l. 12. *apud hebræos Cabalisticos, Asinus est sapientiæ symbolum*: nec reticuit Diodorus, Patrisfamilias imaginem apud Ægyptios asinum præferre: sed quid? an ignoras Persianum illud, *auriculas Asini, quis non habet?* Dan *colubrum, & cerastem* appellauit: Philo de agricult. rationem commendasse scribit, ne illa sub pedibus voluptatum conteratur: alij licet Antichristum per serpentem intelligant, viget inter expositores de *Sansone* sensus, vterque vero ope[n]det: sicut Hieronymus pro Ceraste *Basiliscum* vertit, de quo vide Solinum c. 32. Ælianum, & Plinium l. 8. c. 23. qui ait, *In Cerastis corpore corniculua quædam eminere sæpe quadrigemina, quorum motu reliquo corpore occultato, sollicitant ad se aues*, agnoscimus solertiam animalis, & in Dan illam commendamus, at cum Chaldaica paraphrasi *Sansonem* expondimus, qui iuxta Eusebium, & Augustinum, ob præclara facinora putatus est Hercules. de Nephtali inquit, *Nephtali CERVVS emissus dans eloquia pulchritudinis*: locus, vt Eugubinus notat, ob puncta, quibus hebræi nunc scribunt valde obscurus restat, Rabbini etenim, apud Hieronymum, & Oleastrium legunt, *Nephtali cerua pulcherrima, quæ propter sui pulchritudinem dono datur, & quæ facunde, & ornate loquatur*: hinc fabula de Cerua candida Sertorij, de qua Plutarchus in Sertorio, Valerius l. 1. c. 3. & Plinius l. 8. c. 32. *sunt aliquando candidi coloris cerui, qualem referunt fuisse Q. Sertorij Ceruam, quam esse fatidicam Hispaniæ gentibus persuasit*. at Ceruum dixit Nephtali, quia virtutis eloquio dæmones, vel vitia per serpentes expressa expelleret, Lucretius,

Naribus alipides, vt Cerui sæpe putantur
Ducere de latebris serpentia secla ferarum.

sicque per eloquium virtutem extrahendi è latebris serpẽtes intelligimus: alij vt Lyranus, & Burgensis *velocitatem*

an-

annotant. laudantur in scripturis quamsæpe, & Anacreon, Telephum Herculis, & Auges filium Ceruam educasse canit; cæterum virtutem expressisse olim per ceruum iam vides.





300 Tandem concludit, *Beniamin LVPVS RAPAX, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia* : in lupo non voracitatem, sed robur, & magnanimitatem attendimus, etenim de Romulo, Remoque, quos Lupæ filios Fabius Pictor, & Ennius dicunt, idipsum Virgilius cecinit,

Fecerat, & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuisse LVPAM geminos hinc vbera circum
Ludere pendētes pueros, & lābere matrē — impauidos.

& Paraphrasis Chaldaica locum expendit, *Beniamin in terra eius quiescet præsentia diuinitatis, & in possessione eius ædificabitur sanctuarium, mane, & vespere offerent sacerdotes oblationes, & in tempore vespertino diuident residuum portionum suarum de reliquijs quæ sanctificata sunt*. D. Hieronymus hæc verba similiter ad sacerdotes refert, & Rupertus ex hebræis sanctuarij situm exhibet, ac ritus: at caueant sacerdotes ne plus iusto accipiant, dum sæculares illos pro lupis habent, ne in lapidem offensionis incidant: hinc Augustinus, Chrysostomus, & Hieronymus hunc locum de Paulo expendunt, & antea Tertullianus l. 5. adu.

adu. Marc. vnde D. Prosper in l. 1. de promission ait, *Ioseph dedit munera Beniamin, maiora dedit Christus Paulo; ille enim de se asserit plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei in me: calicem Iosephi in sacculo Beniamin suo inuenit, calicem passionis Christi in corpore suo se inuenisse fatetur Paulus, cum dixit, ego enim stigmata domini nostri porto in corpore meo: si habitauit Deus in terra Beniamin, vas electum est Paulus ad portandum ipsum Deum per vniuersum orbem*. vides in vno Lupo quanta sit virtus?

301 Itaque virtutis vestigia in animalibus recensenda restant, quæ velut exemplar bonorum operum homines moneant de ratione recte viuendi, sicut Basilius, & Nissenus docent, imo Plutarchus, & Ælianus, brutorum exemplis nos instruere aggressi sunt, nec erubuit Salomon dicere, *Vade ad formicam piger*.

ANIMALIVM PIETAS, ERGA PARENTES, & senes.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.



302 SApiens Hierocles in carm. Pythagoræ liberorum erga parentes cultum commendat, *quem intentio ad virtutem tradit*; etenim ad diuinitatis culmen illos erigit, vnde apud Stobæum ser. 79. legimus, *si quis parentes secundos, ac terrestres, quosdam Deos dixerit, non errabit, cum nobis propter vicinitatem (si dicere fas est) vel ipsis Dijs honorabiliores sint*. & Simplicius, *antiquiores leges ita venerata sunt parentes, vt DEOS appellare eos nõ dubitarint, in hoc diuinã excellẽtiã reueriti*; hæc ille in c. 37. Ench. Epict. quid si antiquiores animalia velut Numina coluère? pietatis grande id recensendum opus: de capris syluestribus Oppianus l. 2. ait, *Caprarum fœtus charos fouent parentes decrepitos, cum vincula tristia*

artus

artus illigant, pabulum nempe porrigunt, roscidum, floridum, decerptum ore, potum autem labris summis ex flumine ferunt, lingua autem fouentes totum corpus tergent: Plutarch s de solert. anim. *à iunioribus educuntur in venationem ætate grauiores Leones, & tardiores: hi vbi defatigati sunt sedent, & iuniores opperiuntur, qui prædam nacti rugitu seniores vocant, hi statim sentiunt, & accedunt communique præda vescuntur.*

303 Decepit haud me ratio, dum vsque ad portentum hæc omnia exhibui: etenim Ælianus lib. 6. h. a. c. 61. inquit, *ex omnibus legibus humanissimam iudico, qua Lycurgus præcepit natu grandibus minores cum, vel de sedibus vel de uia decedere debere, tum vero eisdem reuerentia aduersus ætatem, quam vt assequantur, (non obstantibus fatis) omnes expetunt, EXVRGERE OPORTERE: Elephantorum genus hoc idem solo natura ductu, sine Lycurgi, aut Solonis, aut Zaleuci, vel Charondæ iussu sanctissime obseruant: ætate affectis nimirum iuniores de legitimo cibo cedunt, eosdemque summa obseruantia colunt, & à periculis seruant: in fossam delapsos iniectis fruticum fascibus subtrahunt, quibus tanquam scalis senectute graues ascendentes liberantur.* in homine Lacedæmonio Xenophon, Plutarchus, ac Herodotus hæc pietatis monumenta extollunt, quid in bruto, (homine vt plurimum brutescente,) commendarent?

304 De Ciconia Philo de decal. inquit, *Ciconiæ senes, impotes volandi, nido se continent: ex his prognatæ terra, marique volitant, & cibos parentibus afferunt, sic illæ, vt earum ætate dignum est, quiete fruuntur, & copia; iuniores vero laborem comportandi solantur pietate, ac spe recipiendæ in senectute gratiæ, debitum persoluentes interim, quod tempus postulat, & eadem opera natos implumes, effætosque parentes educant, natura instinctu, & pullis, & decrepitis alacriter præstando mutuum officium.* recensent hæc Ambrosius, & Basilius in Hexæm. sed Cassiodorus l. 2. ep. 14. maiora enerrat, *plumis suis genitorum membra frigida refouentes, escis corpora lassa reficiunt: & donec in pristinum vigorem aues grandæuæ redierit pia*

vicissitudine iuuenes reddunt; quod à parentibus paruuli susceperunt. Quid ergo homines facere debebunt, quando, & hanc pietatem auibus inesse cognoscunt? de Elephantis denuo Ælianus h. a. l. 7. c. 14. *cultu quodam, & honore natu maiores dignandos existimant, idque natura nullis ad hoc Lycurgi legibus abstricti; nunquam vero, neque ex senectute infirmum, neque eum qui morbo tenentur sui gregales deserunt, sed et fidissimi ei permanent, eiusque cum cæteris in rebus student incolumitati, tum vero cum insectatione vrgentur pro eo pugnant, et vulnerari potius defendendo, quam deserere volunt licet fugere eis integrũ sit.* nec aliter Callisthenes, & Oppianus.

305 Addit Plinius ex Iuba, & Democrito, l. 8. c. 5. *Elephanti gregatim semper ingrediuntur, ducit agmen maximus natu, cogit ætate proximus:* scilicet, sicut Onosander, & Polybius de Imperatore scribunt, seniori primas permittunt curas, vt imperet: inter Leones senex præcellit reliquos, & ceruorum agmina ducit maior natu: sic animalia parentum obsequia præstant, & senectutem honorant. mirum etiam Ælianus l. c. scribit, *Elephantum nunquam fuisse parricidam;* homines vero parentes olim quoscumque senescentes impie litarunt orco: audi Hieronymum aduers. Iouinianum l. 2. *in historijs de Messagetis, et Derbicibus, qui inter suos familiares censent miserrimos, naturali mortalium condictione sponte deficientes, ideo morbum præuenientes amicos senio confectos sacrificant, atque epulantur: Thebareni vero senectuti proximos è locis præruptis viuos præcipitant: Hircanij autem, et Caspij à seniorum molestia se liberant, isti dum viuos Canibus, et Auibus obijciunt, illi, tanquam mortuos: Scythæ illos, qui vita functo maxime chari sunt, uel defodiunt uiuos cum eo, uel super strue lignea iugulatos cremant: Bactriani autem prouectos ętate canibus uiuos obijciunt.*

306 Hæc homines in parentes, & senes: ideoque leges editæ in impios, quas Tullius recenset in orat. pro Roscio Amer. parricidij reo, Seneca lib. 1. de clem. c. 23. & nouimus ex l. penult. ff. ad l. Pompeium: eculeo nanque insueban-

bantur vna cum Gallo gallinaceo, Cane, Vipera, ac Simia, & in mare proijciebantur: *ita uiuunt dum possunt*, inquit Tullius, *ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ideo iactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita postreme eijciuntur, ut ne ad saxa, quidem mortui conquiescant*. recte Socrates, apud Xenophontem, de eius gestis, filium aduersus parentes insolescentem alloquitur, *Tu itaque fili si compos es mentis, et Deos ut tibi ignoscant exorabis, si quid matrem neglexisti ne ingratum te esse existiment nec benefacere uelint, ab hominibus quoque cauebis ne sensientes, quod contemnas parentes pro nihilo te habeant, et priuatus amicis omnibus effectus fueris; si enim te arbitrabuntur erga parentes ingratum esse nullus putabit te pro susceptis beneficijs fore in referenda gratia memorem*: sed deficiente hominis ratione, suppleat animalium pietas. etenim de Ciconijs Ambrosius l. 5. Hexæm. c. 16. inquit, *Depositi patris artus per longæuum senectutis plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos, circumstans soboles pennis proprijs fouet. & quid dicam? collatitio cibo pascit quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia vt hinc, atq; inde subleuantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij patris membra: quis nostrum leuare agrum non fastidit patrem? quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia vix credibile habetur? quis vt pius sit non hoc seruulis mandat obsequium? at vero auibus non est graue, quod pietatis est plenum. non est onerosum, quod soluitur naturæ debito. non recusant aues pascere patrem, quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum, plerique homines recusarunt: aues non scripta, sed natalex stringit, aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratia naturalis officio: aues non erubescunt reuerendi senis membra portare. est enim victoria pietatis: quod eo vsque frequenti testificatione percrebuit. vt congruā mercedem remunerationis inuenerit: nam Romanorum vsu pia auis vocatur. & quod vix vni imperatori consulto senatus delatum dicitur, hoc ista aues in commune meruerunt.*

runt. habent ergo aues ista decreta patrum ad propria insigne clementia. pios enim filios patrum prius oportuit iudicio prædicari. habent etiam vniuersorum suffragia, nam retributio beneficiorū γαʹ ντιπελαργοῦσι nominatur, πελαργός enim Ciconia dicitur, virtus ita ab his nomine accepit, tum relatio gratiarum, ciconiæ vocabulo nuncupatur. habemus auiariæ sobolis erga cultus patrios pietatis exemplum.

ANIMALIVM PIETAS ERGA FILIOS.

CAPVT TRIGESIMVM.

307 

Inc denuo hominum pudor ex impietate consurgit; etenim Oppianus, ex Callisthene, & Democrito animalium erga liberos charitatem commendat, quæ hominum facinora feritatis exēplo damnantur: audiendus Aelianus de Elephantis l. 7. cap. 15. *pullos suos adhuc a partu recentes nunquam deserunt matres, vt sane in illis à periculo tuendis constantissime permanent PRIVSQ; ANIMAM AMITTVNT si vrgeant venatores, quam suos catulos deserant*: hæc ille, & pergit enarrare, de muliere quadā cōspicua, & ex ordine senatorio, quæ vt cum seruo stupri consuetudinem haberet, filios suos detulit, *& ita factum est vt filij, innocentes necarentur; mater hanc ex delatione mercedem assequeretur, vt cum seruo licentius stuprum facere posset*: *quid igitur à patrij, & genethlij Dij, ò Iuno, Lucina, aut Medeam Colchidem, aut Procnen Atthidem, hinc commemorem necesse est, cum memoria nostra exempla immanitatis præferre queamus?* addit Basilius in Hexæm. delphinos, catulos suos adhuc recentes, denuo in aluum recipere, ne tēpestatum vi obruerentur: de vrsa Plato, & Aristoteles portentum exhibent, linguæ scilicet, miraculum, vt suos exeitent è fæce catulos. quid Tigride immanius? & tamen amoris vim patitur, vnde Plinius l. 8. c. 4. inquit, *Tigris*

etiam

etiam feris cæteris truculenta, homine viso, transferre dicitur protinus catulos. sola ex hominibus mater apud hebræos filios suos deuorat; sola Medea aduersus Iasonem filios suos trucidat.

308 Tigris adest, ipsamque apud Hyrcanos indigitat Solinus c. 21. dicens, *maxime potentia earum probatur cum maternis curis incitantur, cum catulorum insistant raptoribus: succedant sibi equites licet, & actu quantolibet amoliri prædam velint: nisi in præsidio MARIA fuerint, frustra est ausum omne: notantur frequentissime si quando latrones suis asportatis catulis renauigantes vident, in litore irrita rabie cernuari, velut propriam tarditatem voluntaria castigantes ruina*: hæc ille ex Plinio qui lib. 8. c. 18. inquit, *vbi vacuum cubile reperit fœta, fertur præceps, odore vestigans: raptor appropinquante fremitu abijcit vnum è catulis, tollit illa morsu, & pondere ocyor acta remeat, iterumque consequitur, ac subinde donec in nauem regresso irrita sæuit in litore*. sic Tigris humanitate humanos præstat animos; de qua Claudianus,

Arduus Hyrcana quatitur sic matre Nyphates
Cuius Achemenio Regi ludibria natos
Auexit tremebundus eques, furit illa marito
Mobilior zephyro, totamque virentibus iram
Dispergit maculis, nimiūq. haustura profūdo ore virū.

Seneca in Medea; —*Vt tigris orba gnatis,*
Cursu furente lustrat —Gangeticum nemus. &c.

309 A Tigride ad Pantheram transeo, de qua Albertus, & antea forsan Apollonius, & auctor libri de nat. rerum referunt, in vtero matris catulos haud ferre moras, ac oneratam fœtibus matricem vnguibus lacerare, nihilominus vt vidit mater illos deperit, enarratque Plinius ex Demetrio physico l. 8. c. 17. *apparuisse pantheram Philino cuidam, illum pauore cepisse regredi, feram vero circumuolutari non dubie blandientem, se seque conflictantem mœrore, qui etiam in panthera intelligi possit: fœta erat, catulis procul in foueam delapsis: primum ergo miserationis fuit non expauescere, proximum ei curam intendere, secutusque, qua trahebat vestem vnguium leui iniectus*

vt

vt causam doloris intellexit, simulque salutis suæ mercedem, exemit catulos, eaque cum ijs prosequente vsque extra solitudines deductus læta atque gestiente, vt facile appareret gratiam referre, QVOD ETIAM IN HOMINE RARVM EST. quis dedit pantheræ intelligentiam? vt hominis solertiam nouit? vere Æschines, amorem, erga liberos inuentorem dixit: imo Eudemus tradit in Pangæo Thraciæ monte mirum quoddam pietatis monumentum. vrsam, scilicet, recentes catulos leonis confecisse, ac fuga protinus arrepta conscendisse arborem, vt sibi de salute cõsuleret: excubasse circa arborẽ tunc Leænã ad custodiã, leonem vero de liberorum, adinstar hominum, morte mœrentem longe, lateque, summo cum dolore totis montibus errasse, *tandem Fabrum offendisse*, vt eius verbis vtar, *cuius è manibus præ terrore securis excidit: vbi leo id perspexit sese attollens illum blande, & suauiter amplexabatur, linguaque illi faciem abstergebat, quam benignitatem homo sentiens suis rebus fidere cepit: leo hunc cauda amplexatus ducebat: neque securim illum relinquere permittebat, sed pede suo illam tollendam esse ostendebat: quod non intelligens homo, leo securim ore accepit, mordicusque tenens illi porrexit: ac denique illum ad lustrum suum, vbi constrati catuli iacebant perduxit, id quod Leæna videns ipsa quoque ad eos profecta homini significabat, cladem miserabilem respiceret, atque postea sua significatione hunc impellebat, suspiceret vrsam: vnde homo coniecturam assecutus aliquam, hos ex hac grauem iniuriam accepisse omnes neruos ad excidendam arborem contendit, quam cum euertisset, vrsam præcipitem in terram delapsam fere distraxerunt: hominem illæsum leo reduxit in locum, vbi prius ei occurrisset, inuiolatumque reddidit*; hæc ille apud Ælianum l. 3. h. a. c. 21.

210 Dicat nunc Rex Moab, qui filium suum occidit coram populo Israel, dicant matres, de quibus Hieremias Thren. 4. 10. plorans vociferatur, *manus mulierum misericordium COXERVNT FILIOS SVOS*. demonstrat propheta tempora excidij per Titum, & Vespasianum, inquit Rupertus, & Hugo: vel si R. Salomoni, & Lyrano fides,

Iosiæ calamitates deplorat: etenim Iosepho authore l. 6 bel. iud. c. 21. idem facinus vtraque temporum monumenta turpauit: dicant impij, qui *immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan*: psal. 105. *nempe mactarunt, indeque conbusserunt in holocaustum*, inquit Genebrardus, vetus Chananæorum, & Aegyptiorum scelus; de quo Moyses, *semen tuum non dabis traijciendum Idolo Moloch*, per ignem, scilicet, vt Ieremias 19. 5. locus appellabatur Topheth, à tympanis, quæ pulsabantur, ne pater miserè eiulantis voces audiret: sic Manasses 4. Reg. 23. *traduxit filium suum per ignem, secundum idola gentium*: & si de eo ritu hebræi inter se varient: alij putant COMBVSTOS post immolationem supra aram exemplo Abrahæ instituentis sic Isaacum filium Deo offerre: alij INCLVSOS in concauitatem idoli, & in dolo succenso igne CREMATOS: alij vt R. Salomon, & Kimhi, TRADVCTOS partim à patre, partim à Sacrificis inter rogorum duorum medias flammas donec incendio consumerentur: adnotabat hæc Genebrardus: at hebræorum traditiones referunt, *Moloch fuisse imaginem concauam, quæ habebat septem conclauia: vnum aperiebant similę offerenda: aliud turturibus: tertium oui: quartum arieti: quintum vitulo: sextum boui: qui vero volebat offerre FILIVM, huic aperiebatur septimum cubiculum: & facies huius idoli erat, vt facies vituli: manus plana dispofita ad recipiendum ab astantibus, & saltabant interim, cum puer in idolo succenso igne cremabatur percutientes tympana, ne pueri vllulatus audiretur*: hæc vide apud Oleastrum; proh mira hominum impietas! peperit mater, litauit fera: genuit pater, & carnifex effectus se ipsum cremauit in filio: Abrahæ indixit creator, vt filium suum offeret in monte, at protinus Angelum misit, ne extenderet manus super puerum, grande existimans opus patrem litare filium etiam pro Deo; at istos cui liberos obtulisse legimus? *Dijs Chanaam*: & *idolo Moloch*: scilicet, Aria Mont. authore in lib. iud. *Mercurio animarum ductori*; quem *furem* Plautus, & impiorum Numen Ouidius nuncupat: Oleaster *priapum* illum fuisse prodit, quem alibi

bi *Beelphegorem* dicunt. at potius cum Genebrardo *Saturnum* illum nuncupamus, de quo ex Tertulliano, & Clemente Alexandrino iam scripsimus: etenim suos hunc deuorasse filios, compertum est, eumque secutus, *Mesa Rex Moab primogenitum obtulit holocaustum super murum.* 4. Reg. c. 3 v. 27. & hebræi, vt Hieremias c. 19. v. 5. inclamat, *extruxerunt excelsa Baal, vt comburerent filios suos igni in holocaustum.*

311 At procul esto, abscedatque impietas: bruta accedite, & pietatis monumenta resurgant: Lucretius matrem vituli exhibeat; lib. 2.

Nam sæpe ante Deum vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras
Sanguinis expirans calidum de pectore flumen:
At MATER virideis saltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
Omnia conuisens oculis loca, si queat vsquam
Conspicere AMISSVM FOETVM: completq; querelis
Frondiferum nemus adsistens, & crebra reuisit
Ad stabulum, desiderio perfixa iuuenci:
Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes,
Fluminaque vlla queunt summis labentia ripis
Oblectare animum, subitamque auertere curam.

hæc ille lib. 2. & apud Ouidium l. 4. Fast. Ceres amissam filiam quærens, cum Vacca Vitulum suum raptum gemente comparatur,

Vt vitulo mugit sua mater ab vbere rapto,
Et quærit fœtus per nemus omne suos;
Sic Dea non retinet gemitus, & concita cursu
Fertur, & è campis incipit Enna tuis.

312 De piscibus miraculum occinit Oppianus l. 1. Halieut. *inter pisces Delphin quidem excellit amore liberorũ: sic autem etiam alij suam sobolem tuentur: MIRACVLVM autem MARINÆ CANIS est istud; eam sectantur catuli recentes, & ipsis scutum est mater: sed quando trepidant, magnique terrores sunt in mari, tunc liberos INTRA LVMBOS RECIPIT, per eundem meatum, eandemque viam vnde exciderunt nascentes: talem autem la-*

borem afflicta, licet, tamen libenter, sustinet, rursumque infundit liberos visceribus: statim vero remittit eos cum respirarint à timore; hactenus ille; quod Nicodemus haud intelligere potuit, hominem scilicet renasci, cum canis marinæ catuli renascantur quamsæpe; forsan amor canem ad portentum excitat, nequaquam vero hominem, qui passionibus non semel confectus seipsum, liberosque odit, vt perdat: Scholiastes vero inquit, *canis marinus periculo ingruente catulos ore absorbet, atque ita ab iniuria tuetur*, quod & Phile in Iambis testatur: idem de vitulo marino quoque scribit Basilius orat. 7. in Hexæm. & Ambrosius l. 5. Hexæm. c. 3. de alijs quoque piscibus: de Semiuulpe animali indico Ioach. Camer. centur. 2. emblem. 58. cuius lemma est, *custodia tuta*: de Delphinis similia sunt apud Greg. Nazianz. in carmine Nicobuli ad patrem; & apud Olaum Magn. de Balæna l. 21. c. 12. sed pisces qui iterato liberos excipere non valent, ipsos protegunt operosissimis vtique vitæ impendijs, vnde Oppianus inquit, *Talem etiam Squatina liberorum præstat protectionem: at non in ventrem illi est subitio, vt canibus, verum ipsi in lateribus sub cauitate vtrinque sunt sub pinnis, qualis branchia est piscibus alijs, his afflictorum liberorum metum protegit: alij vero rursum suos liberos per os trepidantes receptos seruant, tanquam in domum, aut nidum: Glaucus qui super ouiparos liberos diligit, manet assidue donec nascantur liberi sub ouis, & ipsis adnatat semper: hos autem cum trementes viderit ualidiorem piscem rictu aperto recipit in os donec terriculamentum abscesserit, tum sane respuit ex gula.*

314 Nonnulla ex animalibus zelotypia erga liberos ita laborant, vt equas *Hippomanem* è fronte pullorum deuorare Theocritus, & Archilochus scribant, idque quia sciũt quærì ad Amorem: post Thephrastum, Virg. in l. 4. Aeneid.

Quæritur, & nascentis Equi de fronte reuulsus,
Et matri præreptus amor. — Tibullus,
Et quod ubi indomitis gregibus Venus afflat. Amores
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine Equæ:

ad facinus rem occinit Virgilius georg. l. 3.

Hinc demum Hippomanes, uero quod nomine dicunt
Pastores: lentum distillat ab inguine uirus:
Hippomanes, quod sæpe malæ legere nouercæ
Miscueruntque herbas, & non innoxia uerba.
etiam Læuius apud Apuleium in apolog.
Philtra omnia undique eruunt
Antiphates illud quæritur,
Trochisci, iynges, tæniæ
Radiculæ, herbæ, surculi,
Auræ ilices, bihordilæ
HINNIENTIVM DVLCEDINES.
hanc igitur *carunculam* dum nascitur pullus equa festinans absorbet, ne amores suos alteri tradat, furoremque amatorium vt excitent sibi ipsis curant, vt ament: at hæc sufficiant, vt homines ad pietatis commercia reuocent.

ANIMALIVM RELIGIO ERGA DEVM.

CVPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

315 VLysses apud Plutarchum, (postquam Gryllus superstitiosissimo Circis Philtro in brutum degenerans, illum de virtutibus animalium est allocutus) respondit, *uide ne improbum sit, & uiolentum, rationem animalibus adscribere, quæ notitia Dei carent*; quo argumento Lactantius aduersus Porphyrium, & Seneca contra Epicurum suffulti à ratione, & virtute omnino aliena edixerunt animantia: sed si natura ipsa Deum demonstrat, vt Seneca in qq. nat. docet, à religionis censu animalia absoluere haud suadet ratio: etenim Plutarchū de solert. anim. & Plinium l. 8. religionis animantium meminisse legimus: creuisse insuper hanc philosophantium opinionem nouimus, ex eo quod Xenocrates Chalcedonius in l. de nat. Deor. Solem, & Lunam, ac sidera velut Numina exhibuit, quod Alcmeon Crotoniates, Anaximāder Milesius, ac Brachmanæ Indiæ sapientes pluribus firma-

mariunt: hinc Plinius l. 8. c. 1. commendat in Elephantis, *religionem siderum, Solisque, ac Lunæ uenerationem*: aitque; *Autores sunt, in Mauritaniæ saltibus, ad quendam amnem, cui nomen est Amilo: nitescente Luna noua greges eorum descendere, ibique se purificantes solemniter aqua circunspergi; atque ita salutato sidere in syluas reuerti, uitulorum fatigatos præseferentes.*

316 Deum agnoscunt in ærumnis & obsecrantur, quod Aelianus l. 5. 49. sic refert; *Elephantes quum ex uulnere, siue id in bello, siue in venatione acceperint uicini sunt ad moriendum, aut obuiam herbam, aut proximum pedibus puluerem alleuantes in cælum suspicere, eumque puluerem herbamque facere, & simul uoce sua lamentari, & miserabiliter supplicare tanquam DEVM: ob ea, quæ iniuste, & indigne substinent obtestantes*, nec procul est Deus, vt audiat, eorumque vindicias faciat: etenim Plinius lib. 8. c. 7. in dedicatione templi Veneris Victricis, secundo Pompeij consulatu inquit, *magnum in elephanto miraculum fuit uno ictu occiso: pilum sub oculo adactum in uitalia capitis uenerat: uniuersi eruptionem tentauere*, non sine vexatione populi, circumdati clathris ferreis: *sed Pompeiani*, scilicet elephanti, *amissa fugæ spe misericordiam uulgi inenarrabili habitu quærentes supplicauère, quadam sese lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut oblitus Imperatoris, ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens uniuersus consurgeret, dirasque Pompeio (quas ille mox luit) pœnas imprecaretur.*

317 Nec est quod dicas, auocasse Deum quem ignorabant, cum sacer contextus occinat, *Catuli Leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi*; psal. 103. ad quæ Genebrardus, *quasi Deum agnoscant suum esse genitorem tacito quodam sensu; escam dantem omni carni: quare iuxta Ioelem, suspiciunt in cælum, tanquam aera sitiens aquam tempore famis*: denuo psal. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*. Genabrardus, *suo modo Deum inuocant, quasi nutritorem, dum attollunt uocem, & caput in cælum, ut bestiæ agri*: clamant vtique, tanquam destituti à parentibus,

vti Plinius l. 10. c. 12. Aelianus l. 15. c. 39. Albertus, ac Seruius ex Virgilio referunt, uno teste Græco interprete apud Agellium, quem Chrysostomum alij nuncupant, *quia coruus nullo erga pullos affectu mouetur, eosque negligit, pulli coacti inopia, NATVRALI QVADAM VOCE AD DEVM clamitant*: etenim si Plinio fides, *ore eos parere, aut coire, uulgus arbitratur; ideoque grauidas si ederint coruinum ouum per os partum reddere: atque in totum difficulter parere, si tecto inferantur*. Aristoteles de historia animalium l. 6. c. 6. viginti dies incubare coruum, tum pullos nido expellere testatur: impietas vtique coruo digna! illos nanque reijcit ob ingluuiem ait Chrysostomus, quem sequitur Agellius, sed quid? forsan dum clamant infert molimina Deus vt pereant? nequaquam, sed Cassiodoro, & Hieronymo edocentibus, protinus *cœlesti rore vescuntur*: *clamantibus præ fame pullis, Deus immittit MVSCAS, quæ eos sese in fauces insinuando alant*: inquit Genebrardus ex Rabbinis Kimhi, & Salomone: sũt, qui dicãte os pasci *aura quadã roscida* ait Euthymi. *animacula ex aere uenantur in cibum*, scribit Chrysostomus: *uermes* insurgunt ex his quæ corui ad nidum parant, prodit Seruius in 1. Georg. apud Agellium, quibus pulli vescantur & quod mirum, notat Genebrardus, *miraculum prouidentiæ esse illustrius; quod hæ aues sint multi cibi ob natiui caloris uehementiam*: idque Iob c. 38. 41. petit, *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, uagantes eo quod non habeant cibos?* tempus ex Isidoro Hisp. l. 12. etym. c. 7. & Gregorio perhibent Lyranus, Hugo, & Bonauentura, vt primum, scilicet, ab ouo prodeunt, quia nudi albicant, veluti alterius, & non nigræ parentis soboles destituuntur. Cælius Rodiginus, septem dies antequam plumescant transire scribit; plures numerat Chrysostomus hom. in Eliam proph. vbi ait, *odit prolem suam coruus, & natam non educat*. nam Plinius à nido pullos expulsos tradit: nihilominus ad Deum clamantes reficiuntur. est enim diues in omnes qui inuocant illum.

318 Quid si iureiurando vota persoluant? Deum iurantes auocant, inquit Tullius, & Deo credunt, qui fidem ex

illo percipiunt: de elephantis Plinius l. 8. c. 1. *alienæ religionis intellectu creduntur maria transituri non ante naues conscendere, quam inuitati rectoris IVREIVRANDO de reditu*: num quid intelligunt? affirmat Dio lib. 48. *aiunt Elephantes patriam uocem audire, atque intelligere*: Ælianus l. 4. hist. a. c. 24. *capiunt humanum sermonem Elephantes*: & alibi l. 58. c. 22. *docentur, atque instruuntur ad uaria sermone uernaculo, cuius miro quodam, & ineffabili modo; ac uelut peculiari natura sunt capaces*: sicque, Stratione auctore, cicurantur sermone: Iamblichus in vita Pythagoræ, huius rei meminit, *Vrsam ex Apulia inquilinos sæuissime uastantem detinens (ut aiunt) & nõ exiguo temporis spatio manibus contrectatam cum IVREIVRANDO, quod exegit, se nunquam in posterum animalia inuasuram dimisit, cum uero illa se in montes, syluasque contulisset ulli iniuriam intulit.* hæc ille de Pythagora; enarratque Porphyrius.

Addo religionis exemplar; de Templo Erycinæ Veneris scribit Aelianus, *uictimæ de pecorum gregibus sua sponte accedunt, & aræ stant*. obiter de sacrificijs hinc aliquid disserendum puto; etenim Porphyrius, ex Pythagora, & Empedocle animalium cædem improbat, docetque ex Theophrasto l. 2. de abstinentia, *prima, & antiquissima apud multos sacrificia fuisse Nephalia, quæ nihil aliud erant, quam ex aqua libatio: post hæc Melithosponda, quæ ex melle parabantur, quia hunc primum è fructibus liquorem ab apibus accepimus: deinde Eleosponda ex oleo; & tandem post hæc omnia accesserunt postrema Oenosponda uino iam reperto: id testantur non solum tabulæ in columnis apud Cretenses asseruatæ, quibus ad ueritatem exprimuntur Corybanticorum sacrificiorum ritus, ut præsefert tabularum inscriptio*: de Pythagora Clemens Alexandrinus l. 7. strom. c. 7. inquit, *antiquissimam quidem aram in Delo sanctam uulgo iactarunt: ad hanc autem solam, dicunt etiam accessisse Pythagoram cæde, & morte minime inquinatam*; sed victimas à mundi exordio pecudum obtulisse Abelem Dei monitu, conspicuum est, imo; & Noè post orbis eluuiem hostias cædit, quod sacer con-

contextus Genes. c. 8. sic refert, *ędificauit Noë altare domino, & tollens de cunctis pecoribus, & uolucribus mundis obtulit holocausta super altare: odoratusque est dominus odorem suauitatis, & ait, nequaquam ultra maledicam terrę propter homines*. hinc gentiles ritum suum in altaribus sacrificandi accepisse, tradit Diodorus Tarsensis in cat. græc. sacrificium vero ita accepit, vt per illud vltra orbem nequaquam perdere promitteret, etenim inquit Tertullianus l. 2. adu. Marc. *adoratus est libenter:* Nouatianus de Trinitate, *odoratus est odorem bonę fragrãtię:* Chaldæus, *suscepit Deus cum beneplacito oblationem eius*: ergo aliquod religionis arcanum in hostia est, per quod Deus sibi bene complaceat, dum etiam Dauid inclamat, *tunc imponent super altare tuum uitulum:* cum venerit, scilicet, plenitudo temporis, vitulus Christus dominus, offerens semetipsum pro peccatis nostris erit sacrificium iustitiæ: sic de agno emissario: de oue Ioseph: de ariete Isaac, cæterisque dicendum, vt animalia ab hoc religionis obsequio non excludantur.

ANIMALIVM REVERENTIA erga principes.

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

320 PLinius vir apprime doctus, Elephantorum virtutes enerrans l. 8. c. 1. inquit, *quod ad docilitatem attinet, Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt*: idque ex Aristotele, qui l. 9. h. c. 46. scribit, *multa erudiuntur, & sciunt, quando, & REGEM adorare condiscunt*: Martialis in l. spec. ep. 17. de Domitiani Elephanto;

Quod pius, & supplex Elephas te Cęsar adorat
Hic modo qui Tauro tam metuendus erat,
Non facit hoc iussus, nulloque docente magistro
Crede mihi, numen sentit, & ille tuum.

321 Obsequium erga principes commendat, insuper, Ælianus l. 13. c. 22. *Elephantus Indorum Regem ad forum* eun-

euntem PRIMVS ADORAT, id quidem facere edoctus, nec hoc officium, uel recusat, uel obliuiscitur: uiginti quatuor Elephanti huic Regi permanent custodes alternis uigilijs in stationem succedentes, tanquam ceteri custodes homines: sapientia quadam indica ad uigiliarum disciplinam erudiuntur, ne inter custodias somnum capiant: Hecateus quidem Milesius Amphiaraum Oiclis filium scribit somno oppressum neglexisse custodiam, & tantum non ea passum esse, quę dicit, at Elephanti ad uigilias agendas prestantissimi excubitores, & à somno inuictissimi, & secundum homines fidissimi illic sunt: hæc ille, & vere: quãti Reges periere ob somnum militis? ex Polybio, & Vegetio, qui excubias premunt id collige, nam vt ex sacris hoc petam, 2. Reg. c. 4. *uenientes filij Remmon Berothitę Rechab, & Baana ingressi sunt, feruente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie, & ostiaria domus purgans triticum obdormiuit, & percusserunt Regem in inguine, & fugerunt*: caueant Reges ne dormiant, leonis omen Alexandrum præfuit, fuitque monitum, inquit Arrianus, illum adinstar leonis vel parce, vel nunquã obdormire, dormitat non semel militum fides, vnde Seneca in Hercule Oetaeo,

Tu quicumque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua uulgus in aula
Centum pariter limina pulset,
Cum tot populis stipatus eas.
In tot populis uix una fides.

322 Ideo fortissimus Mitridates cum se periclitantem hominum inter excubias cognosceret, animalium fidem expertus est, qua tutus super vtramque aurem obdormiebat, Aelianus l. 6. c. 46. *Mitridates Ponticus cum somnum caperet, sui corporis custodiam, non modo armis, & satellitibus excubitoribus committebat, sed magis etiam TAVRO, EQVO, ET CERVO, quos mansuefactos habebat: ij enim ad custodiam eius dormientis aduigilantes, si quis accederet illius sensum ex ipsa respiratione, quam mox percipiebat, atque ille mugitu, alter hinnitu, alius sua propria uoce illum à somno excitabat*; dixerat Seneca de clé.

ad

ad milites, *ut somnum Regis nocturnis excubijs munirent, latera obiecti circumfusique defendant, incurrentibus periculis se opponant*; sed animalia id faciunt, & principis quodammodo præsentiam sentiunt.

323 Non tantum domi, sed etiam militiæ principum obsequia præstant, quod Tzetzes chil. 3. h. 112. tradit, *Osymanydas Rex magnus Assyriorum ferum habebat leonem in bello socium, eo quod ipsum nutriuisset, gratiæ memorem*: Plutarchus de animal. solert. elephantum pro Indorum Rege pugnasse scribit, *Porro in pugna contra Alexandrum uulneribus confecto elephantus sensiter, & leniter, multa spicula promuscide extraxbit, & ipse iam male affectus, non prius tamen procubuit, quam sensit Regem exanguem delabi; tum demum ne corrueret paulatim sese dimisit, vt Rex commodius ad solum se inclinare posset*: ob hanc solertiam Aelianus Elephantos *Chirurgos* nuncupauit, l. 7. c. 45. & principum curam erga animantium obsequia retulit.

324 Addo ex Acosta de aromat. exemplum, quod fidem superet, *erat in vrbe Cochin Elephas, qui operas diurnas præbere solitus ad portum, & res marinas: eum forte iam fessum vrgebat, nihilominus vrbis eius Præfectus, vt Liburnicam, quam commouere cœperat deduceret porro in mare: ille abnuere: instare alter multis, blandisque verbis, & ad extremum IN GRATIAM LVSITANI REGIS, vt id vellet orare: Hic, (immane dictu) Elephas motus clare hæc duo verba ingeminat, Hoo Hoo, quod Malabarum lingua est, volo, volo: ac sine mora Nauim traxit in mare*. vere, immane dictu, etenim Nauim, quã fessus trahere recusabat ob Regis nomen in mare traxit; at auget portentum Ælianus h. a. l. 6. c. 7. vbi Cornicem Regis mandata solitam adamussim perficere scribit, *ad nuncupatum Lacum Myridis in Ægypto vbi Crocodilorum oppidum est, CORNICIS sepulchrum ostenditur, cuius causam Ægyptij eam afferant, quod eorum Rex Marres nomine Cornicem valde cicurem habuerit: quæ postquam audisset quo perferenda esset epistola, mox quo volatus dirigendus, & quænam Regio transeunda, & vbi terrarum*

bb re-

requiescendum esset cognouerit, eoque Regis litteras ocyus, quam quiuis nuncius perferre solita sit, eam mortuam, & sepulchri honore, & cippi à Rege affectam aiunt. id antea de columbis apud Persas noueram: nunc cornix euolat boni ominis aues, eamque Regis imperium fideliter tulisse, imo & audiuisse mandatum, facinus censeo memoria dignum.

ANIMALIVM OBSEQVIVM erga homines.

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

325 NOn immerito Philostratus Lemnius, quem Photius laudat, in vita Apol. Tyan. *Elephantos secundos ab homine ponit*: etenim si Plinio fides l. 8. c. 4. *mirum in plerisque animalium scire quare petantur, sed, & per cuncta, quid caueant: Elephas homine obuio, forte in solitudine, & simpliciter oberrante, clemens placidusque etiam demonstrare viam traditur: idem vestigio hominis animaduerso priusquam homine, intremiscere insidiarum metu, subsistere ab olfatu, circumspectare, iras proflare, nec calcare, sed erutum proximo tradere, illum sequenti, nuncio simili vsque ad extremum, & tunc agmen circumagi, & reuerti, aciemque dirigi, adeo omnium odori durare virus illud maiore ex parte ne nudorum quidem pedum: sic & Tigris etiam feris cęteris truculenta, atque ipsa Elephanti quoque spernens vestigia, homine viso transferre dicitur protinus catulos: quonam modo agnito? vbi ante conspecto illo, quem timet? etenim tales syluas minime frequentari certum est: sane mirentur ipsam vestigij raritatem, sed vnde sciant timendum esse? imo vero cur vel ipsius cōspectum paueant, tanto viribus, magnitudine, velocitate praestantiores? nimirum haec est natura rerum, haec potentia eius, saeuissimas ferarum, maximasque nunquam vidisse, quod debeant timere, & statim intelligere, cur sit timendum*; haec Ille, & postea Nissenus, & Basilius in Hexam.

xæm. ad hominis præstantiam idipsum referunt, eiusque expresse imperium perhibent.

326. Iuba, quem sæpe Damis, & Philostratus hac in palæstra auocant, tradit, elephantos immissos à Boccho Rege, vt in homines sæuirent renuisse illos configere, quod enarrat Plinius lib. 8. c. 5. Aristoteles l. 9. c. 36. h. a. societatem hominum in piscando cum lupis refert, ex quo Antigonus in hist. mir. Plinius, & Ælianus l. 6. cap. 65. inquit, *secundum Mœotidis Paludis locum Canopium nuncupatum, Lupi cum piscatoribus studiose versantur*: Plinius l. 9. c. 8. in prouincia Narbonensi, & in Nemausiensi agro est stagnum *Laterra* appellatum, *vbi cum homine Delphini societate piscantur*: Antigonus in hist. mir. c. 34. scribit, *in Thracia homines, & accipitres societatem aucupij seruare*: Plinius etiam l. 10. 8. *super Amphipolim homines, atq; accipitres societate quadam venantur*: eodemque modo, leonum meminit Diocles.

327. Quid societatis monumenta memorem, cum ab incunabulis animalia homini dedisse vbera nouimus? traditque Hyginus fab. 252. *Telephus Herculis, & Auges filius nutritus fuit à Cerua: Ægisthus Thyestis, & Pelopia filius ab Capra: Æolus, & Boetus Neptuni, & Menalippes filij à Vacca: Hippothous Neptuni, & Alopes filius ab Equa: Romulus, & Remus Martis, & Iliæ filij à Lupa: Antilochus Nestoris filius expositus in Ida Monte à Cane: Harpalice Harpalici Regis Amymneorum filia à Vacca, & Equa: Camilla Metabi Regis Volscorum filia ab Equa*:





sic impietatem hominum damnat animalium pietas. de Cyro inquit Ctesias l. 1. damnatum fuisse ab Astyage, qui vitem in somnis viderat è naturalibus filiæ enatam, cuius palmites Asiam obumbrarent, vnde Tertulliano auctore, Medorum illi imperium futurum auspicarentur, ob id ait Iustinus l. 1. *Natus infans datur occidendus Harpago Regis omnium consiliorum participi. is veritus si ad filiam mortuo Rege venisset imperium, eo quod nullum Astyages virilis sexus genuerat, ne illa necati infantis vltionem, quam à patre non potuisset, à ministro exigeret, Pastori Regij pecoris puerum exponendum tradidit: forte eodem tempore, & ipsi pastori filius natus erat: eius igitur vxor audita regij infantis expositione summis precibus rogat. fatigatus pastor reuersus in syluam inuenit iuxta infantem CANEM FOEMINAM paruulo vbera prabentem, & à feris, & alitibus defendentem, motus etiam ipse misericordia, quâ motam ipsam canem viderat, puerum defert ad stabulum, eadem cane anxie prosequente.* sic vides animalium amores erga homines, eosque præcipuè, quos homines perdere laborant; sed hac de re vide *nostrum Romulum lib. 1.*

328 Dracones insuper amorem sentiunt, & amant; hinc Aelianus l. 6. h. a. c. 63. inquit; *Draconis catulus cum infante Arcade, & ipse in Arcadia natus simul educatus perhibetur, deinde etiam cum progressu ætatis et puer iam adolescens & Draco iam grandior esset mutuum seruabāt amorem, adolescentis vero necessarij quum feram vidissent, tam breui tempore, vt magnitudine pragrandem ita aspectu immanem euasisse: dormientem aliquando cum puero eodem in lecto in locum quam remotissimum deportarunt: eoque illic relicto cum puero redierunt. mansit igitur in syluis Draco nascentibus illic herbis, & venenis vescens, & solitariam vitam domicilijs, & habitationibus hominū praferens, postquam vero adiecto tempore, & puer iuuentutem, & Draco ætatem perfectam attigit: idem hic Arcas iuuenis quum per desertam sui amantis regionem aliquando iter faceret in latrones incurrens, strictis gladijs appetitus fuit; & percussus quidem, siue quod doleret, siue*

quia opem imploraret, auxilium, vt par erat exclamauit: Draco autem bestia, & ad audiendum acerrima, & ad videndum acutissima postquam puerum cum quo amoris consuetudinem habuerat exaudiuit, edito sibilo, tanquam irę sua denunciatione formidinum terrorem illis iniecit, cuius metu trepidantes scelerati, alij aliò disperguntur: quosdam deprehensos acerbissima morte affecit: deinde vt VETERIS AMICI VVLNERA PVRGAVIT, & per loca illa in quibus serpentes erant ipsum est comitatus, postea ad eum locum reuertit quo expositus fuerat, neque tamen ei ex eo iratior factus est, quod in solitudines abiectus fuisset, neque vt peruersi homines antiquum amicum in periculo deseruit: hæc ille, & de Pindo, qui Draconis consuetudine vtebatur à fratribus interfecto ab eoque defenso, ac ploratu maximo vsque ad funus expetito, scribit l. 10. cap. 48. imo & Draconem cum puellis familiariter euntem demonstrat l. 11. c. 16. & de Thoante in Arcadia à Dracone seruato scribit Democritus apud Plinium l. 8. c. 17.

319 De Elephantorum Amore erga homines scribit Iuba Mauritaniæ Rex, & Philostratus, inter quos Plinius l. 8. c. 5. inquit, *traditur Elephantus amasse quandam in Aegypto corollas vendentem: ac ne quis vulgariter dilectam putet, miretur gratam Aristophani celeberrimo in arte grammatica: alius Menandrum Syracusanum incipientis iuuenta in exercitu Ptolomei desiderium eius, quotiens non videret inedia testatus. & Vnguentariam quandam dilectam Iuba tradit: omnium amoris fuerunt argumenta gaudium à conspectu, blanditiæque incondita, stipesque quas populus dedisset seruata, & in sinum effusa: nec mirum esse amores, quibus sit memoria: idem nanque tradit, agnitum in senecta multos post annos, qui rector in iuuenta fuisset*; similia de Leone, Vrsa, ac Pardali scribunt Albertus, Apollodorus, & Aristoteles, quos vide.

320 Transeo ad Aues, de quibus Antigonus in histor. mir. inquit, *de Coys, Lycum narrare, in Diomedea insula Erodios à Medis, si quis ad ea loca perueniat non modo tāgi se pati sed, & in gremium deuolare, & blande adulari, & perhibere indigenas socios Diomedis in eam auem fuisse*

transfor-

transformatos; hæc ille ex Aristotele, & Plinius l. 10. 44. *Græcis adulari* scribit; de ijsdem Augustinus l. 18. ciu. D. c. 16. idem refert, & Isidorus, *proprius accedere, et blandiri græcis*, & ipse firmat, vnde consuetudinem, & amicitiam vides; quid si Aquila bibentis poculum tollat, vt à veneno ac morte subleuet? imo columba Noè amica sanctos in arca reuisit; & Cicada amores suos non distulit, etenim scribit Timæus, *venisse Delphos à Rhegio Aristonem, à Locris Eunomum, citharædos: ijs de sorte controuersiam incidisse, cum ille sibi potiores partes vindicaret, quod tota Rheginorum Colonia esset Delphis, et Deo auspice deducta: hic verbis insectaretur, et non conuenire ijs cythara canere diceret, apud quos ne Cicadæ quidem canerent: cæterum Rhegino in certamine laudem inueniente, Eunomus Locrensis hac de causa vicit: cum caneret, Cicada in lyram ipsius inuolans cecinit, ad quod factum concio clamorem sustulit, et victorem pronunciauit*. hactenus ille apud Antigonum hist. mir. c. 1. mirum est, quia teste Plinio l. 11. c. 27. *in Rhegino agro silent cicadæ omnes ultra flumen in Locrensi canunt*; firmatque Pausanias in Eliac. Eustathius in Dyonisium, & Strabo l. 6. accidit hoc rupta ex fidibus vna, inquit Clemens in Protreptico, cæterum vide Aelianum h. a. l. 5. c. 19. & Strabonem.

331 Piscibus etiam inest amor, & amicitia erga homines, docetque Ptolomæus. & Plinius ex Democrito lib. 9. c. 8. inquit, *Delphinus non homini tantum amicum animal, verum & musicæ arti, mulcetur symphonia cantu, & præcipue hydrauli sono: HOMINEM NON EXPAVESCIT VT ALIENVM, obuiam nauigijs venit, alludit exultans, certat etiam, & quamuis plena præterit vela: D. Augusto Principe Lucrinum lacum inuectus pauperis cuiusdam puerum ex Baiano Puteolos in ludũ literarium itantem, cum meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine, sæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat allexisset miro amore dilexit*. amores eorundum cecinerũt quamplures, inter quos Mecœnatis, & Flauiani, & Flauij Alphij monumenta carminum recensentur; sed quia infra de Delphino plura scripsimus, sufficit nunc ex Tzetze picturam

turam amoris promere, formosum scilicet adolescentem, pingunt, sagittarium, igniferum, alatum, qui manu altera Delphinum, altera herbam teneat: vnde Alciatus, ex Lycophrone,

Nudus amor viden', vt ridet placidumque tuetur?
Altera sed manuum flores gerit, altera pisces,
Scilicet, vt terra iura det, atque mari.

de Pompylo Ælianus lib. 2. h. a. c. 15. ait, *circum naues altum secantes tanquam amicas concursant, easque huc illuc saltantes stipant*. videndus Athenæus lib. 7. ex Dionysio Iambo, & Callimacho: & Apollonius Rhodius, siue Naucratites, asseruit aliquando *pompylum hominem fuisse*, tanto amore illos prosequitur: saltem Epimenides Cretensis *sacros pisces* illos nuncupat: & Pancrates Arcas, *Neptuno sacros*, ac incolis Samotraciæ Dijs prodit: de quo Oppianus cecinit;

Tuque comes ratium, tractique per æquora sulci
Qui semper spumas sequeris Pompylo nitentes.

332 Sicque omnia animalia amicum hominem reuerentur, secus autem si quandoque ob salutis incolumitatem vel fugiant, vel pugnent: amant præcipue domesticos, enarratque Plinius lib. 8. c. 59. *Quædam animalia indigenis innoxia, aduenas interimunt: sicut serpentes parui in Tirynthe, quos terra nasci proditur; item in Syria angues, circa Euphratis maxime ripas dormientes Syros non attingunt, aut etiam si calcati momordere, non sentiuntur maleficia, alijs cuiuscunque gentis infesti, auide & cum cruciatu exanimantes: quamobrem, & Syri non necant eos: contra in Latmo Cariæ monte Aristoteles tradit à scorpionibus hospites non lædi, indigenas interimi*: Augustinus de Auibus Diomedis l. c. *eò si græci venerint, vel græcorum stirpe progeniti non solum quietas esse, verum, & adulari: si autem alienigenas viderint, subuolare ad capita, tamque grauibus ictibus, vt etiam perimant, vulnerare*: sicut homines hostes expellere procurant, suis de sedibus anxij, ita & animalia loci, hominumque plurimum lares diligunt, pro quibus valide pugnant: qua de re vide Aristotelem, & Ælianum l. 9. c. 39. & Antigonum histor. mir. c. 11. & 12. & 19. Sed

333 Sed non ita crudeliter cætera se gerunt, etenim inquit Ælianus l. 12. c. 23. *in Elymaa Regione Adonidis est Templum, & in eo mansueti leones, qui homines templum ingredientes tanquam salutatos adulando excipiunt, eos si ad cibum aduoces, tanquam inuitati conuiuæ adsunt, & quidquid porrexeris postquam acceperint modeste, & decenter abeunt*; imo ad Heroum gloriam accedunt animantia, illosque præ hominibus laudant: vnde Marsilius in Lesbiacis scribit, *in Regione Antissea, quo loco aiunt sepultum esse Orphei caput, Luscinias, quam alibi melius canere*: idq; refert Antigonus in hist. mir. c. 5. ibi etenim Pausanias in Boet. sepulchri Orphei meminit; at de capite Hyginus inquit, *Orphei caput in mare de monte perlatum fluctibus in insulam Lesbum est reiectum, quod ab his sublatum, & sepultura est mandatum*. vatem homines interemisse nouimus, illudque immortalitatis decus aues dulcissimæ laudant.

334 Tandem suppliciter vidimus animalia ad hominem, velut ad sacram aram confugere: de *Ceruis* Plinius l. 8. c. 32. *urgente vi canum, vltro confugiunt ad hominem:* habes etiam ex Suetonio in Aug. Liuiam post Augusti nuptias Veientanum suum reuisisse, ibique tum illi *gallinam albam*, quæ ramulum lauri rostro tenebat à præteruolante Aquila, quæ illam rapuerat, in gremium demissam: inde pullorum multitudine villam illam Gallinarum nomine dixerunt, & ex surculo Lauretum: Ælianus l. 1. c. 6. scribit, *Glaucam citharedam à Cane amatam fuisse, audio: alij dicunt non à cane, sed ariete: alij ab ansere: atque apud Soles Ciliciæ ciuitatem, puerum cui nomen esset Xenophon Canis amauit, aliumque adolescentem in Spartam ob speciem Graculus amauit*: tandem Plinius concludit, necessitatis vim animalia sæpissime, vt ad hominem recurrerent compellere: & Nissenus ob reuerentiam erga homines fugere, veluti terrorē sentirent, quo natura hominem subijcit imperio.

DE CVRA, ET SAPIENTIA ANIMALIVM erga catulos, ex Apollonio Tyaneo.

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

335 Ira animalium ſolicitudo erga catulos, etenim admiranda orbis colligunt, vt ſuam quæque ſobolem defendant, ſcribunt ex antiquis Democritus, Calliſthenes, ac Oppianus miracula hæc ſolertiæ, quæ Ælianus lib. 1.cap. 35. ſic prodit, *faſcinantium oculos etiam rationis expertes beſtiæ natura quadam arcana, & mirabili cauent; nam Palumbi, vt audio, faſcinationis amuletum laurinos ramulos tenues primum colligunt, deinde ad cuſtodiam pullorum in nidos imponunt: Milui Rhamnum*: *Circi Cichorium ſylueſtre*: *Turtures Iridis fructum*: *Corui Viticem*: *Vpupæ Adiantum, quod & callitrichum aliqui vocant*: *Cornix Ariſtereona, ſiue Verbenam*: *Ardeolæ Cancrum*: *Perdices barundinis comam legunt*: *Turdi ramo Myrti*: *gramine Alauda ſe tuetur*: *Aquila gentili ſuo lapide Aetite, quem & mulieribus commodum eſſe, & abortibus aduerſari prædicant.*

336 Hinc Damis deſcribit animalium ſapientiam, ac prudentiam ex eo Apollonij Tyanei oraculo, cuius verba Philoſtratus l. 2. c. 7. refert, *cum videret Apollonius Elephantos Indum flumen tranſeuntes, (erant autem circiter triginta, & duce vtebantur eo, qui inter ipſos minimus erat, maiores vero ipſorum ſuper dentium eminentias pullos geſtabant, promuſcide tanquam vinculo ipſos complectentes) hæc inquit ò Damis, nullo iubente ex ſe ipſis naturali quadam SAPIENTIA, & PRVDENTIA faciunt: vides enim quo pacto ſarcinarum vectores imitati, ſuos deſerant pullos vinculis, ne forte cadant: quid igitur ſibi vult inſana quorumdam ſolicitudo inaniter quærentium, naturalis ne ſit, at non erga filios beneuolentia? hoc enim ele-*

elephanti etiam clamant à natura ipsis talem beneuolētiam dotatam: neque enim id sicut alia quædam ab hominibus didicere: hi nanque cum hominibus non vixerunt, sed natura ducuntur, vt ament, quod pepererunt: propterea illis prouident, eosque nutriunt: verum non Elephantis dumtaxat hoc est dicendum, quos ego secundos ab homine pono: sed hoc magis in VRSIS admiror, qui cum feritate cæteras belluas superent, pro catulis tamen omnia faciunt: itidem quoque faciunt LVPI rapinis semper intenti: fœmina autem custodit, masculus pro catulorum salute cibos ad ipsam defert: idem etiam PANTHERÆ faciunt, quæ propter caliditatem matres fieri gaudent: & tunc maribus dominari volunt, ac domui præsidere, mares vero patienter omnia sustinent propter catulorum amorem: de Leænis autem huiusmodi sermo narratur, ipsas amorem in sui Pardos trahere, eosque in leonum cubilibus suscipere, vbi vero se eorum concubitu grauidas sentiunt ad mōtes confugiunt, & Pardorum consueta loca sequuntur: pariunt autem maculosos catulos: propterea in auijs, & densis syluis occultatos nutriunt, simulantes venationis causa à maribus abesse: Leones enim si forte catulos viderint eos lacerant, ac discerpunt, tanquam adulteram sobolem: animaduertisti etiam vtique in Homericorum Leonum aliquo, vt pro suis catulis torue intueatur, & vires ad prælium colligat: TIGRIM quoque insigni crudelitate animal ferunt, in hac ipsa regione, et ad naues vsque penes rubrum mare habitantium procedere catulorum repetundorum gratia, illisque receptis cum gaudio abire, quod si ablatis catulis abeuntes naues aspiciat, mœstam in littore vlulare, quandoque etiam ob doloris magnitudinem mori: AVES quoque quis non videat pullorum causa multa facientes, velut Aquilas, ac Ciconias? quæ nunquam nidos extruunt, quin lapides illis imponant, hæc quidem à se aquilinum vocatum, illa vero Lychnitem appellatum, vt oua fœtum producant, & serpentes nidis non appropinquent, quod si maritimas etiam belluas consideremus, nec admiremur Delphinas, quod cum benigni existant, suos amant fœtus, sed BALAENAS, & PHOCHAS, & cæ-

 tera,

terra, quæ fœtus viuentes edunt quomodo non admirabimur? cum ergo in Ægis insula viderim Phocam à piscatoribus comprehensam, mortuum filium, quem in carcere (vt sic dicam) pepererat ita deplorare; vt triduo à cibis abstinuerit; quamuis omnium belluarum voracissima sit: Balæna autem faucibus filios abscondit, si quando maiorem belluam fugere contigerit: VIPERA etiam visa est serpentes, quos peperit lingua lambere, & quasi expolire, non enim assentior imprudenti eorum sermoni, qui dicunt viperarum filios absque matre nasci: neque enim hoc natura patitur, neque comprobat experientia: (tum Damis,) cōcedes igitur, inquit, Apolloni, Euripidis Iambicum laudare, in quo Andromacham talia dicentem inducit;

Cunctis hominibus liberi ANIMA, & vita sunt:

concedo inquit Apollonius; scite enim sapienterque dictum videtur; sed verius multo sapientiusque dixisset, si de omnibus animalibus eandem protulisset sententiam;

Animantibus cunctis ANIMA sunt filij.

hæc ille: quæ Aristoteles, Oppianus, cæterique perhibent.

337 Sed quia nostri orbis monumēta dedimus, noui orbis nōnulla dicem⁹ rest apud Patagon es animal quod vides,



cum à venatoribus vrgetur, sua pellis gratia, inquit Theuetus c. 56. *catulos suos in dorsum admissos, cauda ampla, longaque tegit, & fuga labitur. itaque dolo scrobe effossa, & frondibus obtecta vna cum catulis capitur*: renuit parens absque sobole vitam, & fugit, simulque pondere prauolat, vt simul cum illa quiescat.

338 Gillius etiam de altero scribit, *Payram regionem lustrantes, bestiam dicunt se vidisse quadrupedem, ex anteriore parte vulpem, ex posteriore Simiam, praterquam quod humanis pedibus sit, & noctua auribus: & subter communem ventrem, instar marsupij alium ventrem gerat, in quem tandiu eius catuli occultantur, dum tuto exire, & sine parentis tuitione cibaria inquirere possint*, similiter Pinzonus in nauigationibus suis, id refert: Chiurcam, siue Chuciam è Mustelino genere India occidentalis mittit, animal quod eodem modo filios suos fert, illud Cardanus ostendit, mediumque inter Leporem, & Vulpem, quod Scaliger duodenos parere tradit: at Gesnerus *Semiuulpem* primum nuncupauit, forsan quia Simiam, vulpemque ostentat, vt vides.



Insuper Petrus Bembus in hist. Veneta l. 6. de nouis insulis,

scribit, *animal ex sylua nutriunt cuniculi magnitudine, gallinis infestissimum, cuius quidem fœmina loculum habet è pelle vtero adnexum, quasi vterum alterum fœcundum vberibus, in quo catulos secum gestat, emittitque cum vult: itaque cum animal noxium videt, si venatores adesse intelligit, catulos recipit, & inclusos fugiens aufert.*

339 Habes ergo solertiæ, & pietatis documenta, quæ Pelicanus, auesque, imo & scorpio pro filiorum incolumitate, dum ignem petunt demonstrāt. sed audi patrem, qui est in cœlis clamantem apud Oseam c. 13. v. 3. *ego quasi Nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quod curarem eos:* alluditque id quod in Deuter. c. 1. Moyses inquit, *portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum in omni uia per quam ambulasti donec venires ad locum istum:* sensus est, cum corruissent post peccatum impij, qui sedebant in tenebris, & vmbra mortis, Deus pater misericordiarum super pedes gratiæ, sua ope, illos firmauit vt ambularent vsque ad montem Dei Oreb. sic RR. Abraham, Salomon, Pagninus, & Vatablus legunt *assueseci ire super pedes:* ob id Dauid Kimhi, *quasi nutrix assueseci illos ambulare:* nec est quod aues glorientur de sua erga pullos pietate, & si Aquila illos, teste Hieronymo, vt á venatoribus seponeret super alas imponat, ac volitet, etenim hebræorū ad populum Dominus *expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.*

DE IVSTITIA ANIMALIVM.

CAPVT XXXV.

340 
Rande illud elogium quod Tullius ex Temistocle in 2. officiorum edidit, *fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ est iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile:* hinc arguitur Carneades, qui teste Nonio, & Tullio in 3. de Rep. *iusti-*

iustitiam esse summam stultitiam inferebat: & Lucius Furius, qui apud D. Augustinum 2. c. D. c. 21. illam *domesticum detrimentum* nuncupabat; eius verba refert, castigatque Lactantius, *omnes & homines, & alias animantes ad vtilitates suas natura ducente ferri, proinde aut nullam esse iustitiam, aut si sit aliqua summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret alienis commodis consulens: & inferebat argumentum: omnibus populis qui florerent imperio, & Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est si aliena restituant ad casas esse redeundum, & in necessitate ac miserijs iacendum, &c.* sed abscedat ostentatio hominis, etenim melius est nuditatem præferre, imo & mortem, quam aliena rapere, & alteri iniuriam inferre.

341 Animalia nunc hominem doceant; namque Plinius l. 8. c. 5. in elephantis, inquit, *Iuba tradit diuinationem quandam iustitiæ, cum Bocchus Rex triginta elephantis totidem in quos sæuirent instituerat stipitibus alligatos obiecisset, procursantibus inter eos, qui lacessere, non potuisse effici, vt crudelitatis aliena ministerio fungerentur.*

342 Sed vt à iustitia commutatiua incipiamus, Cleanthes in bestijs illam commendat, præcipue vero in formicis, quod Aelianus l. 6. c. 50. sic perhibet, *Cleanthem hac de formica historia coegit, & inuitum, & fortissime contradicentem, bestias concedere rationis non expertes esse: nam eum aliquando otiosa sessione fruentem, ferunt formicas, quæ quamplures ad eius pedes essent, animo cœpisse vacuo, & soluto contemplari, alteras nimirum vidisse aliunde Mortuam in alienarum domicilium, & suarum minime contubernalium portãtes in formicariæ cauernæ faucibus consistere: atque inde continuo alteras perspexisse prodire, & cum externis uelut quiddam contrahentes iterum, & sæpius, vltro citroque commeare, denique lumbricum tanquam redemptionis pretium attulisse, eumque alteras accepisse, & simul quam ferrent mortuam dimisisse: alteras cum gaudio, & libenter similiter atque, vel fratrem, vel filium recepisse: quid ad hæc dicet Hesiodus? qui scripsit Iouẽ naturam distinxisse, bestijsque terrenis,*

aqua-

aquatilibus volucribus dedisse, vt & inter se conficerent, & nec quidem mutua inter se IVSTITIA vterentur, hominibus autem iustitiæ munus largitum fuisse: at qui non hæc dicet Priamus, siquidem is ipse homo ab homine, & Heroe, et ex Iouis stirpe oriundo, ipse quoque Iouis progenies multa Hectorem pecunia redemit. vidisti pietatem erga defunctam, & pretium pro redemptione, & labore illam portantium! D. Thomas 1. p. q. 21. a. 1. docet virtutem distributiuam esse virtutem, quæ dat vnicuique secundum suam dignitatem.

343 Si alterius vtilitatem iustitiæ oculus in virga æquitatis prospicit, ex piscibus exemplum prodit Plinius de delphino lib. 9. c. 8. *ipsi quoque inter se publica est societas, capto à Rege Cariæ, alligatoque in portu Delphino ingens reliquorum conuenit multitudo, mœstitia quadam, quæ possit intelligi, miserationem petens, donec dimitti Rex eũ iussit; quin, et paruos semper aliquis grandior comitatur, vt custos; conspectique sunt iam defunctum portantes ne laceraretur à belluis*: de elephantis itidem Iuba retulit, simul pugnare, pro infirmis, ac vulneribus fessis, vsque ad uitæ discrimen vrgere certamen: nec fuga salutem propriã quærere, ne multitudo reliqua conficiatur. sic Ambrosius ser. 16. in psal. 118. *sola iustitia est quæ omnibus temporibus, aliis potius nata, quam sibi quotidiano usu, et fructu publico, suo damno alienas custodit utilitates, quæ nihil habeat utilitatis, et plurimum laudis.*

344 Sed Theages Pythagoreus, Xenophon, Plato, & Aristoteles, vti nouimus, iustitiæ sedem in Reipublicæ legibus, ac pietate feliciter ordinatã sanxerunt: nihilominus Salomon sapientissimus animalium vniones, & Basilius, ac Ambrosius, imo antea quamplures Rempublicam in nonnullis ex animalibus admirati sunt: adest Aelianus, qui ex Aristotele APVM Remp. offert l. 5. c. 11. *Apum Regi curæ est modum aliis statuere, & ordinem; alias enim aquari iubet, alias intus fauos fingere, extruere, expolire, suggerere, alias vero ad pastiones proficisci; mutationem operarum, & uicissitudinem munerum faciunt, prouectæ ætate probe ad id delectæ sunt, ut domi se teneant; Rex ip-*

-sam, *se*

se satis habet illa curare, quæ ante dixi, & leges sancire perinde ut summi principes, quos Philosophi, uel politicos, uel regios nominare solent; cæterum munerum operosorum immunitatem habens ab laborando quiescit. quod si migratio potius ad usum sit, quam mansio, tum Rex pergit emigrare, ac si ab ætate firmus sit, antecedit examen Dux ad proficiscendum; reliquæ eius ductu sequuntur: sin ætate affectus sit, cæteris apibus uehitur. signo dato somnum capiunt, cum tempus est ad quietem proficisci, una quæpiam a Rege iubetur somni significationem dare, quæ simul ut ad dormiendum signum sustulit, statim eæ somnum accipere pergunt: quoad Rex uiuit, tandiu examen pace fruitur omnique ordinum perturbatione caret: fuci suis cellis libenter se continent: seniores suum locum habent, natu minores item suum, et Rex separatim a reliquis habitat, soboles quoque apum seorsim: excrementa in locum separatum congeruntur: Rege extincto omnia perturbantur, et peruertuntur; fuci in apum cellis pariunt, atque ita miscentur omnia ut examen omnino deterius habeat: denique Regis defectione, ac inopia pereant. pure, et munde uiuunt apes; nullius animalis carnes edunt, neque tamen ad hanc cautionem Pythagoræ admonitio ijs opus est: satis habent floribus uesci: et quum maxime frugales ac temperantes sint, libidinem, et delicias odio persequuntur: cuius uti testimonio est, quod unguento delibutum insectantur, et tanquam hostem, qui nefarium quippiam admiserit exagitant: ac complexu ueneris recentem cognoscunt atqui illum sicut hostem insequuntur, fortibus nihil concedunt, neque ab animalium ullo refugiunt, neque timiditati cedunt quo minus aggrediantur. cum ijs qui sibi molesti non interueniunt, quique nec malitiose nec dolose alueos adeunt pacem seruant, fœdereque deuinciuntur, contra inexplabile bellum cum interpellantibus, et uexantibus gerunt, mellis populator in hostium numero, locoque ducitur; Vespas acerrime uerberant: eas aliquando Equum iuxta aluearia. Aristoteles affirmat non modo fortissime inuasisse, sed etiam interemisse; hactenus ille

345 Apum monumenta dedimus, vt iustitiam animan-

tium

tium exhiberemus: etenim Aristoteles l. 1. h. a. c. 1. Apes inter *animalia politica* recenset: Didymus apud Geopon. *politia huius animalis similis est Reipublicæ bene institutarum vrbium*. etiam Theodoretus ser. de prouid. inquit, *politicam vitam Apum examina imitantur*, at præcunctis D. Ambrosius l. 6. Hexam. c. 21. legum, & Reip. describit sanctiones, *Nunc age quæ Aues velut quandam Rempublicam curare videantur expediam, atque vitæ huius ætates agere sub legibus, hic enim Reip. vsus est leges omnibus esse communes, atque obseruari eas deuotioni communi; vno omnes teneri vinculo, non alteri ius esse, quod alius sibi intelligat non licere: sed quod liceat, licere omnibus: & quod non licet, omnibus non licere: esse etiam communem reuerentiam patrum, quorum consilio Resp. gubernetur, commune omnibus vrbis domicilium, communis conuersationis officium, vnum præscriptum, omnibus vnum esse consilium; magna hæc, sed quanto in Apibus præstantiora, quæ sola in omni genere animantium communem omnibus sobolem habent: vnam omnes incolunt mansionem: vnius patriæ clauduntur limine, in commune omnibus labor, communis cibus, communis operatio, communis vsus, & fructus est, communis volatus, ipsæ sibi Regem ordinant, ipsæ sibi populos creant, & licet positæ sub Rege, sunt tamen liberæ*: Aristoteles l. 1. Ret. c. 13. ex Sophocle, de Polynicis sepulchro, & Empedocle, quod iustum, etiam commune, ac semper tale demonstrat: & pluribus Aristippum cõfodit, mutabile ius omne edocentem; sicque Rempublicã Apum vidimus, & iustitiæ domicilium, & leges communiter acceptas. canitque Virgilius in Georg. & Plinius.

346. Nouimus subiectum iustitiæ distributiuæ remotum ex D. Thoma, & Simplicio, ac Themistio esse Principem, quod etiam in subditis posse reperiri testamur; ideoque Elephanti vni obediunt dum pugnant, vel flumina transeunt: Grues vnam sequuntur auem, cui & obtemperant: Cerui, & Apes ducem, ac Regem præferunt. de quibus Virgilius l. 4. georg.

Sin autem ad pugnam exierint (nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu)

Tum

Tum tepidæ inter se coeunt, pennisque coruscant,
Spiculaque exacuunt rostris aptantque lacertos:
Et circa Regem, atque ipsa ad prætoria densæ
Miscentur magnisque uocant clamoribus hostem.

de Grue Antigonus c. 46. inquit, *esse Gruibus ducem, et reliquas quidem dormire capite subter alam abdito, DVCEM nudo capite prospicere, et si quid sentiat clamore alijs signum dare.*

347 Ad iustitiam pertinere animæ, ac vitæ culturam ait Lactantius l. 3. inst. c. 18. & antea Plato in Phedone, vnde à Porphyrio lib. 4. de abst. damnantur Brachmanum, & Indorum Gymnosophistarum oracula, quibus licere animā educere suadebant: sic etiam impie Cato, & Cleombrotus Ambraciotes perlecta Platonis de immortalitate animorū disceptatione confecère animas: pungitque Tertullianus, Cleopatram c. 4. ad Martyras, laudatque ex aduerso feras, *utique horridiores aspides serpentes, tauro, uel urso, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perueniret.* sed stulte sæuit in seipsam, & iustitiæ monumenta deijcit; nec audiendus Zeno, vel Chrysippus, cuius sensa Seneca prodit lib. 3. de ira c. 13. *non consolabimur tam triste ergastulum, non adhortabimur ferre, imperia carnificum, ostendemus in omni seruitute apertam libertati uiam: si æger animus, et suo uitio miser est; huic miserias finire secum licet; dicam et illi, qui in Regem incidit, sagittis pectora amicorum petentem, et illi cuius dominus, liberorum uisceribus patres saturat: quid gemis demens? quid expectas, ut te, aut hostis aliquis per exitium gentis tuę uindicet, aut Rex à longinquo potens aduolet? quocumque respexeris, ibi malorum finis est; uides illum præcipitem locum? illac ad libertatem descenditur; uides illud mare, uides illud flumen, illum puteum, libertas illic in imo sedet:* hæc, sed male Seneca: Martialis aduersus Stoicos l. 11. ep. 41. occinit,

Rebus in angustis facile est contemnere uitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

348 Ideo belluas laude extollimus, quæ pro tuenda vita, fugiunt hominum sedes, inquit Plutarchus de anim.

folent. nonnullæ homines adulantur, vt vel precibus absoluantur & viuant: sic de Delphino Regis Cariæ Plinius: & Demetrius feram Philinum obsecrasse ob catulos in scrobe delapsos scribit: Iuba vero Leonem quendam ad hominem diuertisse, vt spinam à pede euelleret: Elephanti Romanorum populum deprecabantur, vt à Pompeiana venatione illos emitterent: at alius quis enumeret? de perdice Antigonus hist. mir. c. 45. *perdices si quis eorum pullos venetur, ante uenatorem prouolui, veluti caduco laborantes morbo, itaque eum trahere, dum effugiunt pulli*: vulpes marinæ, teste Aristotele, apud Antigonum c. 34. *cum sentiunt se hamum deglutiisse, sursum efferri, ac funem mordicus rumpere*: quid si apud Plutarchum viscera eijciant, resumantque vt viuant? Polypus coram piscatore colorem immutat, ait Oppianus, & lapidum colorem callide imitatur: *capras syluestres sagittis ictas, dictamum quærere*, scribit Antigonus c. 36. *utpote quæ herba uim teli expellendi habere uideatur*; imo quæ scripsimus fere omnia ad vitæ animantium adscribi possunt effugium: & vt iustitiæ partes omnes recenseamus, teste Plutarcho in Gryllo, omne bonum amplectuntur, malumque effugiunt animantia.

DE ANIMALIVM FORTITVDINE.

CAPVT XXXVI.

349 Ortitudinis commendationem legimus apud Xenophontem, & Platonem in Apol. pro Socrate; & Aristoteles 3. eth. c. 9. inquit, *quamuis circa fiducias, & timores versetur fortitudo: non simili modo tamen in vtrasque, sed in timendis rebus magis spectatur; qui enim in his imperturbatus fuerit, sicatque debet se gesserit, is magis est fortis, quam qui in illis, quæ fiduciam offerunt: tollerandis igitur molestis rebus, homines for-*

fortes dicuntur, unde etiam molesta res est fortitudo, & merito laudatur, quippe cum molesta sustineret, quam à iucūdis abstinere difficilius sit: at Tullius sapienter in 1. de offic. scribit, *fortes, & magnanimi sunt habendi non qui faciunt, sed qui propulsant iniuriam: vera autem, & sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria iudicat, principemque esse mauult, quam videri:* hactenus ille, iuxta Sallustianum illud ex Ennio, *esse quam videri bonus malebat:* quod Aristoteles 1. pol. & Homerus in Odys. occinunt.

350 Hinc animalium fortitudinem Gryllus Plutarchi ad Vlyssem demonstrat, dicens, *si placet primo loco fortitudinem considera, ob quam tu superbis, neque pudori tibi ducis, quod audax, & domitor vrbis appellaris: cum quidem dolis improbissime, & technis homines simplicem ingenuumque belli, modumque callentes fraudis, & mendaciorum rudes deceperis, ac virtutis nomen versutiæ indas, quæ minime versutiam admittit, at qui brutorum inter se, & aduersum homines certamina uides vt sine arte, ac fraude aperta, & nuda, cum virium fiducia peragantur, vt suo freta robore se defendat, neque legem vocantem ad pugnam, neque pœnam desertæ militiæ metuentia; sed quia natura metuunt superari vsque ad extremum perdurantia inuicta, non enim vincuntur quando corpore superantur, neque despondent animum, sed inter pugnandum moriuntur; ac multis dum moriuntur, robur, & ira ardor in vnam aliquam corporis partem recedentia, atque coeuntia interficienti resistunt, subsultantque, & fremūt donec ignis instar prorsum extinguantur & pereant; nulla hic deprecatio, nulla misericordiæ imploratio, neque victa se fatentur, neque leo leoni ob fortitudinem seruit, aut equus equo: sicut homo homini seruit, ac facile amplectitur timiditatis affinem seruitutem.* hæc ille, & Seneca simulque Stoici omnes id ipsum premunt.

351 Itaque si Aristoteles 3. eth. c. 6. inquit, *ille proprie vir fortis dicetur, qui circa præclaram mortem impauidus fuerit, circaque ea quæ mortem afferunt, cum proxima*

 sunt:

sunt: belluarum hanc gloriam fortitudinis recenseo, scribit nanque Plinius l. 8. c. 16. de Leone, *illa nobilior animi significatio quamlibet magna canum, & venantium vrgente vi, contemptim, restitansque cedit in campis, & vbi spectari potest: idem vbi virgulta syluasque penetrauit acerrimo cursu fertur, velut abscondente turpitudinem loco: dum sequitur insilit saltu, quo in fuga non vtitur. vulneratus obseruatione mira percussorem nouit, & in quantalibet multitudine appetit: eum vero qui telum miserit, sed tamen non vulnerauerit, correptum, raptatumque sternit, nec vulnerat: cum pro catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expauescat*. vides in vna bellua quanta sint fortitudinis exempla?

352 Rhinocerotis fortitudinem enarrat Iob c. 39. *numquid volet Rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? num quid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringens glebas vallium post te? num quid fiduciam habebis IN MAGNA FORTITVDINE EIVS, & derelinques ei labores tuos? num quid credes illi, quod sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?* errant, qui ex Hieronymo, Philippo Abbate, & Alberto, Monocerotem, cum Rhinocerote confundunt; sic aduersus Mircionem Tertullianus Rhinocerotem, Vnicornum nuncupat; eodem pacto errasse asserimus Iustinum Martyrem dial. cont. Thyphonem, Clementem Alexandrinum l. 1. pæd. c. 4. & Genebrardum in psal. 28. si gemina in Rhinocerote cornua crediderunt, etenim describitur à Plinio l. 8. c. 8. *iisdem ludis & Rhinocerotes, vnius in nare cornu, qualis sæpe visus, alter hic genitus hostis elephanto: cornu ad saxa limito præparat se pugnæ, in dimicatione aluum maxime petens, quam scit esse molliorem*: fortitudinis eius monumentum tradit Martialis in lib de spect. ep. 9.

Præstitit exhibitus tota tibi Cæsar, arena,
Quæ non promisit prœlia Rhinoceros.
O quam terribiles exarsit pronus in iras?
Quantus erat cornu, cui pila Taurus erat?

id ipsum Ouidius occinit, ac cornu de vno meminit; infra vero Martialis epig. 22. inquit, *Nan-*

Nanque grauem gemino cornu sic extulit Vrsum
Iactat ut impositas Taurus in astra pilas?

germinum si ad cornu respicit, ex Pausania, vnum in naribus, alterum superne exurgit validissimum, sed exiguum in humeris; cuius fortitudo seruitutem omnem excludit, quod potentissimorum hominum esse Seneca promit.

353 Hinc sequitur Gryllus Plutarchi, & iuxta Iobi præstantissimum oraculum, animalia de fortitudine extollit, quia seruitutis reluctant constantissime obsequium, *quæ animalia homines tendiculis, aut dolo ceperunt, si iam adulta sunt; inedia ac siti mori malunt, quam seruire: pulli: & catuli ob ætatem tenelli, ac deceptu faciles, multis isque fallacibus illecebris, atque inuitamentis, tanquam ueneficio deliniuntur, ut contra naturam gustatis uoluptatibus elanguescant tempore, sustineatque eam, quæ cicuratio dicitur, cum sit effeminatio ferociæ natiuæ: unde maxime patet bruta natura ad audaciam procliuia; hominum uero confidentiam præter naturam esse: in brutis namque natura paria ad robur momenta in utroque posuit sexu, ut fœmina mari nihil concedat, uel in tollerandis necessarijs laboribus, uel in propugnando pro fœtu: sic Suem Cromyoniam celebrari audis, quæ multum negotij Theseo exhibuit: in Phycio Sphyngem: Vulpem etiam Telmesiam: Pantheras insuper, & Leænas uidisti nihilo masculis ferocia, & robore inferiores; cum tua uxor, te belligerante ad focum desideat, & quidem ea Spartana est, ne Caricas tibi, aut Mœonidas mulieres obijciam; ex his liquet homines non naturali esse præditos fortitudine: sed legum necessitate coactos meditari fortitudinem.*

354 Hanc brutorum fortitudinem commendat Aelianus l. 6. c. 1. vbi ex Plinio, & Aristotele, inquit, *homines ut boni, ac fortes uiri sint, hortatione egent, & suasionis oratione plena, quæ & metum tollat, & addat animos,* (idque probatur ex concionibus Cyri apud Xenophontem, & Alexandri Macedonis, quas Arrianus, & Curtius recensent,) *Athletæ quidem ad stadia hortandi sunt, milites ad arma: Robore non item extrinsecus assumpto BESTIÆ egent, at ex sese potius uires incitant, & semet confirmant,*

mant, APER quidem pugnaturus ad lapides leues, ac politos dentes exacuit, quod Homerus etiam non ignorauit; LEO ne quid ignare faciat flagellans semetipsum cauda excitat, Homero itidem teste: ELEPHANTI ad certamen, ut incendantur promuscide sese uerberant, neque ad hoc ipsum cuiusquam egent preceptis, neque Tyrtęi uersibus, ut animentur opus habent: TAVRVS gregis dux cum ab alio fuerit duce superatus, se in quendam locum ab alijs segregat, & semetipsum non alieno impulsu, sed sua sponte exercet, atque omni contentione cornibus, calcibus, unguibus certat, cornua quidem in arbores infligit, pedibus puluerem spargit, cęterisque exercitationibus sese accommodat, à uaccis se continet, sicque à uenere abstinet, & libidini suę moderatur: hæc ille, nec procul ab oraculo Pauli, *qui in stadio currunt, & ab omnibus se abstinent*; Iccum Palæstritam Tarentinum, Plato, toto certaminis tempore omnis coitus expertem permansisse affirmat: sic Amœbeus citharœdus à formosissima vxore se abstinuit, & Clitomachus Pancratiastes, sed illi in Olympicis fortitudinis monumenta quærebant, vt Isthmica pino, Pythia lauro, Oleastrio olympica triumphantem coronarent, at Taurus tantummodo fortitudinis virtutem æmulabatur, pro qua adinstar palæstritæ laborabat.

355 Addit Plutarchus, *denique si fortitudine uos pręire brutis putatis cur poetę uestri, eos qui optime in hostes pugnant, luporum, leonum, aut Apri robore similes perhibent? cum uicissim nemo leonem homini animo, uel robore similem dicat: sed nimirum sicut ueloces dicunt uentorum celeritatem in pedibus habere, sic etiam pugnacium similitudinem à prestantiore dicunt*: sic Virgilius Turnum fortissimum ducem cum Tauro, (de quo paulo ante dixeram) 12. Aen. comparat,

His agitur furijs totoque ardentis ab ore
Scintillę absistunt, oculis micat acribus ignis:
Mugitus ueluti cum prima in prœlia Taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, uentosque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

cx

ex ipso Ouidius in lib. 12. metam orph.

Haud secus exarsit, quam circo Taurus aperto
Cum sua terribili petit irritamina cornu.

Horatius od. 16. l. 1. de fortitudine nostra occinit,

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, & insani LEONIS
Vim stomacho apposuisse nostro.

ab Euripide Orestes, & Pylades fortissimi dicuntur *Leones:* de Achille antea Homerus Iliad. 20.

Ceu LEO, quem iuuenes infestis undique telis
Per campos agitant, quem si quis uulnere læsit
Viribus, atque animis audacior, ocyus illum
Appetit ore fremens, & hianti gutture spumans.

356 Accedit fortissimorum laus, & gloria brutorum, ex eo quod homines in pugna, vbi fortitudinis experimenta demonstrant, ijsdem sæpissime vtuntur, vt vincant: cecinitque Lucretius lib. 5.

Tentarunt etiam Tauros in munere belli,
Expertique Sues sæuos sunt mittere in hosteis,
Et ualidos Parthi præ se misere Leones
Cum ductoribus armatis, sæuisque magistris,
Qui moderarier his possent, uinclisque tenere.

sic trophæa Imperatorum ex animalium spolijs decorasse veteres apud Herodotum nouimus: & Herculis effigiem in numo exhibeo. vnde





vnde conspicuum fit fortitudinem apud bruta commendabilem esse; nihilominus ne infatuatum me quisque credat Clementem Alex. auoco l. 7. strom. c. 6. *Nullus citra rationem fortis, est cognitione præditus: nam pueros quoque si sic dixerit aliquis fortes, qui quæ sunt formidabilia sustinent, propter eorum quæ sunt grauia, ignorationem: ignem quidem sic tangunt: & feras quæ in hastas incurrunt cum sint fortes citra rationem, uocauerint ratione præditas. fortassis etiam hi quoque fortes dicent præstigiatores se in gladios rotantes, qui ex quadam experientia propter vilem mercedem malam artem exercent; qui est autem vere fortis, cum propter multorum inuidiam, & æmulationem, manifestum videat periculum, quod accedit, confidenter accipit.*

BRVTORUM CERTAMINA.

CAPVT XXXVII.

357 

B Ape ad Aquilam, vetus sermo, & à formica ad Elephantum, differendum innotuit; vnde Ambrosius lib. 5. Hexæm. c. XXI. inquit, *quid aliud est fauus, nisi quædam CASTRORVM species? quæ castra quadrata tantum possunt habere artis, & gratiæ quantum habent crates fauorum, in quibus minutæ, ac rotundæ cellulæ connexione sui inuicem fulciuntur? quis enim architectus eas docuit hexagonia illa cellarum indiscreta laterum æqualitate componere, ac tenues inter domorum septa ceras suspendere?* ex his cellulis tanquam à castris prodeunt; ibi castra tenent, & militares excubias, audi Plinium l. 11. c. 10. *interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec vna excitet gemino, aut triplici bombitu, vt buccino aliquo*: sic ad bellum pergunt, occinitque Virgilius l. 4. Georg. *—Nanque morantes*

Martius ille æris rauci canor increpat, & vox

Au-

Auditur fractos sonitus imitata tubarum:
Tum tepidæ inter se coeunt, pennisque coruscant:
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos:
Et circa Regem, atque ipsa ad prætoria densæ
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem:
Erumpunt portis; concurritur, æthere in alto
Fit sonitus magnum mistæ glomerantur in orbem,
Præcipitesque cadunt, non densior aere grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis:
Ipsi per medias acies insignibus alis
Ingentes animos angusto in pectore versant:
Vsque adeo obnixi non cedere dum grauis,
Aut hos versa fuga victor dare terga coegit.

358 Grande in paruis certamen, causamque prodit Plinius l. 11. c. 17. *si defecerit alicuius aluei cibus impetum in proximas faciunt rapinæ proposito: at illæ contra dirigunt aciem, & si custos adsit, alterutra pars, quę suis fauere sentit, non appetit eum: ex alijs quoque sępe dimicant causis, easque acies contrarias duo Imperatores instruunt: maxime rixa in conuehendis floribus exorta, & suos quibusque euocantibus, quæ dimicatio INIECTV PVLVERIS, AVT FVMO tota discutitur: reconciliantur vero LACTE, vel AQVA MVLSA:* cuncta dirimit puluis, fumus omnia soluit; in vtroque timor, & inde obsequium, Varro, *iaciundo in eas puluerem perterritas, quo voluerit perducet;* non pluribus indigebis si puluerē habere festines, spiritus concupiscit aduersus carnem, caro aduersus spiritū, memento creatoris tui, qui in puluerem reducet te, & pax erit de cœlo in virtute Dei, recte Virgilius,

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
PVLVERIS EXIGVI iactu compressa quiescunt;

359 Solent victores non semel victos ad luxum perdere, vt vel sic viuant bello mortui, idque Iustinus l. 1. ex Trogo, *occupato in alijs bellis Cyro, rebellauere Lydij, quibus iterum victis arma, & equi adempti: iussique Cauponias, ludicras artes, & lenocinia exercere, & sic gens industria quondam potens, & manu strenua, effœminata mollitie, luxuriaque virtutem pristinam perdidit.* de Si-

baritis, & Messenijs idipsum legimus, at bruta ab homine, an à brutis hæc homo didicit? mirum de Ichneumone scribit Ælianus l. 10. c. 47. *Ichneumoni vtriusque sexus participi à natura tributum est, vt & suo semine grauiditatem, & partum alijs afferat, & ipse quoque ventrem ferat, & ex sese pariat: qui in PVGNA qua inter se pugnant victi fuerint ea bellicæ offensionis nota inurūtur vt & INVILIOREM SEXVM censeantur, & muliebria patiantur: contra ij, qui ex bello superiores euaserunt victos subigunt, & simul suo semine implent: at victi ex ea male à se pugnata pugna, hoc præmio afficiuntur, vt & partus dolores sufferant, & ex patribus qui iam ante fuissent, matres reddantur.*

360 At ne ante pugnam canamus victoriam, quæ Frontinus, Vegetius, Onosander, Polianus vel quispiam alius stratagēmata edidit, ac duci in certamine detulit, sapienter brutorum agmina demonstrarunt. nec parum est pugnasse, cum Plinius de Gallis gallinaceis l. 10. 21. scribat, *ex his quidam ad bella tantum, & prælia assidua nascuntur, quibus etiam PATRIAS NOBILITARVNT, Rhodum, ac Tanagram: Pergami omnibus annis spectaculum gallorum publice editur, ceu gladiatorum*: at VIGILANTIAM docent Grues, de quibus Antigonus c. 46. ait, *esse ijs ducem, & reliquas quidem dormire, capite subter alam abdito: ducem nudo capite prospicere, & si quid sentiat, clamore alijs signum dare*; de Alexandro hæc Arrianus, de Hercule, ille apud Plutarchum de solert. anim.

Ducit soporem, dextra lignum premens:

idem inquit, *Ichneumon parum differt ab induto thoracem ad prælium milite, tantum sibi cani circumdat, tamque sibi densum sibi circumfigit tunicam aggressurus crocodilum*: de quo etiam Plinius l. 8. 24. scribit, *notum est animal hac gloria maxime, in eadem natum Aegypto, mergit se limo sæpius, siccatque sole: mox vbi pluribus eodem modo se corijs lorica uit in dimicationem pergit, in ea caudam attollens, ictus irritos auersus excipit: donec obliquo capite speculatus inuadat in fauces.*

361 Pugnam Aquilæ cum Tauro exhibet Aelianus l. 2. c. 39.

c. 39. hanc Chrysaeton, vel Stellatem Aristoteles nuncupat, & in Creta Tauros inuadere, in quorum ceruicem volitantem crebras, acerrimasque plagas rostro infligere: tunc currit taurus, cumque ad præcipitem, ac decliuem locum deuenerit, explicatis in orbem alis, aquila illius oculos tegit, sicque cadit Taurus, & victrix aquila illo vescitur: alteram Draconis cum Aquila pugnam cecinit Homerus Iliad. 12. quem vertit Tullius 2. de diuin. & teste Macrobio Virgilius expressit l. 11. Aeneid.

Vtque volans alte raptum cum fulua Draconem
Fert Aquila, implicuitque pedes, atque vnguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squammis, & sibilat ore,
Arduus insurgens; illa haud minus vrget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis.

Gerionis cum Hercule certamen prodit? Ouidius 5. met.

Denique nitentem contra, elabique volentem
Implicat vt serpens, quem Regia sustinet ales,
Sublimemque rapit, pendens caput illa pedesque
Alligat, & cauda spatiantes implicat alas.

362. Sed nequaquam semper victus Draco perit; cessisse Aquilæ vnguibus, parum est, si Elephanto præstet: Pliniū audio, qui l. 8. c. 12. inquit, *Draco iter ad pabula speculatus ab excelsa se arbore inijcit, sic ille imparem sibi luctatum contra nexus; itaque arborum, aut rupium attritum quærit; cauent hoc Dracones, ob idque gressus primū alligant cauda: resoluunt illi nodos manu, at hi in ipsa nare caput condunt, pariterque spiritum præcludunt, & mollissimas lancinant partes: ij dem obuij deprehensi inaduersos erigunt se, oculosque maxime petunt, ita fit vt plerumque cæci, ac fame & mæroris tabe confecti reperiantur; quam quis aliam tantæ discordiæ causam attulerit, nisi naturę spectaculum sibi paria componentis? est et alia dimicationis huius fama: Elephantis frigidissimum esse sanguinem ob id æstu torrente pręcipue à Draconibus expeti, quamobrem in amnes mersos insidiari bibentibus, arctatisque illigata manu in aurem morsum defigere, quoniam is tantum locus defendi non possit manu; Dracones esse tantos, vt*

totum sanguinem capiant, itaque elephantos ab ijs ebibi, siccatosque concidere; & Dracones inebriatos opprimi commorique, hac in re impresiam edidi hoc lemmate, *ero mors tua*, per Draconem mortem, scilicet, aduersus Christum, (qui ab Eucherio elephanto comparatur,) nitentem intelligens: alibi emblema dedi, in fœneratores inscriptione adiecta, *nimium sitientes mortem ebibunt*: at satis.

363 Concludo cum Tullio l. 1. de officijs, brutorum non esse verum certamen, rationemque adduco, vt scias verum quale sit bellum; *expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo: sed cauendum ne id bellandi magis fuga, quam vtilitatis ratione faciamus: bellum autem ita suscipiatur, vt, nihil aliud nisi pax quæsita videatur: fortis vero animi, & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu reijci, vt dicitur, sed præsentis animi vti consilio, nec à ratione discedere, quanquam hoc animi, illud etiam ingenij magni est percipere cogitatione futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit in vtramque partem, & quid agendum sit, cum quid euenerit, nec committere aliquid, vt aliquando dicendum sit NON PVTABAM: hæc sunt opera magni animi, & excelsi, & prudentia, consilioque fidentis, temere autem in acie versari, & manu cum hoste confligere immane quiddam, & BELLVARVM simile est: sed cum tempus est necessitasque postulat decertãdũ manu est, & mors seruituti, turpitudiniq; anteponẽda*: hæc ille ex Scipione Aphricano, qui teste Maximo Valerio l. 7. c. 22. turpe esse aiebat in re militari dicere non putaram: & Seneca l. 2. de ira 31. Fabio id ascribit, Plutarchus Iphicrati. tandem licet Gryllus Plutarchi hoc ad calliditatem & animi imbecillitatem reijciat; nihilominus, recte Tullius omnem belli seriem exhibuit ex Aristotele, & Platone de legibus.

364 Attamen, obseruant in pugna animalia loca quæ facile feriant. sic Rhinoceros aluum Elephanti: Draco eiusdem aures: Xiphia, Canis marini ventrem: Ichneumon Crocodili ora: Amiæ Delphini caudã: Aquila Tauri oculos: Canis Apri aurẽ: Leo Vrsi caput: Hyœna hominũ tempora, sicque astu pugnant, & superant. DE

DE PVGNA FERARVM IN CIRCO.

CAPVT XXXVIII.

365 On semel Senecam, Romanorum voluptates velut impias damnasse compertum est: etenim vel in conuiuijs, vel in spectaculis ferarum, hominumque cædes peragebantur; Silius lib. 1. Bel. pun.

Quin' etiam exhilarare viris conuiuia cade
Mos olim, et miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro sape, et super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

Suetonius, Liuius, Nepos, ac Dio multitudinem exhibet fere incredibilem, de Nerone Suetonius c. 12. *exhibuisse ad ferrum quadringentos senatores, sexcentosque Equites Romanos, et quosdam fortuna, atque existimationis integra, ex ijsdem ordinibus, confectoresque FERARVM, et varia arena ministeria:* Dio *sexagenos* denuo pugnasse scribit: sic Gordianus, Capitolino teste, per singulos menses ludicra hæc impietatis dedit: Titus gladiatores, Venatus, Naumachias, per centum dies obtulit, si Dioni fides: Traianus, ipso Dione auctore, *spectacula centum, et viginti dierum edidit, in quibus FERAS, CICVRESQ; ANIMANTES interdum mille, interdum ad decem millia interfecta sunt, gladiatorum autem decem millia pugnarunt:* superauit, ille qui pius princeps ferebatur, Othonem, qui duo millia gladiatorum contra Vitellium armauit: Gordianum, qui *Gladiatorum fiscalium paria mille* dedit: & Tiberium, qui, vt Suetonius scribit c. 61. *mille vno die abiectos, tractosque exhibuit, interque eos pueros, et fœminas:* quid plura? Lipsium vide l. 1. c. 11. sat. & mira scelerum facinora deprehendes.

366 Plinius l. 8. c. 16. de pugna leonum sic scribit, *leonum simul plurium pugnam Roma princeps dedit Q. Scauola P. filius in Curuli Aedilitate: centum autem iubatorum primus omnium L. Sylla, qui postea Dictator fuit in pratu-*

ra:

ra: post eum Pompeius M. in Circo dc. *in bis iubatorum* cccc iv. *Cæsar dictator* cccc. de Pantheris c. 17. inquit, *Senatus consultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere: contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius Trib. Plebis, permisitque Circensium gratia importare: primus autem Scaurus Aedilitate sua varias cl. vniuersas misit: dein Pompeius* M. cccccx. *D. Augustus* ccccxx. *idem Q. Tuberone Fabio Max. Coss.* iv. *Non. Maias Theatri Marcelli dedicatione TIGRIN primus omnium Romæ ostendit in cauea mansuetam, D. vero Claudius simul quatuor.*

367 Martialis in Domitiani venatione de vrso ep. 11.

Præceps sanguinea dum se rotat vrsus arena
Implicitam perdidit ille fugam:
Splendida iam tecto cessent venabula ferro,
Nec volet excussa lancea torta manu:
Deprendat vacuo venator in aere prædam,
Sic captare feras aucupis arte placet.

de Sue icta, quæ incolumes emisit filios ipsa mortua, fabulam Bacchi expendit, idem Martialis epigr. 12.

Inter Cæsarea discrimina sæua Diana
Fixisset grauidam cum leuis hasta suem,
Exilijt partus miseræ de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori voluisset saucia telis
Omnibus, vt natis triste pateret iter:
Quis negat esse satum materno funere Bacchum
Sic genitum Numen credite, nata fera est.

denuo de spect. 16. de Tauro in arena lusit,

Raptus abit media, quod ad æthera Taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora Taurus,
At nunc Alciden Taurus in astra tulit.
Cæsaris, atque Iouis confer nunc stemma iuuentus,
Par onus vt tulerint, altius iste tulit.

sic blanditur Domitiano, Herculemque nuncupat, qui Taurum è Creta in Atticam ducens eius dorso insedisse dicitur.

368 Pergit Plinius, l. 8. c. 7. de Elephantorum pugna inquit,

quit, *Clara est vnius è Romanis dimicatio aduersus elephantum: cum Annibal captiuos nostros dimicare inter se coegisset, nanque unum qui supererat obijcit Elephanto, & ille dimitti pactus si interemisset, solus in harena congressus magna Pœnorum dolore confecit: Annibal, cum famam eius dimicationis contemptum allaturam belluis intelligeret equites misit, qui abeuntem interficerent: proboscidem eorum facillimo amputari. Pyrrhi præliorum experimenti patuit. Roma pugnasse Fenestella tradit, primum omnium in circo Claudij Pulchri Aedilitate Curuli M. Antonio A Posthumio Coss. anno vrbis sexcentesimo quinquagesimo quinto; item post anno* xx. *Lucullorum aedilitate curuli, aduersus Tauros: Pompeij quoque altero consulatu dedicatione templi Veneris victricis, pugnauere in Circo viginti, aut ut quidam tradunt* xvii. *Gætulis ex aduerso iaculantibus, mirabili vnius dimicatione, qui pedibus confossis repsit genibus in cateruas, arrepta scuta iaciens in sublime, quæ decidentia voluptati spectantibus erant in orbem circumacta, velut arte, non furore belluæ, iacerentur: Magnum & in altero miraculum fuit, vno ictu occiso, pilum sub oculo adactum, in vitalia capitis venerat. uniuersi eruptionem tentauere, non sine vexatione populi circumdati clathris ferreis, qua de causa Cæsar dictator, postea similem spectaculum editurus, euripis harenam circumdedit: quos Nero princeps sustulit, equiti loca addens. sed Pompeiani omissa fugæ spe, misericordiam vulgi, inenarrabili habitu quærentes supplicauere, quadam sese lamentatione complorantes: tanto populi dolore, vt oblitus Imperatoris, ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens vniuersus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit pœnas, imprecaretur; pugnauere, & Cæsari dictatori tertio consulatu eius, viginti contra pedites quingentos: iterum totidem turriti sexagenis propugnatoribus, eodem qui prioris numero preditum; & pari equitum ex aduerso dimicante: postea singuli, principibus Claudio, & Neroni in consummatione Gladiatorum.*

369 Obseruo *populi dolorem* dum elephanti lamentatione quadam se complorarent, etenim Seneca ep. 7. de *spec-*

spectaculis meridianis, quo tempore Gladiatorum pugna dabatur, inquit, *casu in meridianum spectaculum incidi, lusus expectans, & sales, & aliquod laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant: contra est: quicquid ante pugnatum est, misericordia fuit, nunc omissis nugis uera homicidia sunt: nihil habent, quo tegantur, ad ictus totis corporibus expositi: nunquam frustra mittunt manum, non galea, non scuto repellitur ferrum: quo munimenta? quo artes? omnia ista mortes mera sunt: mane LEONIBUS, ET URSIS homines, meridie spectatoribus suis obijciuntur. interfectores interfecturis iubentur obijci, & victorem in aliam detinent cadem: exitus pugnantium mors est: hæc fiunt dum vacat harena*: mane cum bestijs certabant, denuo post meridiem bestiarum victores sese nudi conficiebant: vides pugnam ex antiquo numo.



recte Ammianus l. 14. *Constantium damnat, diritatis eius erat hoc quoque indicium non obscurum nec latens, quod ludicris cruentis delectabatur, & in Circo sex, vel septem aliquotiens uetitis certaminibus pugilum uicissim sese concidentium, perfusorumque sanguine, specie, ut lucratus ingentia letabatur.*

370 Quid si in conuiuijs tanta cædes? de Heliogabalo Lampridius, *strauit sibi triclinium in summo Lusorio, et dum pranderet noxios in venationes ibi exhibuit*: Lipsius,

Lu-

Luſorij nomine locum ad hunc ludum deſtinatum, ex Salniano Maſſilienſi, & Herodiano prodit, in vrbe autem plures eiuſmodi ludi, nominibus ſuis noti, & diſcreti; quorum in P. Victore mentio; & paſſim in marmoribus priſcæ vrbis, *Ludum Gallicum: Ludum Dacicum: Ludum Magnum: Ludum Mamertinum: Ludum Matutinum*: apud Horatium etiam, *Ludum Aemilium*: in matutino beſtiarum pugna feruebat; cæterum vbique hominum cædes, vnde Prudentius Principem obſecrat,

Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litare:
Nullus in urbe cadat, cuius ſit pœna uoluptas:
Iam ſolis contenta feris infamis arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

ſic, Tertulliano auctore, Mercurio, Dianæ, ac Iouis fratri, proprie litabant, diabolo: vnde Porphyrius immanitatem hanc crudeliſſimam Deorum iras excitaſſe ſcribit, ſicut Plinius in Pompeium elephantorum lacrimas fluxiſſe tradit.

BRVTORVM ARTES, ET INGENIVM.

CAPVT XXXIX.

371 Plutarchus, vbi animalium ſolertiam prodit, Autobulum introducit, qui ad Soclarem demonſtret ingenium brutorum ad omnes artes directum, & capax, etenim in brutis, *expectationem, memoriam, propoſitum, apparationem, ſpem, metum, cupiditatem* agnoſcit, *& ſenſum*, imo iuxta Stratonis phyſici orationem, *neminem ſentire abſque mente* probat, quia oculus, vel auris abſque mente nec audit, nec percipit, ſicut de Cleomene fertur, qui, cum in conuiuio commendaretur quoddam carmen, interrogatus, an ſibi videretur eſſe præclarum, *vos videritis iſthuc*, aiebat, *mihi animus erat in Peloponneſo:* ſic qui extaſim patiuntur, vti Abarides, & Hermotimus Clazomenius, apertis oculis nequaquam proſpiciunt, quia animus applicatione alibi valide fertur; hinc concluſionem colligit, *ſi diſpoſitum eſt à natura, vt intelligendo ſentiamus, neceſſe eſt omnia, quæ*

Vu ſen-

sentiunt intelligere: nec abest à Cleanthis sententia, qua brutorum monumenta ratione insignita perhibet, eodemque pacto, quo hominum præclarissima nonnulla ingenia, alia vero rudi organo stultissima recensentur.

372 Et SCRIBERE bruta nonnunquam didicisse compertum est. Mucianus asserit, *Elephantum græcas literas scribere didicisse, eaque lingua scripsisse, ipse ego hæc scripsi, & spolia Celtica dicaui*. hæc ille apud Plinium lib. 8. Apollonius Tyanæus, quem Philostratus refert, *scribunt elephanti, atque tripudiant, & ad fistulam saliunt*: de Cynocephalis Ælianus l. 6. h. a. 10. inquit, *animalia disciplina idonea hæc esse percepi, Cynocephalos ægyptij literas, & saltare, & tibiam inflare, & pulsare citharam docebant*: &c. enarratque Pierius lib. 6. vbi scribit, *quoddam eorum genus literas callere Aegyptij existimabant, seque illis ob literarum cognitionem cognatos esse*: sed ne rudes caracteres brutorum exaratos solertia credas, testatur Aelianus lib. 2 c. 11. *ego ipse vidi quendam elephantum in tabula literas Romanas promuscide scribentem, recte, & non contorte, quin etiam cum scriberet oculi eius cum rigore deiecti in tabulam erant, vt plane intentos diceres, & scriptitantes*: Lipsius sic vertit, sed mala fide, vt videre est in versione Gesneri, & Gillij.

373 Personam in theatris agere quam sæpissime compertum est. Plutarchus de soler. anim. ait, *alij in elephante hæc admirantur, quæ discens, & condocefactus ostentat: figurarum formas, scilicet & immutationes tanta varietate, & subtilitate, non facile vt humana meditatione retentione, ac memoria possint æquari*; Aelianus opportune etiam scribit, Tiberio principe, *duodecim elephanti inducti sunt, induti floridas, & histrionias vestes: ac primum ad vocem magistri diuidebantur in diuersas Circi partes, inter eundum molli, & saltatorio gressu inundantes, iterumque ad eandem vocem coibant, & efficiebant saltatorium quendam orbem; sed & flores spargebant, & corollas, & ad cantum terram pedibus leuiter, & numerose pulsabant, & omnia præstabant, quæ peritissimi ludiorum*.

374 Vocem humanam ediscunt, & loquuntur. Plutarchus

chus l. c. *Sturni, Corui, Psittaci, quando loqui discunt, vocisque spiritum, ita facilem fictu doctoribus præbent: videntur mihi inter dicendum patrocinari alijs animalibus, ac nos quodammodo docere, etiam eius quæ viua voce exprimitur, & articulatæ orationis partem ipsis esse:* de Hyæna Plinius l. 8. c. 30. *maxime sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicuius addiscere, quem euocatum foras laceret;* sed Leucrocutę ibid. cap. 21. naturam, vocemque prodit, *Leucrocutam pernicissimam feram, asini feri magnitudine, cruribus ceruinis, collo, cauda, pectore leonis, capite camelino, bisulca vngula, ore ad aures vsque rescisso, dentium locis osse perpetuo, hanc feram HVMANAM VOCEM, tradunt, imitari:* idipsum de Crocuta refert deinde c. 30. Cæsaris Coruos, cæterasque aues seponimus: quid si Acosta Elephantos loqui scribat, inter sese sermocinari elephãtos Oppianus occinit at ille elephantũ ingeminasse *Hoo, Hoo, quod Malabarũ lingua est volo, volo* refert: prodigia non attingo, namque Plinius l. 8. 41. ait, *canem locutum in prodigijs, (quod equidem annotauerim) accepimus: & serpentem latrasse cum pulsus est Regno Tarquinius;* de Psittaco Papinius l. 2. syluarum ad Meliorem cecinit,

Psittace Dux volucrum, Domini facunda voluptas:
Humanæ solers imitator Psittace linguæ:
Psittacus, illa plaga viridis regnator Eoa,
Quem non gemmata volucris Iunonia cauda
Vinceret aspectu, gelidi non Phasidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuere sub Austro
Ille salutato Regum, NOMENQ; LOCVTVS
Cæsareum, queruli quondam vice functus amici.

375 Fabulas ex hominum vestigio repræsentare tradit Plutarchus de an. soler. *canis erat Mimo cuidã, qui tũ fabulam perplexam, multarumque actione personarum constãtem docebat, is canis cum alios gestus referebat, rebus & motibus animorum propositis respondentes: tum facto periculo in ipso de veneno, quod soporem afferret, sed lethale videri ex ipso argumento fabulæ debebat, panem in quo id exhibebatur accepit, & postquam edisset, paulo post simi-*

lem se tremebundo labascenti, ac caput ob grauitatem sub-stentare nequeunti prabuit; denique se tanquam extinctum protendit, trahendumque, & transferendum prabuit, sicut fabula rationes postulabant: deinde articulo temporis ex his, qua dicebantur, agebanturque cognito sensim principio sese commouit, tanquam si ex alto somno expergisceretur, ac sublato capite cirumspexit; post admirantibus omnibus ad eum accessit, ad quem debuit latitiam simulans, atque comitatem, ea res commouit animos omniũ hominum, ipsiusque etiam Vespasiani senis Imp. qui vnatum in Theatro Marcelli aderat; adde ex Plinio Elephantos, etenim l. 8. c. 2. scribit, *Germanici Casaris munere gladiatorio, quosdam inconditos motus edidère saltantium modo: vulgare erat per aerem arma iacere, non auferentibus ventis, atque inter se gladiatorios congressus edere, aut lasciuiente pyrrhiche colludere.*

376 FVNAMBVLA insuper bruta exhibet, idem Plinius, & sequitur, *postea & PER FVNES incessère, lecticis etiam ferentes quaterni, singulos puerperam imitantes, plenisque hominum triclinijs accubitu ière per lectos, ita libratis vestigijs, ne quis potantium attingeretur;* at molem immensam leuiter per funes incessisse, mirum: id pendit Plinius c. 3. *mirum maxime, & aduersis quidem funibus subire, sed regredi magis vtique pronis:* Manilius l. 5. astr. studium circa prærupta funambulorum vulgat,

Quod si forte aliquas animo consurget ad artes
In prærupta dabit studium, vincetque periclo
Ingenium, aut tenues ausus sine limite gressus:
Certa per extentos ponit vestigia funes;
Et cœli meditatus iter vestigia perdet.

imò cœli iter meditari, canit Symposius ænigm. 94.

Inter lucificum cœlum, terrasque iacentes
Aera per medium docta volat arte viator
Semita sed breuis est, pedibus nec sufficit ipsis.

mirum in homine, non vero in brutis, namque Seneca ep. 86. scribit, *Elephantem minimus Aethiops iubet subsidere in genua, et ambulare per funem.* Suetonius in Nerone, *notissimus Eques Romanus elephanto insidens per catrado-*

mum

mum decucurrit: idest, Lipsio auctore, *per funem in theatro extentam*: interprete Dio de hac ipsa re; *Elephas ad superius theatri fastigium conscendit, atque illinc per funes decucurrit sessorem ferens*: hinc Lipsius cen. 1. ep. 50. inquit, *hoc genus spectaculi primum exhibuisse Galbam, qui postea Imp.* Suetonius idem monet, prætor *commissione ludorum floralium, nouum spectaculi genus, ELEPHANTOS FVNAMBVLOS dedit*: post hæc obseruo, quam sæpissime homines inter gradum, & lapsum super funes insedisse, vnde Capitolius de Marco Imp. prodit, *inter cætera pietatis eius quoque hæc moderatio prædicanda est. Funambulis post puerorum lapsum culcitas subijci iussit, vnde hodieque rete prætenditur*: elephas vero præstantissimo cursu currit procul à lapsu; hominum stuporem excitasse olim Funambulos apud veteres Nicephorus Gregoras tradit, & obseruo ex prol. Hecyræ, vbi Terentius ait,

Vt neque spectari, neque cognosci potuerit:
Ità popul' studio stupid' in funãbulo animũ occuparat.

377 Transeo ad ea quæ videmus, cicures scilicet animantes ad venationem: de Accipitre Symmachus, Aelianus, & Demetrius de Re Accip. librum edidit: Plinius Delphinas simul cũ piscatoribus promit: Antigonus ex Aristotele, & Plutarchus Lupos ad piscationem simul incedere scribit: Leones, Pardosque, apud Indos venari, Ctesias tradit: de Aquila Aelianus l. 2. 39. *Aquilarum genus est, quod alij Chrysaeton, alij Stellatem appellant, non sæpe apparet: eius generis aquilam Aristoteles venari, ait, Hinnulos, Lepores, Grues, Anseres, ex coborte Aquilarũ maxima hæc existimatur*: venantur alij perdices perdicę cicure; circa hæc nonnulla lepide Oppianus, & Plutarchus perhibent, at Aelianum præcunctis auoco, qui lib. 4. 16. venationem ex Aristotele describit; *ante retia propositus Perdix Cicur illecebris quibusdam allicit feros, cantum edit eos lacessentem ad pugnam, eosdemque vt ex insidijs in laqueos inferat incitantem; syluestrium dux contra cantat, et suum gregem præcurrens obuiam procedit cum hoc luctaturus: cicur autem per malitiam semper insidias instruens pedem refert se timere simulans: alter vero spe*

atque


atque animo inflatus, simul, et sibi iam victoriam despondens impetum facit, sed mox captiuus compage tenetur: quod si Perdix, qui captus est mas fuerit, cęteri gregales ei ipsi captiuo opem ferre conantur (ob virtutem in pugna fortiter facienti auxilium non est denegandum) *Sin fœmina, captiuam ipsam omnes feriunt, vtque libidine incensa in seruitutem ceciderit*: quanta pręcepta dent nobis animantia animaduertis! recte illa Democritus, nos docere intellexit; nec male Comes Valuasonius l. 2. venat. occinit,

Che dirò io di tanti augei Grifani
Di cui gli antichi non hauean notitia?
Ch'hor del Cane, e dell'Huom fatti compagni
Con altri augelli han dura inimicitia;
E spesso nobil preda, et alti guadagni
Trar se ne soglion de la lor malitia;
O arte, ò ingegno human, quanto si stende,
Che si varie nature amiche rende.

satis hucusque, pauca etenim tangimus, quia infra suis quoque locis multa, scituque digna exhibemus.

BRVTORVM SOLERTIA ADVERSVS FVRES, et impios.

CAPVT XL.

378 
Niustitiam operantur impij, vt pugnent aduersus Deum, qui *iustus dominus, iustitiam diligit*: sic Cainus post fratricidium vrbem ędificans, teste Lyrano, pauperes adhuc recentis sęculi expoliabat; vnde Philo in decal. scribit, *qui alienis inhiat hostis publicus, voluntate omnes, vi quotquot valet spoliat: cupiditatem extendens longissime viribus autem deficientibus contrahens, vt ad paucos perueniat; itaque fures potestatem adepti populantur ciuitates integras, contemptis supplicijs, quia videntur sibi potentiores legibus; hi sunt, qui à natura insitum habent paucorum dominationis desiderium*

&

& Dynastias, tyrannidesque appetunt, qui magna furta faciunt, latrocinia tegendo honestis nominibus principatus, & imperij: idea discant statim pueri à furtiuis lucris abstinere: hæc ille, & optime, etenim Carneades Romanos apud Lactantium, Licurgus vero apud Plutarchum, Lacedœmonias ad furta excitauit; vt regna alienigenarum popularentur, & raperent; nefas hoc igitur Deum prohibet, inquit Origenes, vtpote naturæ contrarium, & bruta, quæ illam sequuntur furantes premunt.

379 Hinc Aelianus l. 12. c. 40. enarrat hominum plausum in animantes valide fures insectantes: *Lupum Delphi colunt: Samij Ouem venerantur: Leænam Ampraciotæ adorant: causas autem quamobrem huiusmodi bestias CVLTVS honore prosequuntur, non alienum est explicare: Delphis aurum sacrum FVRTO lectum, direptumque & in Parnasso defossum, sicut dicit Polemon, inuestigauit Lupus; Samijs item aurum furto sublatum Ouis inuenit, quare Mandrobolus Samius Iunoni ouem consecrauit: Ampraciotæ Leænam, quod tyrannum suum lacerasset, vt suæ libertatis vindicem summa religione colunt*: cognoscunt ergo fures bruta, impiosque, & puniunt, & Virgilius l. 12. æneid. an hanc ipsorum naturam exhibuerit vide;

Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus,
Tum demum mouet arma LEO, gaudetque comantes
Excutiens ceruice toros, fixumque LATRONIS
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

380 Apud Plutarchum de solert. anim. factum legimus scitu dignum: *Quidam cum in Templum Aesculapij occulte intrasset argenteorum, & aureorum donariorum, quæ mediocris essent arripuit, cumque ijs abijt, fefellisse se putans: sed custos Canis nomine Capparus, cum nemo Æditoorum latrantem exaudiret, fugientem sacrilegum insecutus est, & initio quidem saxis petitus non abstitit, luce autem facta eminus eum est secutus, tanto spacio vt videre hominem semper posset, eum obseruans, cibum ab eo proiectum respuit, iuxta dormientem excubauit, rursum surgentem subsecutus est, obuijs viatoribus blandiens illum* alla-

allatrauit, atque vrsijt, hac cum ij qui sacrilegum persequebantur ex occurrentibus audiuissent simul colorem, & magnitudinem canis exponentibus alacrius perrexerunt, deprehensumque sacrilegum à Crommyone reduxerunt, cane in reuertendo prgeunte, lętitiaque exultante, vt qui sibi capti sacrilegi LAVDEM vindicaret: Athenienses decreuerunt, vt cibus ei publice demensus daretur, & sacerdotibus ea cura semper demandaretur: an iuxta Pausaniam, & Apollodorum inde ad pedes Aesculapij Canem signassent veteres pende: Columella, Democritus, & Oppianus canem aduersus fures laudatissimum animal dixerant: Ouidius Lares, Canesque ad domus tutelam, arcendosque fures prodit lib. 5. Fastorum,

Stant quoque pro nobis, & praesunt moenibus vrbis,
Et sunt praesentes auxiliumque ferunt:
Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat: quae standi cum Lare caussa fuit?
Seruat vterque domum, domino quoque fidus vterque:
Compita grata Deo, compita grata Cani
Exagitant, & Lar, & turba Diania fures,
Peruigilantque Lares, peruigilantque Canes.

381 Elephantus adest, & furem indigitat proboscide, quam Plinius, & Aristoteles *manum* appellant: factum vero enarrat Plutarchus de solerr. an. *in Syria, scribit Agno, quondam in domo Elephantum fuisse nutritum: quem cum magister bordei demenso quotidie dimidio defraudaret, & aliquando idem domino inspiciente totum demensum effunderet: elephantum hoc viso proboscide porrecta semissem separasse: itaque ingeniosissime fraudem praefecti sui prodidisse:* quid prudentissimus hominum faceret, vt furis impietatem detegeret? adde, alium, *cum in mensuram alimenti terram, & lapides ingereret magister, & carnes iuxta elixarentur, cineres arreptos in ollam coniecisse:* Aelianus etiã l. 11. h. an. c. 3. apud veteres idipsum religiosissime obseruatum refert, *in Aethna Siciliae sacra est Vulcani sedes, et circa eam muri, et arbores sacrae: ibidem IGNIS PERPETVVS, et inextinctus asseruatur: sunt et CANES in Templo, locoque sacri, qui modeste, ac decenter in Templum,*

plum, et Lucum accedentem blande, et adulantes excipiũt, et tanquam familiaribus illis se benignos ostendunt: at si quis SCELERATVS, aut manibus impurus adeat illum, et mordent, et sanniant, illos vero, qui LIBIDINE aliqua turpi se contaminarent, fugant et persecuntur: adde ex eodem Aeliano, Apes recenter *rauenere* pollutos sentire, & insectari: sicque habes animantes furum, impiorumque persecutores.

382 Sed antequam ad gentilium me conuertam oracula; habeo in sacris *vrsos* aduersus blasphemos de Bethel, 4. Reg. c. 2. 23. *ascendit Elisaus in Bethel, cumque ascenderet per viam pueri parui egressisunt de ciuitate, et illudebant ei dicentes, ascende CALVE, ascende CALVE. qui cum respexisset vidit eos, et maledixit eis in nomine domini: egressique sunt duo VRSI de sylua lacerauerũt ex eis* xlii. *pueros*. hæc sacer contextus: ad quæ D. Augustinus serm. 204. de tempore inquit, *rem parentibus instigantibus fecisse pueri contumeliosi credendi sunt, neque illi clamarent si suis parentibus displicerent:* sic Elisæus Christi passus est figuram, qui mulieribus plorantibus dixit, *flete super vos, et super filios vestros*. ipsi etenim Christum illudentes spreuerunt; culpam vero matribus ascribit dominus, quarum indulgentia impij effecti sunt: Iustinus Martyr, vtpote Eliæ discipulum illusisse Elisæum tradit q. 80. ad Orth sed Caluum fuisse Elisæum hinc colligimus, idque turpissimum existimabant veteres, sicut de Cæsare, ac Iuliano Suetonius refert: ac Iuuenalis satyrice Neronem caluum nuncupauit, iuxta carmen, quod circumfertur Ouidij,

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

ad malitiam reijcit Tullius pro Roscio, *nonne ipsum caput, et supercilia penitus abrasa olere malitiam, et calliditatem videntur?* namque in Leuit. 21. *non inducent sacerdotes caluitium in caput suum:* ne criminis nota signarent capita Deo dicata; & caluitium inducere, apud R. Salomoné, est caput radere: Hieronymus idololatriæ obsequium versat in c. 44. Ezech. *demonstratur rasis capitibus, sicut sacerdotes Isidis, atque Serapidis, nos non esse debere:* veteres

res Dijs suas dicabant comas, Martialis lib. 1. epigram.

Hos, inquiens, tibi Phœbe vouet totos à vertice crines
Encolpus domini Centurionis amor.

adde luxuriæ notam, & stupiditatis; Persius sat. 1.

—Nugaris cum tibi calue
Pinguis aqualiculus propenso sesqui pede extat.

sic conuitijs affectus Elisæus pueros maledixit; at quis malorum vindex? accedunt vrsi, & illos lacerant: de istis pueris inquit Augustinus l. 2. de mir. 5. c. 2. *fortasse et isti pueri parui, vt moris tunc erat idolis sunt consecrati: in Bethel namque vnus ex duobus vitulis, quos Ieroboam fecerat fuit constitutus.* adde ibidem patres filios suos immolasse, & in filijs parentes damnauit: Lyranus Augustinum sequitur; Procopius, impios quamprimum pessime morituros adhuc paruulos occidisse, ne in impietate perirent, parentesque moneret de sedula liberorum educatione: vrsi vero, non ab Angelis, sed à seipsis incursantes pueros trucidarunt: sic creatura ad vltiorem armatur.

383 Sed audiendus post Isidorum, & Bedam Lyranus, qui ait, *mistice exponendo Elisæus ascendens in Bethel significat Iesum Christum ascendentem in crucem, quem deriserunt iudæi secundum textum Euangelij, propter cuius vltionem venerunt postea duo vrsi in iudæam, scilicet, Titus, & Vespasianus, qui destruxerunt locum, & occiderunt gentem. an. 42. post passionem domini in vindictam improperij sibi facti*: sic Samariam leones destruxerunt, & Leo prophetam comedentem interfecit: sic Deo seruiunt omnia, dœmon apud idololatras idipsum ostendebat: etenim Aelianus lib. 11. c. 20. de Templo Adrani dœmonis in Sicilia scribit, *Canes illi dicati noctu ebrios, ac titubantes tanquam via duces, ac comites egregie deducunt ad suam usque domum, quemque antecedentes, cæterum contumeliosos, vt par est puniunt, & insiliunt, nempe & uestes eorum lacerant, & eatenus castigant, eos denique, qui furari PRAEDARIQ; moliuntur crudelissime dilaniant.*

384 Tandem Canem Scoticum offero, qui mirifice lares seruat, perditque fures, eius imaginem, vtpote, non vbique obuiam exhibeo.

de



de hoc Canum genere Hector Boetius in descrip. Regni Scotici inquit, *sunt apud Scotos præter vulgares, domesticosque trium canum genera, quæ alicubi nusquam (vt opinor) terrarum inuenias: vnum genus venaticum est cũ celerrimum, tum audacissimum, nec modo in feras, sed IN HOSTES ETIAM, LATRONESQ; præsertim si dominum ductoremue iniuria affici cernat, aut in eos concitetur: alterum est Odorisequorum, feras, aues, imo & pisces quoque inter saxa latentes odoratu inuestigantium: tertium genus est haud maius odorissequis, sed vt plurimum rufum nigris inspersum maculis, aut nigrum ruffis: tanta vero his sagacitas inest VT FVRES, FVRTOQ; ablata persequantur, & deprehensos continuo inuadunt: quod si fur, quo fallat, fluuium traiecerit, quo loco fluuium ingressus est, & ipsi se præcipitant, & in aduersam deuenientes ripam in gyrum circumquaque procurrere non cessant, donec odoratu vestigia assecuti sunt: id minus verum uideri possit, nisi uulgaris usus eorum esset Scotis, Anglisque in confinibus, ubi ex mutua agrorum prædatione multi sibi uictum quærere consueuerant, quod si quis pacis tẽpore, dum sibi ablatum quippiam Cane indagatore persequitur, uel etiam in secretiora cubicula cani ingressum deneget, is plane pro fure habetur*: hactenus ille, quem sequitur Gesnerus: sed apud Milites D. Ioannis Canes in-

Rhodo alebantur, qui aduersus Turcas pugnarent, tanta fide, ac præstantia insigniti, vt portenta de ipsis dicantur.

NONNVLLA QVAE A BRVTIS *didicerunt Homines.*

CAPVT XLI.

385 Emocritus apud Plutarchum de solert. anim. *homines rebus in maximis animalium fuisse discipulos, ait, Aranea in texendi arte, atque conficiendi: Hirundinis in edificandi: Oloris, & Luscinia in suauiter canendi, & imitandi:* dicant Pythagoras, & Abarides, siue etiam Empedocles musicam docuisse nos astrorum orbes, in quibus, inquit Socrates, *Sirenes* sunt dulcissimo cantu modulantes: *qua supra nos nihil ad nos*, sola Luscinia magistra musicæ, & cultrix, cuius cantum Plinius l. 10. c. 29. sic refert, *Luscinis diebus, ac noctibus continuis xv. garrulus sine intermissu cantus: primum tanta uox tam paruo in corpusculo, tam pertinax spiritus, deinde IN VNA PERFECTA MVSICÆ SCIENTIA modulatus editus sonus: & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc uariatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulantur intorto, promittitur reuocato, infuscatur ex inopinato: interdum & secum ipse murmurat, plenus, grauis, acutus, creber, extentus, ubi uisum est vibrans, summus, medius, imus: breuiterque omnia tam paruulis in faucibus, qua tot exquisitis sibi tibiarum tormentis ars hominum excogitauit, ut non sit dubium hanc suauitatem pramonstratam efficaci auspicio cum in ore Stesicori cecinit infantis: ac nequis dubitet ARTIS esse, plures singulis sunt cantus, nec ijdem omnibus, sed sui cuique: certant inter se, palamque animosa contentio est: victa morte finit sape uitam, spiritu prius deficiente, quam cantu: meditantur alia iuniores, uersusque, quos imitantur accipiunt; AVDIT DISCIPVLA intentione magna, &*

& reddit, uicibusque reticent; intelligitur emendata correctio, & in docente quædam reprehensio, hæc ille.

386 Magisterium huius auis optime enarrat Plutarchus de an. sol. apud quem Autobulus forsan, vt in brutis rationem persuadeat inquit, *Quoniam in docendo, quam discendo plus inest rationis, fides iam habeatur Aristoteli, qui docere etiam animalia, ait, uisam enim esse Lusciniam, qua suo pullo canendi modum traderet, atque testimonium ei fert hęc res, quod ea philomelæ deterius canunt, quę parua capta, & conuictui matrum ereptę aluntur, quę enim à matribus educantur simul discunt, non mercedis, aut gloria gratia cantillantes, sed quia delectantur, & uocis pulchritudinem magis, quam utilitatem diligunt*: Albertus de hac plura scribit, & Ambrosius l. 5. hexæm. c. 24. seduli magisterij arcanum prodit, dum ait, *Luscinia peruigil custos, cum oua quodam sinu corporis, & gremio fouet insomnem longæ noctis laborem cantilenæ suauitate solatur: ut mihi uideatur hęc summa eius esse intentio, quo possit non minus dulcibus modulis, quam fotu corporis animare in fœtus oua quę foueat*. adhuc ingremio pullus, & à matre instruitur; vtinam parentes vere fidei documenta liberos doceant, eo quo tempore infantes garriunt: addo ex Plinio l. c. quod forsan fidem superet: *uisum iam sępe, iussas canere cępisse, & cum symphonia alternasse*: sed quantum natura præstat artem, superat hominum luscinia cantus.

387 Pergit Plutarchus l. c. & bruta hominum fata dirigere tradit, imo, & illos de cœlorum aspectu, imisque dificilibus cognitu monere: *Columbam aiunt ex ARCA emissam Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, cum rursum ingrederetur, serenitatis cum auolasset: sed Thraces in hunc usque diem quando conestum gelu fluuium uolunt transire Vulpe utuntur ad soliditatem glaciei explorandam, sensim enim accedens aurem admouet: & siquidem strepitu oblato sentiat aquam prope subterlabi, ratiocinatur non in profundum congelasse aquam, ideoque subsistit, & nisi prohibeat aliquis retro abit, si nullum sonitum percipiat, iam audacter transit; neque est quod hoc dicamus sensus brutam esse subtilitatem, sed RATIOCI-*

N A-

NATIONEM cui sensus prębuerit principium, ea autem est talis, quod sonitum edit mouetur, quod mouetur non congelauit: quod gelum non concreuit humidum est: quod humidum id subsidere solet; vides vt docent, & recte dum ratione vtuntur? supplet tandem naturæ solertiæ præstantia discursus inopiam.

388 SANGVINIS emissionem magister Hippopotamus exhibuit, docuitque: Plinius lib. 8. c. 26. *in quadam MEDENDI PARTE ETIAM MAGISTER extitit Hippopotamus, assidua namque satietate obesus exit in litus recentes harundinum cæsuras speculatus: atque ubi acutissimum uidet stirpem, imprimens corpus uenam quandam in crure uulnerat, atque ita profluuio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, et plagam limo rursus obducit*: VOMITIONES, & DIETAM Leo primus ostendit, quibus vitam seruare incolumem testatur idem Plinius ex Iuba c. 16. *raros in potu, uesci alternis diebus: à saturitate interim triduo cibis carere: quæ possint in mandendo solida deuorare: nec cupiente auiditatem aluo coniectis in fauce unguibus extrahere, ut (si fugiendum sit) non in satietatem abeant; uitam ijs longam docet argumento, quod plerique dentibus defecti reperiuntur*.

389 Salomõ etiam Magistram FORMICAM nuncupauit, vnde Hieronymus in vita Malchi, *aspicio Formicarum gregem angusto calle feruere: ferre onera maiora quam corpora: aliæ herbarum quædam semina forcipe oris trahebant: alię egerebant humum de foueis, et aquarum meatus aggeribus excludebant: illa uenturę hyemis memores ne madefacta humus, in herbam orrea uerteret illata semina præcidebant: hę luctu celebri corpora defuncta deportabant, quodque magis mirum est in tanto agmine egredients, non obstabat intranti, quin potius si quam uidissent, sub fasce, et pondere concidisse, suppositis humeris adiuuabant: quid multa? pulchrum mihi spectaculum dies ille tribuit, unde recordatus Salomonis ad Formicarum solertiam nos mittentis, et pigras mentes tali exemplo suscitantis*. hæc ille, & è Basilio, ac Ambrosio in hexęm. frumentorum horrea hinc cœpisse, Petrus Pictauiensis tradit, etenim

nim si Diodoro Siculo fides lib. 1. bibl. *primi homines nullo subsidio fulti duram agebant vitam, erant enim nudi, nullo neque aditum, neque ignis adinuento vsu, cibo in diem quæsito, cum ignorarent agrestes fructus in vsum futurum condere, & seruare ad egestatem, quo fiebat vt hyeme plures, aut fame, aut frigore interirent.*

390 NAVIM Alcyonis nidum exhibet: etenim, inquit Plutarchus de sol. anim. *vt primum se concepisse intelligit, statim ad nidum conficiendum se confert. illumque NAVIS in morem compingit. etenim eam habet figuram, quæ sola euerti, mergique non potest: collectas enim spinas acus marinæ conserit inter se, atque contexit, perinde, ac si telæ sub tegmen ingereret; ita alias obliquas, alias rectas committens inter se flectendi complicandoque, atque sic absoluit teretem nidum, similem NAVICVLÆ vno Remo agitatæ, figura prominentem habentem cuspidem, qualis fere est piscatorio vasi, quod curtum, vocant: ita erectum deponit influxum vndarum vbi mane leniter accedens non satis concinnata, suoque allisu laxata monet reficere, ac stipare: recte autem compacta stipat, itaque consolidat, vt etiam lapide, aut ferro vix rumpi, dissoluique possit:* an vere Plinius l. 7. c. 56. scribat ipsum auoco, & pendo, *naue primus in Græciam ex Ægypto Danaus aduenit; ante ratibus nauigabatur inuentis in mari Rubro inter Insulas à Rege Erythra: reperiuntur, qui Mysos, & Troianos priores excogitasse in Hellesponto putent, cum transirent aduersus Thracas, etiam nunc in Britannico Oceano vitiles corio circumsutæ fiunt: in Nilo ex Papyro, & scirpo, & arundine; longa naue primum Iasonem nauigasse, Philostephanus auctor est: Egesias Palabum, Ctesias Samyram: Saphanus Semiramin: Archimachus Aegeonem: Biremem Damastes: Erythreos fecisse Triremen Thucydides Amynoclen Corinthium: Quadriremen Aristoteles Carthaginienses: Quinqueremen instituit Nesichton Salaminius: sex ordinum Xenagoras Syracusius: ab ea ad Decemremem Menesigeton: Alexandrum Magnum ferunt instituisse ad duodecim ordines: Philostephanus Ptolemaeum Soterem ad quindecim: Demetrium Antigoni ad* xxx. *Ptolemaeum Philo-*

ladelphum ad xl. *Ptolemaeum Philopatorem , qui Tryphon cognominatus est ad* L.*Onerariam Hippus Tyrius inuenit ; Lembum Cyrenenses : Cymbam Phœnices : Celocem Rhodij : Corcyraeos Cyprij . Siderum obseruationem in nauigando Phœnices ; REMVM Copa : latitudinem eius Plateę : Vela Icarus : Malum , & Antennam Dedalus : Hippagum Samij , aut Pericles Atheniensis : Tectas longas Thasij, antea ex prora tantum , & puppi pugnabatur. Rostra addidit Piseus : Tyrrheni ancoram , Eupalamus eandem bidentem Anacarxis Harpagonas : & manus Pericles Atheniensis : adminicula gubernandi Typhis: Classe princeps depugnauit Minos.*

391 Examinandus nihilominus Plinius, etenim quae à Gellio, Philostephano, Ctesia, & Egesia scripta nouit , ille exhibuit. Nauiculae formam Alcyon , simulque Remum ostendit : vela , malum , Remos, funesque , ac gubernaculum: Nautilus piscis adinuenit : tradit hoc Aristoteles apud Athenaeum l. 7. & Oppianus,

Seu mortalis erat , seu missum Numen ab alto
Audax ille fuit , qui primum marmora fidens
Piscis opus cernens humanos traxit in vsus ,
Construxit NAVES extendens carbasa ventis ,
Explicuit funes faciles moderatus habenas , &c.

Aristoteles hunc inter polyporum genera recenset , at similem polypo Athenaeus *Nautilum* facit: nauigationem eius, idem Plinius lib. 9. 29. describit, *inter praecipua autem MIRACVLA est , qui vocatur NAVTILVS , ab alijs Pompilus : supinus in summa aequorum peruenit, ita se paulatim subrigens , vt emissa omni per fistulam aqua velut exoneratus sentina facile nauiget . postea prima duo brachia retorquens, membranam inter illa mira tenuitatis extendit, qua velificante in aura caeteris subremigans brachijs , media vt gubernaculo se regit, ita vadit alto , Liburnicarum ludens imagine :* quomodo haec scirent homines, nisi vidissent? ideo quae ab animalibus didicerunt cultu meliore ad vsum habuerunt : nunc Neptuno rates tribuunt, vtpote aequoris procellarumque domitori ; idque Pompeius in numo expressit; sed vt vides non absque Aue , quae & si aliud denotet , forsan ad rē nostrā facit. quia dominiū maris denotat. Bel-





391 Bellum ab animalibus non semel ostẽsum vidimus: & ab ipsis bellãdi genus, modumque petendum sapientissimi existimarunt: firmabo Philonis oraculo, in lib. qd. omn. probus est liber: vbi ait, *Miltiades Imperator Atheniensium, quando Rex Persarum excito Asia robore tam multa millia traiecit in Europam, quasi ad primum clamorem appressurus Graciam conuocatis in Panathenaicum conuentum, socijs pugnantes ostendit Gallos Gallinaceos; ratus hoc spectaculum maiorem olim habiturum ad eos permouẽdos, quam orationem: nec eum fefellit sua opinio, spectata enim in Brutis patientia, pertinacique contentione vsque ad necem pugnantibus inuicto pectore correptis armis eam expeditionem susceperunt, quasi debellaturi, cum ingenti strage hostium contemptis hostibus, & vulneribus, vt saltem insepelirentur libero solo patria: nihil enim aque ad rem grauiter gerendam excitat, ac deteriorum victoria maior quam sperari poterat. caterum sollennis Gallorum Gallinaceorum certaminis etiam Ion Poeta Tracigus meminit his versibus.*

Nec iam corpore, vtroque, & ocello
Ictibus obtuso, ille fatiscit
Robore, sed latenter gemiscit,
Et viuus seruire recusat.

quæ ad monomachiam faciunt omnia parant, inuicti palmam

mam illudunt, vnde Plinius l. 10. 21. ait, *ſtatim in victoria canunt, ſeque ipſi Principes teſtantur; victus occultatur ſilens, ægreque ſeruitium patitur; hæc ille.*

Cætera admiranda infra recenſendæ reſtant.

BRVTORVM ARS MEDICA.

CAPVT XLII.

393 Tultorum quamplures veterum arcana non percipientes in Aeſculapio, ſerpentem veluti diuinitatis comitẽ admirãtur: at agnoſcant Medicinæ Numen, animalium ope impertiri ſanitatem: qua in re bruta homines docuiſſe, Nicander, Democritus, Cteſias, Iuba, quamplureſque alij teſtati ſunt; hinc Plinius l. 8. c. 27. poſt ſaluberrimum Hippopotami facinus, inquit, *ſimile quiddam, & volucris in eadem Aegypto, quæ vocatur Ibis, roſtri aduncitate per eam partem ſe perluens, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt: nec hæc ſola à multis animalibus reperta ſunt vſui futura, & homini: Dictamnum herbam extrahendis ſagittis Cerui monſtrauere, percuſſi eo telo, paſtuque eius herbæ eiecto: iidem percuſſi à Phalãgio, quod eſt aranei genus, aut aliquo ſimili, cancros edẽdo ſibi medentur: eſt & ad ſerpentum ictus præcipua, qua ſe lacerti, quoties cum his conſeruere pugnam vulnerati refouent: Chelidoniam viſui ſaluberrimam Hirundines monſtrauere, vexatis pullorum oculis illa medentes: Teſtudo cunila, quam bubulam uocant, paſtu vires contra ſerpentes refouet: Muſtela ruta in murium venatu, cum ijs dimicatione conſerta: Ciconia Origano, Edera Apri in morbis ſibi medentur, & Cancros veſcendo maxime mari eiectos: Anguis hyberno ſitu membrana corporis obducta fœniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitiduſque vernat: exuit autem à capite primum, nec celerius quam vno die, ac nocte replicans, vt extra fiat membranæ, quod fuerat intus: idem hyberna latebra viſu obſcurato Marathro herba ſeſe affricans oculos inungit, ac refouet: ſi vero ſqua-*

ne obtorpuere, spinis Iuniperi se scabit: Draco vernam nauseam syluestris lactucæ succo restinguit: Pantheras perfricata carne aconito (venenum id est) barbari venantur, occupat illico fauces earum angor, quare Pardalianches id venenum appellauere quidam: at fera contra hæc excrementis hominis sibi medetur, & aliàs tam auida earum, ut à pastoribus ex industria in aliquo vase suspensa altius, quam ut queat saltu attingere iaculando se, appetendoque deficiat, & postremo expiret: alioqui viuacitatis adeo lentæ, ut eiectis interaneis pugnet; Elephas Cameleonti concolori frondi deuorata, occurrit Oleastro huic veneno suo: Vrsi cum Mandragoræ mala gustauere formicas lambunt: Ceruus herba cinare venenatis pabulis resistit: Palumbes, Graculi, Merulæ, Perdices Lauri folio annuum fastidium purgant: Columbæ, Turtures, Gallinacei herba quæ vocatur Helxine: Anates, Anseres, cæteraque aquatica herba sideritæ: Grues, & similes iunco palustri: Coruus occiso Chamæleonte, qui etiam victori nocet, Lauro infestum virus extinguit, hactenus ille: & antea de *Pantheris* Cicero l. 2. de nat. Deor. & Aristoteles:

394 Sed obseruanda adhuc nonnulla restant: etenim, quæ Ceruis tribuit, Aristoteles l. 9. c. 6. h. a. de *Capreis* narrat; *in Creta insula capras syluestres sagitta transfixas dictamnum herbam quærere aiunt: hac enim spicula è corpore eijci*: canit idipsum Virgilius l. 12. Aen. vbi Venus Aeneam aqua dictamno imbuta curat,

Hic Venus indigno nati concussa dolore
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo; non illa feris incognita CAPRIS
Gramina cum tergo volucres hæsere sagittæ:
Hoc Venus obscuro faciem circumdata nimbo
Detulit: hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit occulte medicans; spargitque salubris
Ambrosiæ succos, & odoriferam Panaceam.

cæterum vide Dioscor. l. 3. c. 27. iuuat homini vulnerato, imo & partui vtilis, audi Serenum,

Vt facili vigeat seruata puerpera partu
Dictamnum bibitur.—

obstat forsan veneno, ideoque Tullius 2. N. D. *auditum est capras in Creta feras, cum essent confixæ venenatis sagittis herbam quærere, quæ Dictamnus vocaretur.*

395 Canes Aelianus l. 5. c. 46. docuisse Aegyptios scribit, *cum enim ventrem exhaurire habent necesse herbam quandam comedunt, cuius vi partim euomendo, partim deijciendo ab aluo quicquid redundat eijciunt: vnde Aegyptios etiam Syrmaismum quo vtrumque ventrem expurgant, didicisse ferunt: Perdices quoque, aiunt, & Ciconias, & Palumbes Origanum herbam vulneribus mansam imponere, & sanari, nec vllis humanis indigere remedijs.* hæc ille ex Aristotele qui l. c. c. 5. de cerua inquit, *statim ceruæ à partu exedunt inuolucrum, nec fieri potest, vt id accipient, prius enim quam in terram demittant ipsæ arripiunt: VIS MEDICA in ea esse creditur*; Aequa etiam carunculam à pulli fronte deuorat, vim amatoriam in ipsa sentiens: de ceruis denuò Plinius l. 8. c. 32. *Fœminæ ante partum purgantur herba quadam, quæ Seselis dicitur, faciliore ita vtentes vtero: à partu duas habent herbas, quæ Aros, & Seselis appellantur: pastæ redeunt ad fœtum: illis imbui lactis primos volunt succos, quacunque de causa:* hac in re animaduersiones Hermolai adijcio, etenim altera lectio priorem herbam *Siser* vocari tradit, duas sequentes *Rhamnon*; & *Seselin*: fortasse auctores, vt inquit Plinius, inter herbas similitudo nominum græcorum *Siseris*, & *Seselis* confuderat: & l. 25. *ceruæ monstrauère Elaphoboscon item, Seli enixæ à partu:* ita enim legi malo ex vetustis codicibus, quàm *Helxinem à partu:* Cicero de nat. D. paulo ante partum ceruæ perpurgant se quadam herbula quæ Seselis dicitur: hoc & Aristoteles confirmat.

396 Addit Plutarchus de sol. an. *Medicinæ trium partium exempla illustria in brutis videmus: non enim medicante dumtaxat eius vtuntur specie, cuius quidem subijciam exempla; Testudines origanum, Mustela rutam mãdunt, vbi aliquid de serpente comederunt. Canes certa quadam herba se bili vexante expurgant: Draco Oculum obtuse videntem fœniculo compunctum acuit: vrsa cum primum ex antro suo prodit Aro vescitur agresti, cuius a-*

crimonia aperit intestinum ipsius contractum aliqui... fea cum tentatur ad formicarum cauernam se confert, linguamque suam pinguem, & dulci fucon mollitam exerens eis proponit, dum hae formicarum fiat plena, quibus deglutitis iuuatur: sed Ibis prolutionem alui per intestinorũ vltimam extremitatem ingesta marina aqua se purgantis, animaduertisse, & imitati dicuntur Aegyptij, & sacerdotes eorum cum se conspergendo lustrant, aqua ad hoc vtuntur è qua Ibis biberit, quod infectam, aut insalubrem nullam aquam hac auis tangat: sed & CIBI ABSTINENTIA curantur quædam, vt Lupi, & Leones, qui cum fastidium carnium esu nimio contraxerunt aliquantũ iacentes, & se calefacientes quiescunt. Tigrin ferunt, vt si ei hædus porrigatur abstinere cibo per biduum, tertia die esurientem aliud poscere: sed & medicinam, quæ manibus administratur exerceri ab elephantis aiunt, qui vulneratis adstantes contos, lanceas, & sagittas facile, & absque damno, aut laniatione euellant.

397 Quid? num CHIRVRGOS animantes dicemus? vtique Aelianus l. 7. 45. assentitur, *ex elephantis audio, eos qui integri sunt, vulneratorum spicula, & iacula leniter extrahere, veluti CHIRVRGOS quosdam, & huius artis peritos*: nec mirum si inter ipsos chirurgia præcellens, cæteros insuper curant, vt fidem superet. Plutarch. de sol. an. *Poro in pugna contra Alexandrum vulneribus confecto Elephantus sensim, & leniter multa spicula promuscide extraxit*. at se ipsos quandoque cum non valeant curare, oleastrum deuorant, & tela eijciunt: de oleo Plinius lib. 8. 10. *olei potu tela, quæ corpori eorum inhæreant decidere inuenio*: at erudite Aelianus l. 2. c. 18. differit, *ars, & doctrina curandi vulnera apud Homerum per manus vel ad tertiam vsque ætatem traditur, Patroclum Menetij filiũ Achilles Pelei filius medicinam docet: Achillem vero Chiron erudit: disciplinas nimirum Heroes tantum, & Deorum filij exercebant, & radicum naturam variam herbarum vsum, pharmacorum temperationem, cantiones, tum inflammationibus, tum reprimendo SANGVINI propitias, & alia quædam nouerant; nonnulla etiam his inferiores*

tem-

tempore Heroes, ac Dij inuenerunt: quibus quam natura parum egeat Elephantus docet, cum enim vel hasta, vel sagitta ictus est, oleæ flore ingesto, vel oleo ipso defixa tela expellit: atque huiusmodi ratione ad incolumitatem restituitur.

398. Sed quia cantione meminit, verba exhibeo vana, ad nihilum bona, vt Deum laudes, qui te à superstitiosissima gentium credulitate eripuit, ac excelsi dexteram colas, a qua mutationem agnoscis, vt irrideas, quæ philosophantium ac Heroum sapientissimi recolebant. Q. Seren. Samonicus *ad Hemitritæum depellendum* occinit,

Mortiferũ magis est, quod Græcis Hemitritæũ
Vulgatur verbis, hoc nostra dicere lingua
Non potuere vlli, puto, nec voluere parentes.
Inscribis chartæ, quod dicitur Abracadabra,
Sæpius, & subter repetis, sed detrahe summã,
Et magis, atq; magis desint elementa figuris
Singula, quæ semper rapies, & cætera figes,
Donec in angistum redigatur littera conũ.
His lino nexis collum redimire memento.
Nonnulli memorant adipem prodesse Leonis,
Corallium vero si cocco nectere velis,
Nec dubites illis virides miscere smaragdos,
Talia languentis conducunt vincula collo,
Lecalesque abigent (miranda potentia) morbos.

Abracadabra
abracadabr
abracadab
abracada
abracad
abraca
abrac
abra
abr
ab
a

Plinius lib. 28. c. 2. caput integrum habet, *an sit in medendo verborum aliqua vis, ostenta, & sanciri, & depelli:* vbi hæc ait, *Figlinarum opera multi rumpi credunt carmine: & hanc etiam illis esse intellectum contra aliqui Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete: etiam parietes incendiorum deprecationibus circumscribuntur, neque est facile dictu, externa verba, atque ineffabilia derogent fidem validius, an Latina inopinata, & quæ ridicula videri cogit animus, semper aliquid immensum expectans, ac dignum Deo mouendo, imo vero quod Numini imperet, dixit Homerus profluuium sanguinis vulnerato fœmine Vlyssen inhibuisse carmine: Theophrastus Ischiadicos sanari: Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari: M. Varro podagris*

dagris Cesarem dictatorem post unum ancipitem uehiculi casum ferunt semper, ut primum consedisset, id quod plerosque nunc facere scimus, carmine ter repetito, securitatem itinerum aucupari solitum, &c. plura ibi vide.

BRVTORVM QVAEDAM ARCANA MEDICA,

CAPVT XLIII.

399 QVam grande, & altum Apollinis oraculum, *Nosce te ipsum*, apud priorum consultissimos olim innotuisset, Gregorius Pontifex Nazianzenus tradidit: & Plinius lib. 7. c. 32. inquit, *mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedemonio tria praecepta eius Delphis consecrando aureis literis, quae sunt haec, NOSSE SE QVEMQVE, & NIHIL NIMIVM CVPERE, comitemque AERIS ALIENI, atque LITIS esse miseriam*: haec in columna inscripta Varro apud Nonium refert: at Pindarus, simul quoque Critias Chiloni tribuunt: Theophrastus Sisypho: alij alijs: at homines dum orbis terrarum admiranda perscrutantur, se ipsos ignorant; vnde inclamat Apostolus, *nescitis quod Templum Dei estis uos, & Spiritus sanctus habitat in uobis?* proh pudor! nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: bruta nihilominus, Diphilo autore, sua quaeque cognoscunt. idque ex Calisthene, vel Callimacho Apollonius prodit: *nihil est in brutis, quod sit aliqua uirtute pretiosum intus, uel extra, quod perfecte ab ipsis non cognoscatur*: hoc de *Torpedine* tradit Aristoteles: de *Scolopendra* Oppianus: de *Sepia* Athenaeus: de *Bolintho* Aristot. de mir. aud. n. 1. nec mirum si Aesculapio sacra faciebant sub serpentis imagine, ut Arnobius, & Tertullianus ex Ouidio in fastis inclamant, medicamentorum Numina sunt bruta, ostentabantque Romanorum principes etiam in nummis.

Sed





400 Hinc bruta quãuis ratione careant, perfectę virtutes, & arcana in semetipsis agnoscunt, quibus etiam vtuntur, eaque abscondunt à venatoribus, ne ob thesaurum illum petantur; monetque Aristoteles de adm. aud. vbi ait, *ceruas, quæ in Epiro oriuntur dextrum cornu defodere, ceu multa utilitate præditum, aiunt: Vitulum marinum coagulum euomere cum eum capiunt, ferunt tanquam medicamentum ad comitiales morbos utile: Lyncem quoque urinam terra operire scribitur, eo quod ad multa alia, nec non ad gemmarum utilitatem præstat*: hactenus ille num. 72. quod inficiunt, qui ceruas absque cornibus decantant, præcipue Pollux l. 5. ait, *fœmina incornis est, mas corniger*: sed Pindarus od. 3. Olymp. Sophocles, Anacreon, & Callimachus hym. ad Dianam *cornua cerua* occinunt: nihilominus conciliat oracula Plinius, qui l. 8. c. 32. etiam de ceruis maribus ex Aristotele hoc refert, *cornua mares habent, solique animalium omnibus annis stato ueris tempore amittunt; ideo sub ipsa die quam maxime inuia petunt: latent amissis velut inermes, sed hi bono suo inuidentes. dextrum cornu negant inueniri, ceu medicamento aliquo præditum: idque mirabilius fatendum est, cum & in viuarijs mutent omnibus annis: defodi ab ijs putant: accensis autem vtrislibet odore serpentes fugantur, & comitiales morbi comprehenduntur.*

De

401 De Equa idem Aristoteles l. 6. h. a. c. 22. scribit, *cum peperit statim secundas deuorat, atque etiam quod pulli nascentis fronti adhaeret, Hippomanes dictum, magnitudine minus carica paruula, specie latiusculum, orbiculatum, nigrum, hoc si quis praerepto odorem moueat, equa excitatur, furitq; agnito eo odore, quapropter id à veneficis petitur*: hac de re paulo ante me disseruisse memini, nūc vero expendo loci difficultatem, ne lector in scirpo nodum quaerat: etenim l. c. cap. 18. scribit, *currunt Equae ex aduerso Aquilonis, aut Austri, nec appropinquare quemquam patiuntur, donec vel defatigatae desistant, vel ad marem deueniant: tum aliquid emittunt, quod Hippomanes appellatur, eodem quo illud, quod nascitur nomine: tale hoc sane est, quale in Apris vocant Apriam, sed hoc praecipue ad amoris veneficia petitur, &c.* dupplex ergo veneficium ad amorem, vnum in caruncula, alterum in tabe ab inguine stillante. de hac Tibullus el. 4. lib. 2.

Et quod, vbi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidae stillat ab inguine Equae.

Virgilius lib. 3. Georgicorum,

—Lentum distillat ab inguine virus
Hippomanes, quod saepe malae legère nouercae.

Propertius lib. 4. eleg. 5.

Consuluitque striges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes foeta semina legit equae.

ex Seruio in 1. Aen. concilio vtrumque de Hippomane locum. *foeta* etenim equa vel à partu libera, vel adhuc grauida apud veteres dicebatur. ergo virus distillans ab equa, quae concipit, residet in fronte pulli, fitque Hippomanes ad veneficium: de hoc Virg. 4. Aen.

Quaeritur, & nascentis equi de fronte reuulsus,
Et matris praereptus amor. —

Iuuenalis sat. 6. *Tanti partus equae, quanti vna venefica constat*; Ouidius am. l. 1. e. 8. *Quid valeat virus amantis equae:* hoc in poculo amores incendebat, quod mater sibi vt consuleret, deuorat, significans pretium amoris alteri non dandum.

402 In LVPO Plinius obseruat aliquod pretiosum, quod

inuideat homini, inquit enim l. 8. c. 22. *caudę huius animalis creditur vulgo inesse AMATORIVM VIRVS exiguo in villo, eumque cum capiatur abijci, nec idem pollere, nisi viuenti direptum*. hinc Virgilij locum animaduerto, etenim l. 11. Aen. Camilla cæditur, fugamque arripuit Aruns homicida,

Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt: fugit ante omnes exterritus Aruns:
Ac velut ille priusquam tela inimica sequantur,
Continuo in montes sese auius abdidit altos
Occiso pastore LVPVS, magnoque iuuenco
Conscius audacis facti, CAVDAMQ; remulcens
Subiecit pauitantem vtero, syluasque petiuit.
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Aruns
Contentusque fuga medijs se immiscuit armis.

hæc ille ex Homero Iliad, 15. vbi de Archilocho filio Nestoris: *caudam* vero in vtero reductam, velut timoris notam Scaliger credidit, quia est pauoris signum caudam demittere, cum Leo, Pardus, cæteraque bruta in dimicatione illam moueant, extendantque: sed ad virus in villo referre facinus, haud absre assentior: etenim ad robur circa præcordia esset, eo quo primum tempore fuga se consulit: at alij videant.

403 De Alce scribit, Plinius l. 8. c. 15. iumento similē esse, præter aurium proceritatem, & ceruicem: eius *vngula* aduersus *apoplexiam, & hysterica mala*, etiam appensa velut amuletum valet: de vrsis, idem c. 36. *primis diebus bis septenis tam graui somno premuntur, ut ne uulneribus quidem excitari queant: tunc mirum in modum ueterno pinguescunt, illi sunt adipes medicaminibus apti, contraque capilli defluuium, tenaces ab ijs diebus resident, ac PRIORVM PEDVM SVCTV uiuunt*; ideo vulgus in fame digitos corrodit, fugitque, exemplo Ioannis Duns, ingnorans arcani huius in pedibus tantummodo vrsi locum inesse: *Cerebro Vrsi ueneficium inesse Hispaniæ credunt*. de Hyæna Democritus plura enarrat, & Aristoteles, quem Plinius l. 8. c. 30. refert. *umbrę Hyænę contactu obmutescunt canes: & quibusdam magicis artibus omne animal, quod ter lustrauerit in uestigio herare* de pinā Vituli Marini Aelianus idem refert. Ma-

404 Marina non carent virtute, de qua Aelianus lib. 13. 27. admiranda prodit, aliorumque piscium medicamenta: *si piscis marini Hyanæ nuncupati: pinnam dexteram ad hominem somno consopitum admoueas, sane quam eum ipsum perturbabis: etenim formidolosa secundum quietem spectra, & simulachra uidebit, acerbaque insomnia perpetietur: item si postea quam Trachuri caudam absciderit, ipsumque in mare liberum remiseris, eam Equę grauidę appendas, non multo certe post abortum pariet: iam uero si quis qui nō dum excesserit ex extrema pueritia Thunni sanguine illinatur, non pubescet: hoc idem Torpedo, & marinus pulmo efficiunt, nam in aceto putrefactę eorum carnes, & mento aspersę, fugam pilorum facere dicuntur: idem ut pręstarent Tarentini, & Tyrrheni Sophistę, & Mangones uariorum uirorum picis usu psilothrum ostenderunt, ut pro uiris redderent mulieres*; Plinius lib. 28. c. 3. *quorū dam hominum tota corpora prosunt, ut ex his familijs, quę sunt terrori serpentibus, tactu ipso leuant percussos, suctuque modico, quorum è genere sunt Psyllij, Marsique, & qui Ophiogenes uocantur in insula Cyprio, ex qua familia legatus Exagon nomine à Consulibus Romæ in dolium serpentium coniectus experimenti causa circumlucētibus linguis miraculum prębuit: signum eius familię est uernis temporibus odoris uirus.*

405 De Lynce Albertus mira scribit, & antea Aelianus, eius vrina gemmas generat. Plinius l. 8. 38. *Lyncum humor ita redditus, ubi gignuntur, glaciatur, arescitue in gemmas carbunculis similes, & igneo colore fulgentes, lyncurium uocatas, atque ob id succino à plerisque ita generari prodito: Nouère hoc sciuntque Lynces, & inuidentem urinam terra operiunt, eoque celerius solidatur illa*: Leontrophon etiam vrina leoni extitium affert.

406 De homine Dioscorides, Nicander, Sammonius, Asclepiades, cæterique admiranda tradunt, inter quos Plinius ex Aristotele, lib. 28. c. 4. & si lubet ad exteriora ab intrinsecis deuenire: Orphæus, & Archelaus scribunt, *sagittas corpore eductas, si terram non attigerint, subiectas cubantibus, amatorium esse*: Marcio Smyrnæus, qui de

simplicibus affectibus scribit, asserit, *rumpi Scolopendras marinas sputo: item Rubetas, aliasque Ranas.* Ophilius, *serpentes, si quis in hiatu earum exspuat*: Plinius, *medentur sordes ex auribus, ac ne quis miretur, etiam scorpionum ictibus, serpentiumque statim impositæ: melius è percussi auribus prosunt: ita reduuias, aiunt, sanari: serpentium uero ictum, contusi dentis humani farina: Capillus puerorum qui primus decisus est, podagræ impetus dicitur leuare circumligatus, & in totum impubium impositus: uirorum quoque Capillus canis morsibus medetur ex aceto: & capitum uulneribus ex oleo; aut uinu si credimus à reuulso crucis, quartanis: combustus equæ capillus, carcinomati: pueri, qui primus ceciderit dens, ut terram non attingat, inclusus in armillam, & assidue in brachio habitus, muliebrium locorum dolores prohibet: Pollex in pede præligatus proximo digito tumores inguinum sedat: in manu dextera duo medij lino leuiter colligati, distillationes, atque lippitudines arcent:* Aeschines Atheniensis, *ex crematorum cinere, anginis*, medebatur, & tonsilijs, vuisque, & carcinomatis: addit Plinius, *multa genera morborum primo coitu soluuntur, primoque fœminarum mense, aut si non id contingat longinqua fiunt, maximeque comitiales; quin, & à serpente, ac scorpione percussos coitu leuari produnt: uerum fœminas Venere ea lædi: oculorum uitia fieri negant nec lippire eos, qui cum pedes lauant, aqua inde ter oculos tangant, &c.* plura ibi, de quibus alibi dicemus.

407 Habes etiam in eodem Plinij libro 28. c. 8. medicina ex animalibus peregrinis, Elephanto, Leone, Camelo, Hyæna, Crocodilo, Chamæleonte, Scinco, Hippopotamo, & Lynce, quæ suis in locis edidimus. sequitur c. 9. & c. 10. vbi de Apris, Capris, Equis feris, ac bestijs cæteris. idque c. 11. prosequitur. sufficiat nobis nunc locum signasse.

408 Tandem præstantissima quæ habent cognoscunt bruta, sicut Autobulus apud Plutarchum testatur. Aelianus iuxta Oppiani carmen, *scientificos* pisces nuncupat: Diphilus *sapientes* in arte militari, perfectos, (thynnorum cursum significans) tradit Callimachus. solus homo seque

sua-

ſuaq; ignorat: de Fibris ſeipſos caſtrātibus. Albertus, & alij ſcribunt, animal impium, ferox, cum propter genitalia peti ſentiat, illa ſibi amputat, & abijcit. inuerſum illum promo.



dè quo Plinius lib. 8. c. 30. ſcribit, *partes genitales ſibi ipſi Pontici amputant Fibri, periculo urgēte ob hoc ſe peti gnari, Caſtoreum id uocant medici, aliàs animal horrendi morſus, arbores iuxta fluuios, ut ferro cędit*: cętera vide infra l. 2.

DE FVRORE ANIMALIVM *tempore coitus: ac partus.*

CAPVT XLIV.

409 SApientiſſimus omnium Ariſtoteles h. a. lib. 6. c. 18. inquit, *commune omnium animalium eſt, ut cupidine, uoluptateque rei uenereę maxime geſtiant, atque incitentur: fero-ciunt fœminę à partu, mares tempore coitus*. rectè Chorus apud Senecam in Hippolyto,

Hac

Hæc regna tenet puer immitis
Spicula cuius sentit in imis
Cærulus undis grex Nereidum,
Flammamque nequit reuelare mari:
IGNES SENTIT GENVS ALIGERVM,
Venere instinctus suscipit audax
Grege pro toto bella IVVENCVS.
Si coniungio timuere suo:
Poscunt timidi PROELIA CERVI,
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. Tunc uirgatas
India TIGRES decolor horret:
Tunc uulnificos acuit dentes
APER, & toto est spumeus ore:
Pœni quatiunt colla LEONES
CVM MOVIT AMOR: tum sylua gemit
Murmure sæuo: AMAT INSANE
BELLVA PONTI: Lucaque BOVES,
Vendicat omnes natura sibi.

hactenus ille ex Euripide, & Sopatro, ac Comminio.

410 Sed spectanda velut in arena furoris monumenta apud Aristotelem, qui l. c. ait, *ferociunt mares tempore coitus; iam equi equos mordent, sternunt equitem, atque insequuntur; sues quoque feri acerrime sæuiunt, quanquam per id tempus imbecilles ex coitu reddantur: pugnant sæpe luto obducto, ac resiccato inuictos contra ictus se armantes, ita acriter ut uterque obeat; simili modo & Tauri efferantur, & Arietes, & Hirci: qui antea pacifice pascebantur, coitus tempore dissident, & alter alterum libidinis rabie inuadit; sæuit Camelus, Vrsi, Lupi, Leones: Elephantes quoque ad coitum efferari solent, tunc ipsi casas prosternunt, pluraque alia incommoda faciunt: incenduntur libidine ex fœminis equæ potissimum, mox vaccæ: equæ ita equiunt; vnde vocabulum id ab hoc vno animali trahitur maledicto in mulieres libidinosas, &c.* plura ibidem, quæ vide. Virgilius l. 3. Georg. ex Aristotele longo carmine hæc occinit,

Omne adeo genus in terris hominumq. FERARVMQ.

Et

Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita Leæna
Sæuior errauit campis: nec funera vulgo
Tam multa informes vrsi, stragemque dedère;
Per syluam tum sæuus Aper, tum pessima Tigris
Heu male tum Libyæ solis erratur in agris:
Nonne vides, vt tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?
Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit SVS,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atque hinc, atque illinc humeros ad vulnera durat:
Quid Lynces Bacchi variæ, & genus acre Luporum,
Atque Canum? quid, quæ imbelles dant prælia cerui?
Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumsere quadrigæ:
Illas ducit Amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium superant montes, & flumina tranant, etc.

& sequitur Equarum ex Zephyro canere conceptum, de quo Silius, Varro, Lactantius, Homerus cæterique, quos alibi dedimus.

411 Piscium etiam meminit Plinius l. 9. c. 50. eorumque furorem prodit, *quonammodo generent, desiderium, & admiratio hominum differri non patitur: pisces attritu ventrium coeunt, tanta celeritate, vt visum fallant: delphini, & reliqua Cete simili modo paulo diutius; fœmina piscis coitus tempore marem sequitur, ventrem eius rostro pulsans, sub partum mares fœminam similiter.* tunc Aristoteles l. 6. h. a. 11. *turgentes fastu libidinis* pisces nuncupat: de Muræna vetus autor scribit, *impetu fertur ad maris litora, petit coniugium tanto furore, vt si à piscatoribus deprehendatur, eos mordeat ad exitium.* ex Manilio etiam diximus ignes suos inter vndas Venerem miscuisse. tandem Seneca in Hippolyto canit,

Nulla pax isti puero: per Orbem
Spargit effusas agilis sagittas.

BRVTORVM CONCVBITVS. ET PARTVS. *ex Aristotele, & Plinio.*

CAPVT XLV.

412 
Vintilianus vir apprime doctus inclamat, *in animantibus mutis libido ratione continetur*: cæterum Plinius l. 10. c. 50. inquit, *bipedum solus homo animal gignit: Homini tantum primi coitus pœnitentia, augurium, scilicet, vitæ à pœnitenda origine: cæteris animalibus stati per tempora anni concubitus, homini, vt dictum est, omnibus horis dierum, noctiumque: cæteris satietas in coitu, homini prope nulla: Messalina Claudij Cæsaris coniunx hoc regalem existimans palmam, elegit in id certamen nobilissimã è prostitutis ancillam mercenariæ stipis, eamque die, ac nocte superauit quinto, ac vicesimo concubitu.*

413 *In hominum genere maribus diuerticula Veneris excogitata omnia scelere naturæ, fœminis vero abortus: quantum in hac parte multo nocentiores, quam feræ sumus viros auidiores Veneris hyeme, fœminas æstate, Hesiodus prodidit; coitus auersus Elephantis, Camelis, Tigribus, Lyncibus, Rhinoceroti, Leoni, Dasypodi, Cuniculis quibus auersa genitalia: Cameli etiam solitudines, aut secreta certe petunt, neque interuenire datur sine pernicie: coitus tota die est tantum ijs ex omnibus, quibus solida vngula: in quadrupedum genere mares olfactus accendit; auertuntur, & Canes, Phocæ, Lupi, in medioque coitu, inuitique etiam cohærent: supradictorum plerisque fœminæ priores. superueniunt reliquis mares: vrsi autem humanitus strati, Herinacei stantes ambo inter se complexi: feles mare stante, fœmina subiacente: vulpes in latera proiecta, maremque fœmina amplexa: Taurorum, Ceruorumque fœminæ vim non tolerant, ea de causa ingrediuntur in coitu: Cerui vicissim ad alias transeunt, & ad priores redeunt. Lacertæ,*

vt

vt ea quæ sine pedibus, sunt circumplexa venerem nouère. omnia animalia, quo maiore corpore, hoc minus fœcunda sunt: singulos gignunt Elephanti, Cameli, Equi: Achanthis duodenos auis minima: ocyssime pariunt, quæ plurimos gignunt, quo maior est animal tanto diutius formatur in vtero, diutius gestantur quibus longiora sunt uitæ spatia: neque crescentium tempestiua ad generandum ætas: quæ solidas habent ungulas, singulos: quæ bisulcas, & geminos pariunt: quorum in digitos pedum fissura diuisa est, ea numerosiora in fœtu, sed superiora omnia perfectos edut partus, hæc inchoatos: in quo sunt genere Leanæ, Vrsæ, & Vulpes, informia etiam magis quam supradicta Vrsæ pariunt, rarumque est uidere parientes: postea lambendo calefaciunt fœtus: omnia ea & figurant: pariunt plurimum quaternos, cæcos autem gignunt Canes, Lupi, Panthera, Thoes canum pura genera Laconicę octauo mense utrinque generant: ferunt lx. diebus, & plurimum tribus; cęterę canes, & semestres coitum patiuntur, implentur omnes uno coitu: quę ante iustū tempus concepère, diutius cęcos habent catulos, nec omnes totidem diebus: extimantur in urina attollere crus fere semestres: id est signum consumati virium roboris, fœminę hoc idem sidentes: partus duodeni, quibus numerorissimi, cętero quini, seni, aliquando singuli, quod prodigiosum putant: sicut omnes mares, aut omnes fœminas gigni: primos quoque mares pariunt: in cęteris alternant: si ineant oportuno, & recto mense, ineūtur à partu sexto mense; octones Laconicę pariunt: à propria in eo genere maribus laboris alacritas: viuunt Laconici annis denis, fœminę duodenis: cętera genera xv. annos: aliquando xx. nec tota sua ętate generant fere, à duodecimo desinentes: Felium, & Ichneumonum, reliqua vt canum: viuunt annis senis: Dasypodes omni mense pariūt, & superfœtant, sicut Lepores; à partu statim implentur: concipiunt, quamuis vbera siccante fœtu: pariunt non cęcos: Elephanti, vt diximus, pariunt singulos, magnitudine uituli trimestris: Cameli duodecim mensibus ferunt: à trimatu, pariunt uere, iterumque post annum implentur à partu: equas autem post tertium aanum, aut post unum

ab enixu utiliter admitti putant, coguntque inuitas: & mulier septima die concipere facillime creditur: equarum iubas tondere præcipiunt, vt asinorum in coitu patiantur humilitatem: comantes enim gloria superbire. à coitu sola animalium currunt ex aduerso aquilonum, austrorumue, prout marem, aut fœminam concepere: colorem illico mutant, rubriore pilo, vel quicumque sit, pleniore hoc argumento desinunt admittere etiam volentes, nec impedit partus quosdam ab opere, falluntq; grauidæ. vicisse Olympiæ prægnantem Echecratidis Thessali inuenimus: equos, & canes, & sues initum matutinum appetere: fœminas autem post meridiem blandiri, diligentiores tradunt: equas domitas lx. diebus equire, antequam gregales: sues tantum coitu spumam ore effundere: verrem subantis audita voce nisi admittatur, cibum non capere vsque in maciem: fœminas autem in tantum efferari, vt hominem lacerent, candida maxime veste indutum. rabies eo aceto mitigatur natura asperso: auiditas coitus putatur, & cibis fieri: sicut in viro eruca, pecori cæpa, quæ ex ferie mitigentur, non concipere, vt anseres: apros vero tarde, & ceruos, nec nisi ab infantia educatos. mirum est: quadrupedum prægnantes venerem arcent, præter equam; & suem. sed superfœtant Dasypus, & Lepus tantum; hæc ille ex Aristotele, qui l. 5. h. a. hæc fere omnia tradit.

414 Post bruta pisces recensendos puto iuxta Oppiani carmen: etenim pisces oua pariunt nonnulli, vt inquit Diphilus apud Athenæum, & Calisthenes: super illa etiam mares semen effundunt, quo coalescant in fœtum: hinc Aristoteles l. 6. c. 12. inquit, *Delphini, Balenæ, & reliqua Cete, quæ non branchias sed fistulam habent animal generant: addituri js Pristes, & Bos. Tursiones, & Delphini lac habent, quo suos nutriunt fœtus: vitulus marinus similiter animal concipit intra se, & parit: secundas emittit, & lac more pecudum: squammati oua pariunt, & habent vuluam bifurcam, ac inferius positam: semel pariũt anno præter fucas pusillas, quæ bis pariunt: Acus utero debiscente oua emittit, habet enim rimam sub uentre imo, vt Cæciliæ serpentes. Lacustres, & fluuiatiles, quinto suæ*

ætatis

gstatis mense uterum gestant: pariunt estate: Cyprini quinquies, aut sexies in anno, partumque siderum ratione potissimum faciunt; Erica ter, reliqui semel edunt oua in stagnis. sunt qui omne Mugilum genus sponte oriri opinentur, sed non recte, nam & oua fœmina, & semen mares habere cernuntur: sed apud Gnidum, & in nonnullis Asie amnibus, sub canis ortu stagnis resiccatis, ut primum imbribus restagnauere loca, pisciculi mugilum generis nascuntur absque ouis, & semine: ex spuma, & arena Apue oriuntur: precipue in Attica terra apud Salaminem, & iuxta Themistocleum, et in Marathone: ex limo et pluuia sunt Anguille: Testacea carent coitu: purpure uelut apũ fauos limo putrescente emittunt, unde earum ortus, apud Sigeum, et Lectum Ide crescunt mirificè: Euripus uero, et Caria paruos exhibet: in cœno, locisque arenosis, Mytuli, Ostrea, Conche, Chama, Pinna, Vngues, Pectines iisque similia nascuntur: testacea denique omnia sponte nature in limo diuersa oriuntur pro differentia limi; sic inter saxa Vrtice, Spongiarumque genera: Locuste uero inter crustata, quia per coitum conceperunt oua gerunt Maio, Iunio, et Iulio: mollia, ut polypi, Sepie, Loligines sunt ouipara: et in cauis saxorum oua pariunt, ibique excludunt: insectorum genera coeunt, et uelut uermem fœtum emittunt, excepto, quodam papilionum genere, quod durũ quiddã intus fluidum generati hac ex eo cõtraximus.

415 Tandem, vt Ambrosium sequar, post pisces, aues recenseo: mutuo flagrant sese aues; passeres, & columbæ præstant libidine: quædam omni tempore coeunt, vt gallinæ, & pariunt: columbæ decies anno pariunt, quædam & vndecies: Hirundines, & Merulæ, & Palumbes, & Turtures bis anno pariunt: cæteræ aues fere semel: à coitu decem diebus oua maturescunt in vtero: omnibus ouis medio vitelli parua inest velut sanguinea gutta, quod esse COR AVIVM existimant; primum in omni corpore id gigni opinantes: in ouo certe gutta salit, palpitatque: ipsum animal ex albo liquore oui corporatur: cibus eius in luteo est: omnibus intus caput maius corpore, oculi compressi capite maiores; increscente pullo candor in medium vertitur,

luteum circumfunditur: vigesimo die si moueatur ouum, iam viuentis intra putamen vox auditur: ab eodem tempore plumescit, ita positus vt caput supra dextrum pedem habeat, dextram vero alam supra caput: vitellus paulatim deficit; Aues omnes in pedes nascuntur, contra quam reliqua animalia.

416 Ardeolarum tria genera, Leucon, Asterias, Pellos, hi in coitu anguntur, mares quidem cum vociferatu sanguinem etiam ex oculis profundunt: nec minus ægrè pariunt grauidæ; aquila tricenis diebus incubat, & fere maiores alites: minores vicenis, vt Miluus, & Accipiter: Cornicem incubantem mas pascit.

417 Non omnia oua fœcunda inueniuntur: quæ in aqua fluitant, vel post quartum diem contra lumen perlucent, inania sunt: item irrita *hypenemia* ab Aristotele dicuntur, dum mutua fœminæ inter se libidinis imaginatione concipiunt, aut puluere: sic Gallinæ, Pauones, Perdices, Anseres, & Chenalopeces. quidam & vento putant ea generari, qua de causa etiam Zephyria appellantur, hæc autem vere tantum.

418 Veteres fœcunditatem tanti faciebant, vt arborem sub qua Europa cum Ioue concubuisse in Creta tradũt, in numis expressam dederint;





ANI-

ANIMALIVM CASTITAS.

CAPVT XLVI.

419 
Irum equidem, illud Apollonij dictum aduersus homines, *bruta post coitum, quo illa diuinitus natura vrget ad multiplicationem, continentia præstant, nec sæuiunt ut homines omni tempore ad coitum proclines, ut tabescant:* recte etenim Plinius lib. 8 c. 40. scribit, *Animalibus stati per tempora anni concubitus, homini omnibus horis dierum, noctiumque:* quod Pythagoræ ita graue admodum fuit, vt operosissima contentione damnaret: vnde, Iamblicho auctore, interrogatus de coitus tempore, tunc, inquit, admittendum assentior, cum homo imbecilliorem se reddere gestit: de Elephanto Aristoteles l. 5. h. a. c. 14. tradit, *Marem quam semel inierit, non vltra tangere interposito tamen triennio coitum repetere, sed nimirum in alia: fœminam vterum biennio gerere, parere singulos.* Cameli tanta honestate pollent, vt Plinio edocente l. 10. 40. *solitudines, aut secreta petant, cum coeunt, neque interuenire datur sine pernicie:* commendat hæc Ælianus l. 6. c. 60. & Messagetas ex hominibus pungit, ex Herodoto, *Messagetæ suspensa ad plaustrum pharetra cum vxoribus in aperto, & propatulo loco concumbunt, si id reliqui videant, contemnunt: at contra Cameli nunquam coeundum palam ducunt: ideo cum pastor coitionis tempus cognoscit alio concedit, vt sponsus solus thalami sponsam ingrediatur.* de Ceruis id ipsum legimus.

420 Addo puritatis exemplum, expiationemque laboriosissimo post piaculum lauacro elaboratam, præcipue ex Leone, de quo Plinius l. 8. 16. *magna ijs libido coitus, & ob hoc maribus ira*; apud Aegyptios, teste Pierio l. 1. *amoris petulantiam: & meretricem* denotabat: vnde Homerus Chymæram, ex Dracone, Leoneque effinxit, & in ea

amo-

amoris vim Epicharmus, & Horatius occinebant: nihilominus libidinis fœditatem ita ex animo abhorret, vt Leænam cum Pardo adulterantem sentiat, & puniat: quam rem cum animaduertisset Leæna se abluit, ac viuo flumine abstergit; audi Albertum, *Leænam, dicunt, feruere ad coitum, et Leonem non admodum posse coire propter nimium temperamenti calorem, ideo Leænam admittere Pardum, et hoc odore percipere Leonem: sed illa priusquam ad Leonem redeat, se lauat aquis niuium VT ADVLTERII ODOR OBLITERETVR*. Plinius l. 8. 16. *odorem Pardi coitum sentit in adultera lea, totaque ui consurgit in pœnam, idcirco aut culpa flumine abluitur, aut longius comitatur*: addit Apollonius Tyaneus, eo tempore syluas confestim petere, venationem insimulans ne deprehenderetur in adulterio; etenim Solinus ait, Catulos ex Pardali genitos iuba omnino carere: ideoque Philostratus ex Apollonio lib. 2. scribit, *Leones si eorum catulos deprehenderint lacerant, & sobolem tanquam adulterinam perdunt*.

421 At quis Leænam lauacra docuit? à quinam Scæuola Pontifex, vel Numa sacerdotum princeps aquarum expiationem adulteranti edixit? legit ne forsan Iuuenalem sat. 6. ad Vrsidium, vbi de more, Hetruscorum, Ægyptiorumque pro adulteris arcana promit?

Hibernum fracta glacie descendet in amnem
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Verticibus timidum caput abluet.

Antistites sacrorum nouimus, inter quos M. Ambiuius, Mœnas Licinius, Mnaseas, & Pauxamus Columellam docuere rem veneream expiari aquis, ex quorum oraculis l. 12. c. 4. ait, *His omnibus placuit eum, qui rerum harum officium susceperit CASTVM esse, continentemque oportere, & rebus venereis abstinentissimum, quibus si fuerit operatus vel vir, vel fœmina, debere eos flumine, aut perenni aqua priusquam penora contingant ablui*: Virg. insuper l. 6. Aen. Macrob. sat. 3. 1. Apuleius l. 11. cæterique à maioribus ablutionem hanc accepisse tradunt. & vt Lactantius subsannat l. 5. 20. *tanquam libidines intra pectus inclusas vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent*,

quod

quod Hippolytus apud Senecam à Phœdra impurè aggressus inclamat,

Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis vndis pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiarit sceleris. — hæc antea Catullus. sed Natura Leænam prædocuit, & homines fonsan ab illa lauacrum didicere: vel potius ab hebræorum arcanis ritus habuisse gentiles credo: ex lauacro, ac labro Mosis, ac mare æneo Salomonis, vel Regij vatis carmine, *asperges me hyssopo, & mundabor lauabis me, et super niuem dealbabor*. psal. 50. post lapsum cum vxore Vriæ cecinit, inquit Augustinus, & ideo indigebat adulter lauacro: noto, quod ex legis præcepto, aspersione hyssopi purgabantur *leprosi, & qui mortuum contigissent*, lepra fuit peccatum, cadauer Bethsabea ob peccatum vita, scilicet, gratiæ destituta: videndus Abben-Ezra, & Agellius.

422 Notandum ex Apollonio, & Philostrato adulteræ Leænæ filios lacerare Leones, ac perdere: nonne sic Medea in Iasonis filios? Euripide auctore, duos filios trucidauit Medea, *Mormorum*, scilicet, vt Izacius scribit, & *Pheretem*: vel iuxta Hyginum, *macarium, & pheretum*: non recte Pausanias in Corinthiacis, lapidibus obrutos ob allata Creusæ munera illos perhibet: etenim illa natos interfecit, apud Senecam dicens,

—*Liberi quondam mei,*
Vos pro paternis sceleribus pœnas date.

423 Sed vt breuiter omnia vnius calculo Auctoris dicam, Plutarchus adest, qui in Gryllo, vbi brutorum virtutes extollit, hominum damnat facinora dicens, *Porcæ Sues, & Capræ Capros, aliæque fœminæ sui generis mares, suo odore alliciunt, & admiscentur: non vt inter homines fœminæ simulatione recusationis ludunt, aut libidini fraudes, prestigias, denegationesque pretexunt: neque mares stimulo, & luxuria agitati mercede, labore, atque obsequijs coitum redimunt, sed doli expertem, ac sine mercede tempestiuam sectantur Venerem: quæ stato anni tempore cupiditatem animalium, veluti germen aliquod excitans*

illico

illico restinguit; itaque in hunc vsque diem inter bruta neque marem marem, neque fœminam fœmina amauit: quales multa memorabiles, & praeclari viri inter vos commiserunt: Agamemno quidem Bœtiam perlustrauit Argeũ venans subter fugientem, tandem in lacum Copaidem se demersit, ut ibi amorem extingueret, & se cupiditate liberaret: Hercules imberbem sectans amasium deseruit optimos socios, classemque, & institutum prodidit: & in Tholo Apollinis Ptoi quidam scripsit, Achilles pulcer, cum iam Achilles filium haberet. At Gallus, si Gallum conscendat absente Gallina, viuus comburitur: Aruspice aliquod pronunciante graue, atroxque id esse ostentum: Itaque ipsi homines hoc confessi sunt CASTITATE A BRVTIS SE SVPERARI: nam & Capras, Equas, ac Porcas inieruñt, viri, et fœminę insana mascularum bestiarũ amore exarserunt, ex huiusmodi enim coitibus forsan sunt Minotauri, Syluani, seu Ægipanes, atque Sphynges, et Centauri nati.

424 Quid dicam; sic re in manifeste comperta? nonne Elephantus adulterantes insequitur? audi Ælianum l. 11. c. 15. *Elephanti abominant eos qui cum alienis vxoribus stuprum faciant: nam cum vxorem sui domitoris stuprari manifesto deprehendisset ambos, et eum qui stuprum inferebat, et eam qua cum id faciebat cornibus transfigens interfecit, ac in stragulis constupratis, et lecto adulterato iacentes reliquit; vt inotesceret facinus domitori: hac apud Indos: et Romae sub Tito Imp: elephantus adulterantes stragula contexit, et nutritio aduenienti illam retexit vt iacentes inspiceret*; & lib. 7. 25. canem domino adulterum præsignasse scribit; similiter lib. 1. 57. inter Cerastas castitatem vxorum Libycos probare, velut aurum in igne, prodit; hinc Plinius l. 8. c. 30. inquit, *Hyenæ plurimæ gignuntur in Aphrica, quæ et asinorum sylvestrium multitudinem fundit: mares in eo genere singuli fœminarum gregibus imperitant; timent libidinis æmulos, et ideo grauidas custodiunt, morsuque natu mares CASTRANT*. qua ex narratione Aulam Persarum procerum video, in qua vxorum multitudo sub eunucorum auspiciis versabatur: sic de Merula pisce Aelianus l. 1. c. 14. ipsumque *omnium Zelotypum* nũcupat: similiter Ciconiã excęcasse adulterã. Tan-

425 Tandem Turtures, Ciconias, Columbas cæterasque omitto, de quibus Oppianus, & Gracius occinunt, & caput obsigno Aethnæi piscis virtute: de quo Aelian' l. 1. 13. scribit, *sunt CASTITATE PRAESTANTES PISCES, Aethnaeus enim appellatus, postea quam cum pari suo, tanquam cum vxore quadam coniunctus eam sortitus est, aliam non attingit, neque ad fidem tuendam tabulis vllis ei opus est, neo dote: neque malæ tractationis pœnam timet, neque Solonem veretur. ò nobiles leges, & Resp. graues, quibus libidinosi homines non parère nihil verentur.*

BRVTORVM REGNANDI CVPIDO, & studium laudis.

CAPVT XLVII.

425 
Dmiranda multi referunt ex antiquissimis scriptorum oraculis, imo plerique ex his quæ viderunt, velut monumenta magnarum rerum, posteritati arcana signarunt, inter quos Ctesias, Canis imperium prodit, non solum inter catulos, sed etiam apud homines, vnde Plutarchus aduersus Stoicos inquit, *gentem aiunt esse Aethiopum vbi CANIS REGNET, REXq; APPELLETVR, & sacris ac honoribus colatur regijs: viri autem obeant principum, & magistratuum munia;* Plinius lib. 6. c. 30. *ex Africæ parte Ptoembari, Ptoemphana QVI CANEM PRO REGE HABENT: motu eius imperia augurantes:* Solinus etiam c. 43. *summæ regiæ potestatis cani tradunt, de cuius motibus quidnam imperitet augurantur;* nec male Aegyptij, qui se altum sapere autumabāt, in canis simulachro principem ostendebant, audi Horum Hier. 34. *magistratum, aut iudicem cum designant appingunt cani regiā vestem nudæ figuræ appositam, propterea quod vt canis in Deorum simulachra acutissimis intuetur oculis sic, & magistratus vetustioribus temporibus nudum Regem spectabat,*

bat, ac propterea regiam cani prætextam adijciunt. hæc ille, ante Alphonsi Regis tempora, hæc præualuit ratio, deinde neque tunica Regis, de Rege nouit: addit Pierius l. 5. si sacerdotes Aegyptij principem, aut legislatorem significare vellent, canis hieroglyphicum cum diademate, siue fascia, vel amiculo faciebant: reliqua corporis nuda.



427 Hinc Plinius in Elephāto regnandi studium agnoscit, dum primas affectat in grege curas: ex Iuba etenim lib. 8. 5. de Elephanti imperio inquit, *Antiocho vadum fluminis expedienti, renuit Aiax, alioquin DVX agminis semper, tum pronunciatum eius fore PRINCIPATVM, qui transisset: ausumque Patroclum, ob id Phaleris argēteis, quo maxime gaudent, & reliquo omni primatu donauit: ille qui notabatur inedia mortem ignominiæ prætulit; mirus namque pudor est, victusque vocem fugit victoris, terram ac verbenas porrigit*. quid plura? agnoscis Romanorum morem? apud Dionysium, Liuium, ac Polybium passim exempla, quæ in vno elephante primatum flagrante mira: certe Cato, cum Imperatorum nomina annalibus describeret, Elephantum, qui fortissime præliatus esset in Punica acie *Surum* tradidit vocatum, altero dente mutilato: & Antipater auctor est, duos Antiocho Regi in bellicis vsibus celebres, etiam cognominibus fuisse: addit etiam c. 7. *equitatu circumuenti, infirmos, aut fessos, vulneratosque*

in medium agmen recipiunt, ac veluti imperio, & ratione per vices subeunt.

428 Nouimus apud Diphilum, Arietem piscem præire piscium turmas, eumque tandem vidi ab Aeliano l. 15. 2. exhibitum, adinstar Regum diademate coronatum, etenim ait, *mas Aries frontem alba vitta redimitam habet, vt vel hanc Lysimachi, vel Antigoni, vel alterius cuiuspiam Regum Macedoniæ diadema dicas. cæterum oceani accolæ fabulantur veteres Atlantides Reges, qui ad Neptunum genus suum referunt, in capitibus suis Arietum marium tænias gestasse imperij insigne*: nequaquam Alexander, vel Cyrus penes Xenophontem, tali ornatum vitta diadema gessit; nec male, vetus auctor, siue is Ctesias, siue Aristobolus, de Aquila, quam Imperij signum extollunt, prodit, pugnam inter pullos, parente acerrime instante, inter se periculum facere, vnguibus, ac rostro certare, vt locum parenti viciniorem, imperiumque affectarent; quæ vicit ad solis orbem ascendit, ac denuo probatur, reliquæ eijciuntur: cur non credam? de Gallo Plinium habeo scribentem l. 10. 21. *IMPERITANT suo generi, & REGNVM in quacumque sunt domo exercent.*

429 Cum flumina, vel mare ingrediuntur, Lupi, Apollonio auctore, præstantissimum sequuntur, *de Ceruis* id ipsum Aristoteles tradit: *de Grue*, Antigonus: *de Ciconijs* Junilius: Cleanthes *de Formicis*: de Apibus vero D. Basilius, & Ambrosius scribunt, & antea Virgilius l. 4. Georg.

Præterea Regem non sic Aegyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Obseruant; Rege incolumi, mens omnibus vna est.

Claudianus de 4. consul. Honorij,

Stridula ducturum pratis examina Regem
Nascētē venerātur Apes, & publica mellis iura petūt.

de Parthorum veneratione erga Regem, Vrsinus, & Brissonius scribunt, enarrantque obsequia ex illo Martialis lib. 10. ep. 17.

Frustra blanditiæ venitis ad me,
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilesque, supplicesque

Pictonum sola basiate Regum.

430 Ad laudis studium vel maxime facit imitatio eorũ, quæ in homine conspicuo obseruantur, vel ab illo ediscenda petuntur: sic perdix cum pro vxore dimicat, ex agmine dux primus certamen init, Plinius l. 10. 34. *contra aucupis illicem exit in prælium dux totius gregis*: quod de Menelao tradit Eustathius: inter eos victor triumphat, dãnatque victum: *inter se dimicant, mares desiderio fæminarum: victum aiunt Venerem pati:* sic imbellem Atletam olim lanificio datum, & fuso nouimus; at præcunctis Plutarchus rem pendit, de an. sol. *elucescit in amore Brutorum erga prolem simul STVDIVM LAVDIS, & alacritas: in fortitudine sapientia ira moderans, & prudentiæ, atque astutia non est absque audacia: si tamen libeat diuidere, & distinguere singula, mansueti, & excelsi animi imaginem proponunt canes, qui auertuntur à subsidentibus in terram, vt Homerus ait,*

Cum clangore canes tunc irruere, hic sed Vlysses
Astu subsedit, baculumque abiecit.

non enim impetunt Canes, eos qui se demittunt: ferunt etiã præcipuum de Indicis canibus, coram Alexandro pugnasse, etenim emissis Ceruo, Apro, & Vrso quietum iacuisse, eosque spreuisse, viso autem Leone surrexisse ad certamen, palamque ostendit hunc sibi aduersarium, contemtis reliquis omnib⁹, deligere. Plini⁹ ad superbiã canis facinus refert.

431 Quid si ad plausũ etiã se præparent? olim in theatris ludicra exhibuisse animalia Dio, & Aelianus scribunt, tanta etenim gloria, vt spectantium plausum supra homines audirent, hinc teste Plinio l. 8. 3. *certum est Elephantum tardioris ingenij in accipiendis, quæ tradebantur, sepius castigatum verberibus, eadem illa meditantem noctu repertum:* nec mirum, nam Plutarchus inquit, *in spectaculis ostendit Elephas eas gestuum figuras, et varietates, quarum copiam, atque continnitatem difficile sit humana vlli industria exprimere, atque memoria complecti;* vide Senecam ep. 86. & Suetonium in Nerone.

432 Est in Apocalypsis arcano, Draco diademate ornatus, de quo Ioannes c. 12. *visum est aliud signum in cælo,*

ecce

ecce Draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem: grande miraculum, enimuero Dracones maximos apud Indos versari scribunt Ctesias, Iuba, ac Plinius l. 8. 14. Attilius Regulus, Maximo Valerio Auctore, ad Bagradam fluuium admotis machinis toto exercitu aduersus Draconem pugnauit, cuius coirum, ait Crinitus, cxx. pedum longitudine fuisse traditur: Maximus Tyrius, scribit, apud Indos tempore Alexandri Draconem fuisse, quinque iugerum magnitudine, quod Pierius vt verum refert: omitto Onesicritum asserentem, duos Dracones, Aposisarem Indum nutriuisse alterum sex & quadraginta, alterum octoginta cubitorum. & ad capitis portentum me refero: non, enim immerito, quis *Hydram* hoc ex signo diuinabit; etenim cornua decem in vno capite, in cæteris coronas præfert, vt in icone vides.



sed hanc Simonides nonaginta capitum, Alcæus quinquaginta fuisse occinunt: alij septem, alij vt Suidas nouem. Virgil. 7. Aen. *centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram*. variamque decantarunt, vtpote Echidnæ, ac Chimæræ filiam: sed ad rem per Draconem hunc Aureolus intelligit Cosroen superbissimum Regem Persarum: alij cum Ruperto dœmonem effutiunt, qui à Basilio, Ambrosio, ac Damasceno vetus nuncupatur serpens. hic animalium omnium maximi exuuiam suscepit; & sicut Draco Elephantum aggreditur, vt de Rege brutorum triumphet, sic dœmon ad astra ascendit, coronas impie ostentat, vt se regnantem demonstret. vides in vno Dracone quantum sit gloriæ, ac laudis studium? animal hoc ne omnino metaphoricum credas, in Basilisco, vt Ceraste, coronam inuenies, & ab Turcarum finibus francorum Regi Draco oblatus fuit, septemque capitibus, ijsdemque diademate ornatis, quibus ad hominis similitudinem se gerebat, imperiumque inter bruta ostentabat.

433 Tandem signo caput, & Equum exhibeo, de quo apud Cassiodorum l. 1. c. 13. Theodoricus Rex Eugenitem quæstorem Senatui commendans ait, *si equorum cursus hominum clamoribus incitatur, et sonantium manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas appetatur, quantū inde homines stimulari posse credim', quos ad LAVDIS auiditatem natos singulariter inuenimus?* Virgilius 12. Aen.

Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt
Pectora plausa cauis, et colla comantia pectunt.

Ausonium ad rem proprior,

Nouit Equus plausæ sonitum ceruicis amare.

ex Solino l. 4. & Virgilio in Georg. l. 3.

Primus equi labor est animos, atque arma videre
Bellantum, Lituosque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantes.
Tum magis, atque magis blandis gaudere magistri
LAVDIBVS, et plausæ sonitum ceruicis amare.

de Bucephalo phaleris ornato vide Plutarchum, & Oppianum.

BRV-

BRVTORVM MEMORIA, & gratitudo.

CAPVT XLVIII.

434 Rati animi exempla recenset Plato in Alcibiade, & antea Empedocles ex Pythagora cecinit; sed Plotinus velut maximum ea in re facinus, & laudabile Heroas excoluisse memoriam testatur, vnde Seneca de benef. 2. c. 24. inquit, *nihil magis praestandum est, quam ut memoria nobis meritorum haereat, quę subinde refricāda est, quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit, et qui meminit iam refert*: sed quamuis, Aristotele Auctore, rara apud homines sit gratia, & ingratitudinis nurantur exitio, ita vt abominabiles sint, bruta tantam impietatem damnant: enarratque Plinius l. 8. 16 vbi exemplum Leonis refert, *Elpis Samius natione, in Africam delatus naue, iuxta litus conspecto leone hiatu minaci, arborem fuga petit: Libero patre inuocato, quoniam tum praecipuus uotorum locus est, cum spei nullus est: neque profugienti cum potuisset fera insliterat: et procumbens ad arborem hiatu, quo terruerat miserationem quaerebat. os morsu auidiore inhaeserat dentibus, cruciabatque inedia, tum penè in ipsis eius telis suspectantem, ac uelut mutis precibus orantem: dum fortuitu fidens non est contra feram, multo diutius miraculo, quam metu, cessatum est. degressus tandem euellit praebenti, et quam maxime opus esset accommodanti. traduntque quandiu nauis ea in litore steterit, RETVLISSE GRATIAM uenatus aggerendo: qua de causa libero patri Templum in Samo Elpis sacrauit, quod ab eo facto graeci κεχηνότος Διονύσου appellauere.*

435 Hinc si ingratum cognoscere velimus, adest Iulianus Imp. in orat. ad Ensebiam dicens, *est ingratus, non modo, qui mali nihil uicissim facit, aut dicit, sed etiam*

qui tacet, ac dissimulat, et alterius in se meritorum obliuiscitur, atque eorum memoriam extinguit; ac ferinæ huius, et inhumanæ improbitatis exigua admodum, et rara sunt exempla: plerique uero sunt, qui beneficio se aliquo effectos esse, uideri nolint, ac dissimulent: hactenus ille, peccat tamen dum ingratitudinem ferinam dicit, quam à feris alienam videmus. vnde Seneca l. de ben. 13. inquit, *Officia etiam FERAE sentiunt, nec vllum tamen immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat: leonum ora à magistris impune tractantur: Elephantorum feritatem, vsque in seruile obsequium demeretur cibus: adeo enim, quæ extra intellectum, atque extimationem beneficij sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis euincit*. idque probandum restat ex Plinio, qui l. 8. c. 17. ex Demetrio physico scribit, *Philino Pantheram apparuisse, illumque pauore cæpisse aggredi; feram vero circumuolutari, non dubiè blandientem, seseque conflictantem mœrore, qui etiam in Panthera intelligi posset: fœta erat, catulis procul in foueam delapsis: primum ergo miserationis fuit, non expauescere, proximum ei curam intendere, secutusque, qua trahebat vestem vnguium leui iniectu, vt causam doloris intellexit, simulque salutis suæ mercedem, exemit catulos: eaque cum ijs prosequente, vsque extra solitudines deductus, læta, atque gestiente, vt facile appareret GRATIAM REFERRE, & nihil inuicem imputare: QVOD ETIAM IN HOMINE RARVM EST. hac fidē etiā Democrito afferūt, qui Thoantem in Arcadia seruatum à Dracone narrat*: hæc ille, & Draconis facinus preter Plutarchum, enerrat Aelianus.

436 Apud Tarentinos historia memoratu digna refertur, quam primùm Democritus, & Varro exhibuere, deinde Aelianus l. 8. 22. vbi Ciconiam à quadam muliere Heracleis dicta, benigne accepta, & curata circa crus fractum eo quo primum tempore recens euolasset, deinde pientissimæ cura mulieris integra, ac sana auolans, *gratiam accepti beneficij retinuit. & admirabili quadam, naturæ intelligentia non ignorans se conseruatæ vitæ præmium mulieri debere, anno post cum ad uernum solem forte apricantem*

eam,

eam, quæ sibi benigne faceret perspexisset, demisso atque humili vola tu proxime ad ipsam profecta, in eius sinum Lapidem euomuit: deinde in tecto subsedit; cuius facti admiratione commota Heracleis dubitabat, quid isthuc esset: cum igitur lapidem intus deposuisset, nocte insequenti somno soluta eum fulgere, & radiatam domum, tanquam ammissis facibus ex eo splendere perspexit: maximus enim ex lapide ipso pretiosissimo fulgor exibat, & generabatur: vbi vero Ciconiam comprehendisset, & vulneris cicatricem percepisset, hanc agnouit eam esse, quam miseratione commota curauisset.

417 Basilius in Hexæmerone, & apud Cassiodorum lib. 10. c. 30. Theodahadus Rex Honorio præfecto scribens, Elephantum in referendis gratijs singularem promit, *etenim nouit memor esse benefieij, in magistrum recipit, quem sibi subuenisse cognoscit: ad ipsius arbitrium gressus mouet: ipsius voluntate cibos capit; & quod omnem intelligentiam quadrupedum superat, non dubitat primo aspectu adorare, quem cunctorum intelligit rectorem esse: cui si tyrannus appareat, inflexa permanet, nec imponi potest belluę, hoc, & malis pendere, quod à se nouit bonis principibus exhibere:* vides quanta animi perspicuitate, & Regem adorat, & tyrannos contemnit? recte Seneca 1. de ben. 12. *quæ extra intellectum, atque æstimationem beneficij sunt posita, assiduitas meriti pertinacis euincit:* itaque discamus à bellua, erga bonos beneficos esse, ijsque referre, saltem ex voto, gratias. ijmpijs vero nullum impendatur obsequium.

418 De nutricio Elephanti dixerat Cassiodorus, & quomodo illum amore prosequatur, quod firmat Aelianus l. 7. 41. *cum Pyrrhus Epirotarum Rex ad Argos occubuisset, in eo conflictu Elephantus fuit, qui domitorem suum tantopere amauit, vt non prius currere omiserit, quam suum nutricium ex hostibus seruasset, & intra fines amicos reportasset:* hæc ille: sed Athenæus maiora refert, vt de belluæ ratione dubites; namque lib. 13. c. 30. inquit, Antigono Regi Elephas fœmina fuit, accidit vt in Obsidione Oppidi Megarensis puerum pareret vxor Indi elephantistæ,

is sua *lingua commendat infantem Elephanto, cui nomen Nicæa*, (sermones etenim Indorum intelligunt, si Dioni, Aeliano, ac Plinio fides) *vt inter bellicas turbas illum curaret, capit illa serio in fidem; & omnia officia exhibet, quæ pijssima aliqua nutrix, siue mater: infans ante pedes eius deponi debebat, nisi fleret, cibum non capiebat, iram omnibus signis ostendens, & dolorem, gaudebat è contra eo adiacente, & tum cunas mouebat ad oblectandum, aut somnum conciliandũ, tum ventilans pellebat muscas: quod sane scite faciebat arundinis ramum promuscide sua mouens, atque hæc officia interdum etiam vsurpabat elephas maritus*; quid hac re præclarius à nihilominus Aelianus l. 3. 46. refert historiam memoria dignam: *cum Indus quispiam Elephanti album pullum offendisset, atque hunc etiam nunc tenerum aluisset, & paulatim mansuefecisset, eoque deinde veheretur, & belluam amaret, & vicissim redamaretur ipse, ac simul suam elephantus educationem, cum maximis amicitiæ officijs, huic Indo compensaret: Indorum Rex id intelligens muneri poposcit sibi elephantum mitti, is vt vehementi riualitate flagrans amatoriè dolebat, si hunc aliusquam ipse esset habiturus: itaque negans se daturum vna cum Elephanto in desertissimam Regionem perfugit, Rex autem id ægre ferens, ad eum insequendum misit, qui Indo auferent, simul & illum comprehensum ad pœnam reducerent; cum igitur eo venissent vbi erant transfugæ, cõprehendereque aggressi fuissent: ex superiori loco lapidibus eos homo appetebat, pariterque Elephantus, vt iniuria insigni accepta illorum impetum repellebat: vbi autem Indus lapidatione facta percussus præceps deiectus fuisset, Elephantus hominum more acerrime se tuentium pro suo nutricio, quem corpore tegebat cum propugnauit; tum vero ex inuadentibus partim occidit, partim in fugam impulit, tum altorem suum promuscide circumplexus ad stabula inuexit, ac tanquam amicus permansit fidelis amico, beneuolentiam ostendens, quam admirabili suum educatorem prosequebatur: à scelerati homines, qui mensas, culinas, & sartaginum stridorem sequuntur, & prandia, quærũt: in periculis autem amicitiæ iure temere violato, pollutoque amicos deserunt.*

Sed

439 Sed ſicut memores ſunt beneficiorum animantes, pollent etiam memoria vt iniurias illatas aduerſus iniurios quoſque referrēt: arcanum hoc virtutis apud Senecam, benefactorū memoriam, iniuriarūq; habes, vt in vtriſque ſe muniant: Plinium auoco l. 8. 17. *vulneratus leo obſeruatione mira percuſſorem nouit; & in quantalibet multitudine appetit: eum vero, qui telum quidem miſerit, ſed tamen non uulnerauerit correptum, raptatumque ſternit, nec uulnerat*: idque vindictam ſapit ad vltionem, non ſæuitiam: de Elephantis plura referunt, inter quos Acoſta, & Lipſius. quid ſi cadauer hominis, adueniente ſicario, in ſanguinem erumpat, ipſumque petat? & tamen Plato rem docet; hinc firmo rationem illorum, qui aduerſus iniurias fortes ſuos Heroas corroborāt, vt mala vel ſuperent, vel contemnant, & audio Clementem Alexandrinum l.4. ſtrom. 5. conclamantem, *non ſolum Aſopij, et Macedones, et Lacones dum torquentur fortiter tolerant, vt ait Eratoſthenes: ſed Zeno quoque Eleates dum cogeretur arcanum aliquod enunciare, reſtitit tormentis nihil confitens, qui etiā poſtremo linguam erodens eam expuit in tyrannum, quem alij quidem Nearchum, alij Demylum appellant: ſimiliter autem fecit etiam Theodotus Pythagoreus, et Paulus Lacydis familiaris, vt dicit Timotheus Pergamenus, et Achaicus in moralibus. quin etiam Poſthumus Romanus captus à Peucetione, non modo nihil ex ijs, quæ erant occulta aperuit, ſed cum etiam manum in ignem, tanquam in æs imiſiſſet, conſtitit vultu firmo, et plane immutabili: taceo Anaxarchum exclamantem: Tunde Anaxarchi capſam, Anaxarchum non enim tundis, cum piſtillis ferreis tunderetur à tyranno*: hæc nouimus, ſed nouimus inſuper hunc, dum tormentorum ſpreuiſſe pondera quiſque crederet, tyranni auriculam amputaſſe: vidimus Regulum, Pœnorum in Dolio acutiſſimis clauorum doloribus offenſum, ſed audiuimus ipſius monita ad Cartaginis perniciem: vnde læſum aduerſus lędentem ſuapte natura quemlibet efferuere aſſentimur. ſed Dei oracula ad pietatem nos reuocant, & vt hoſtes diligeremus addit, *vt ſitis filij patris ueſtri, qui in cęlis eſt*, ac ſi diceret, cœleſtis ſobolis, ac Dei munus filiorū

est hostes diligere, nam qui terrena sapiunt, vindictam petunt, iuxta terrarum orbis omnium animantium facinora.

AVGVRIA, ET PROGNOSTICA ANIMALIVM.

CAPVT XLIX.

440 
Vculēter iam me scripsisse de Augurum solertia, *lib.* 2. *de Vrbe Roma cap.* 15. (vbi antiquitatis arcana disserui) compertum est, sed ne deficiant monumenta veterum narratione in hac de natura brutorum, denuo idem argumentū, vel leui calamo, exhibemus; existimabantur, etenim Augures, Arnobio in 4. adu. gent. auctore, *interpretes diuinę mentis, & voluntatis.* Tullius in 2. de nat. Deor. illos *Iouis consiliarios, & administros* appellat. & apud Atheneum, Apollonium, ac Philostratum legimus Persarum Reges habuisse Aues, quarum linguas, *DEORVM LINGVAS* vocabant, vel iuxta Tullium, *internuncias Iouis*: hinc ad voces animalium, auiumque intelligendas sacerdotes collegit Numa Pompilius, vti Plutarchus in Numa prodit, tradiditque eis partem rerum omnium ad cultum vitæ pertinentium, quod Dionysius Halicarn. l. 2. antiq. Rom. perhibet, *quartam sacrorum partem tradidit ijs, qui signa diuinitus edita interpretantur, & enarrant, quarum ea rerum sint indicia, publice, & priuatim; qui ab vna suæ artis specie, auium, scilicet, spectatione Romanis dicuntur Augures, omnium diuinationis generum peritissimi, siue quid de cœlestibus, & aereis signis conijciendum, siue è terrestribus.* itaque augurium non ex auibus tantūmodo, sed insuper cæteris ex animantibus olim obseruasse assentimur, præcipue iuxta Plinium, qui l. 7. 56. scribit, adinuenisse, *Auguria ex auibus Car, à quo Caria appellata, adiecit ex cæteris animalibus Orpheus: auspicia auium Tiresias Thebanus*, imo Tullius in 2. de nat. D. Melampodem, Mopsum, Amphiaraum,

raum, Calchantem, Helenum, pluresque recenset in augurijs præstantes.

441 Ergo auium auscultare linguas, & interpretari olim veteres solebant: traditque Varro l. 4. l. l. *sodales Titij dicti ab Titijs auibus, quas in augurijs certis obseruare solebant*; de Asyla Virgilius l. 10. Aen.

Tertius ille hominum, diuumque interpres Asylas
Cui pecudum Fibra, cœli cui sidera patent,
Et LINGVÆ VOLVCRVM, & præsagi fulminis ignes.


de quibusdam Auibus scribit Plinius l. 10. 12. *Cornix ales est inauspicata garrulitatis, à quibusdam tamen laudata: Corui in auspicijs soli videntur intellectum habere significationum suarum, nam cum Media hospites occisi sunt, omnes è Peloponneso, & Attica regione volauerunt: pessima eorum significatio cum glutiunt vocem velut strangulati: Bubo funebris & maxime abominatus, publicis præcipue auspicijs, deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam, & inacessa, noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu: itaque in vrbibus, aut omnino in luce visus, dirum ostentum: priuatorum domibus insidentem plurimis scio non fuisse feralem: volat nunquam quo libuit, sed transuersus aufertur: Capitolij Cellam ipsam intrauit Sex. Papellio Istro, & L. Pedanio Coss. propter quod nonis Martijs Vrbs lustrata est eo anno*. vides superstitionem? quid si ex auium volatu Vrbem auspicatò dixissent? idque cecinit Ennius, & in Fastis Ouidius: quid si certamina, pugnasque contenderent? enarratque Liuius, Dionysius, ac Plutarchus; vnde D. Cyprianus de Idolorum vanitate inquit, *non de religionibus sanctis, nec de auspicijs, aut augurijs Romana regna creuerunt, sed acceptum tempus certo fine custodiunt: cæterum & Regulus auspicia seruauit, & captus est, & Mancinus religionem tenuit, & sub iugum missus est: pullos edaces habuit Paulus, & tamen apud Cannas cæsus est: C. Cæsar ne ante brumam in Africam nauigia transmitteret augurijs, & auspicijs retinentibus, spreuit, eo facilius, & nauigauit, & vicit*: ex quo deducitur vllam certitudinem habuisse, sed sicut Cornicem, Bubonem, Immussulum, cæterasque aues diuersimode apud

De-

Democritum, & Scæuolam in auspicijs habuerunt, sic & rei vanitatem ipsos met Augures ostendisse compertum est.

442 Solistimum inter auguria recensuit Cyprianus, de quo antea licet dixissem, moneo inter fatidica veterum signa ab auguribus fuisse exhibitum; de quo Plinius l. 10. 21. ait, *secundus est honos habitus Melicis, ac Chalcidicis, vt plane dignæ aliti tantum honoris præbet Romana purpura, horum sunt TRIPVDIA SOLISTIMA: hi magistratus nostros quotidie regunt, domosque ipsis suas claudunt, aut reserant: hi fasces Ro. impellunt, aut retinent, iubent acies, aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auspices, hi maxime terrarum imperio imperant, extis, etiam fibrisque haud aliter quam opima victoria Dijs grati*; hæc ille de pullis gallinaceis. sed Alexander vir apprimè doctus l. 1. c. 29. ex Liuio Maximo Valerio, ac Tullio historiam omnem absoluit, dicens, *Aues quasi internunciæ Iouis, & interpretes futura præmonere dicebantur, quibus Pullarius præerat: quotiescumque de promouendo negotio, aut re exequenda PVLLOS consultum ibat, imperato de more silentio pultem illis ante caueam, aut Offam obijciebat: eratque tempus consulendi primo mane, aut primo diluculo; quod si oblata esca è cauea pulli non exirent, aut sero progressi escam non attingerent, retroue cederent, vel occinerent, aut non vescerentur, seu planctu alarum alimẽta refugerẽt, aut euolarẽt penitus, Omẽ magni terroris, & sollicitudinis, tristissimosque euentus adnotabant: tũc enim pullarius, quasi monitu, fatorum exitus animo præsumens diẽ prælij, aut rei exequendæ tẽpus diffundebat: quod nisi paritum fuisset, extremũ exitiũ, & perniciẽ plerũq; attulere: Tiberio Graccho, qua die in turba cæsus occubuit, pulli non addixère: sed è cauea emissi recesserunt: & Claudius Pulcher mortuus aduersus hostes, non pascentibus pullis*: hactenus ille; in numo M. Lepidi Triumuiri, ac in Vrbis collapsæ ruderibus, Tripudium signarum vidimus hoc religionis apparatu, ac pompa, qua illud exhibemus.


De-



De-

443 Denique si ad Augurum præstantiam facit Origenem inquirere, Tullius in 2. de diuin. Melampodis, & Amphiarai meminit, quos apud Græcos, si Apollonio l. 2. bibl. & Homero Odyss. fides, diuinandi arte peritissimos nouimus; deinde vt primum Vrbs creuit, inquit ex Philistio Dionysius Halic. Romulus, qui apud Hetruscos Tagetis disciplinam excoluerat, vti Plutarchus in Rom. prodit, primùm Augures instituit: de Lituo Romuli scribit Tullius, & postea Liuius l. 1. d. 1. & *baculum sine nodo aduncum* fuisse tradit. Gellius l. 5. 8. *breuem* demonstrat, eoque Romulum regiones direxisse in vrbis molimine, seruatumque in curia Salinorum in Palatio, qua conflagrante illæsum, inuentumque prodit Macrobius in 5. Saturnalium, c. 8. sicque in Ramnensi, Luceri, ac Titiensi regionibus tres Augures, qui, & auspicata interpretabantur. Numa deinde inter sacrorum Antistites recensuit Augures: & deinceps Collegium illorum durauit, toto eo tempore, quo Reges in Vrbe fuerunt, vnde errant plures, qui à Seruio Tullio auctum assentiuntur; etenim Liuio Auctore, Sylla Dictator ad xv. ampliauit, cum antea, Q. Apuleio Pansa, & M. Val. C.Coss. tantum quatuor, & postea è plebe alterum signassent veteres. tandem Cn. Domitius Enobarbus, anno v. 651 ad plebem ius sacerdotum subrogandorum transtulit, cum antea Comitijs curiatis, qui Pontificis maximi dicebantur, à selectis eligerentur: ætate grandior præstabat, nec vllam ob causam sacerdotij munus adimi poterat, sicque Fabius Maximus sexaginta annos illud diu senex exercuit: lege Augurali monebantur, ex auibus vaticinia obseruare, signaque rerum futurarum, & à Dijs monita: contemplari, si opportune euolassent, aut sedes idoneas accepissent enunciare: de prodigijs, somnijs, augurijs, atque oraculis, portentis, extisque responsa dare, vatum libros, portentorum explanationes monita Deorum edicere, quodue augurium lætum, quodue piaculare esset præmonere, & vaticinari, vti Alexander animaduertebat. quæ cum ab Ecclesiæ fidelibus superstitiosissimæ vanitatis, velut monumenta deriderentur, Ammianus l. 21. defendit dicens, *volatus auium dirigit Deus, rostrum sonans, aut præteruolans pinna turbido*

bido meatu, vel leni futura præmonstret: amat enim benignitas numinis his quoque artibus prodere quæ impendent: sed heu nugæ, iterum nugæ; quibus olim Reges infatuatos occinunt vates, proditque ex Liuio, Dionysio, ac Virgilio Alexander l. 5. 19. scribens, *Regibus olim, sicut iura dare, & sapere, ita diuinare munus erat: itaque à primo ortu vrbis ijdem REGES, ET AVGVRES erant, qui futura prædicerent, & iura darent: denique Romulus hoc sacerdotio præditus, optimus Augur fuisse traditur: proditumq; est, Romæ optimatum filios sex, Hetruriæ populis, vt augurandi artem edíscerent, ex decreto senatus in disciplinam tradi solitos, vt Romæ augurandi scientia, & ars innotesceret: quæ quidem incredibilis, & pene diuina Fesulis pollebat, vbi domicilium Augurum esse ferebatur:* idque expresse videmus in antiquorũ numis, vbi inter Imperatoris insignia pullus dignoscitur.





444 Erat itaque lege sancitum, ne quid publici iuris inchoarent, vel auspicato inciperent, præter Augurum omen: sic lex apud Tullium, AVGVRI PARENTO: vtpote viro sapientissimo; sicut de Heleno Virgil. l. 3. Aenead.

Troiugena interpres diuum, qui numina phœbi,
Qui tripodas, Clarij Lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennę.

mœroris sentiunt, luctusque in Bubone omen, Ouid. met. 5.

Fœdaque fit volucris, venturi nuncia luctus
Ignauus Bubo, dirum mortalibus omen.

de Hirundinis voce Horatius od. 12. l. 4. carm.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens
Infelix auis, & Cecropria domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.

Venus apud Virgilium lib. 1. augurium Aeneæ ostendit,

Ni frustra augurium vani docuere parentes:
Aspice bis senos lætantes agmine Cygnos,
Aetheria, quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cœlo, nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas id despectare videntur,
Vt reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantusque dedère:
Haud aliter, puppesque tuæ, pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, & qua te ducit via, dirige gressum.

de Cygnis Aemilius, apud Isidorum, in Ornythogonia,

Cygnus in augurijs nautis gratissimus ales
Hunc optant semper, quia nunquam mergitur vndis.

numerus sacer in augurio, sicut Ennius occinit, vbi vultures *corpora sacra* nuncupat; & Suetonius in Aug. 95. *primo cõsulatu augurium ei capienti duodecim se vultures, vt Romulo ostenderunt*. de Romulo Dionysius l. 1. ant. Rom. *Romulo vultures duodecim fausti volantes apparuerunt, quibus conspectis animum confirmauit*.

445 Ex auibus vero Augures quasdam OSCINES, quasdam vero PRÆPETES dixerunt: primæ *voce* augurium faciunt, alteræ *volatu*, docetque Tullius de diuinatione, Plinius, cæterique ex quorum oraculis Festus, & A. Gellius l. 6. c. 6. ac Seruius; vnde Horatius l. 3. od. 27. *Oscinem coruum prece suscitabo solis ab ortu*, commendatur oscinis cantus à læua; ex præpetibus, volatus à dextris omen felicissimum ostentant, vt de Aquila Suetonius in Claudio, & in Vitellio: quæ aduerso volatu feruntur, vt Bubones, feralia auspicantur: quæ porrectæ veloces volant, felicissimæ, vt vultures Romuli, Aquila quæ Tarquinio Prisco pileum detra-

traxit, ac reposuit: nonnullæ ambiguæ sunt, de quibus Plinius lib. 10. 7. Liuius l. 1. d. 1. Festus *de Immusculo*, & Iulius obsequens c. 63. *de Sanquali*: primum Cares, deinde Arabes, Pisidæ, Cilicesque auguria obseruantes prodiderunt, itaque Alexandro auctore, Ciconiæ dant signum *concordia*; Accipiter *fortunatum in nuptijs*: Triochen, quam Romani Buteonem, Græci Aesalona nuncupant, apprime *optimos euentus*: Picus Martius, & Luscinia, ac Ardeola à Septentrione, vel Austro volantes *in periculis securitatem*: Hirundo apud Pausaniam in Atticis, *ancipitem fortunam*: Columbæ, teste Apollonio Rhodio 3. Argon. *prosperos successus*: præposteros Galli cantus, si Plinio fides 10. 21. *futuram mox victoriam*: contra, Gallinarum, vt est apud Terentium in Phormione, *dira* portendit: Coruus ab ortu clara voce crocitans, *præsentem felicitatem*: Bubo Agrippæ Iudæorum captiuo *regnum* indixit: Noctua apud Athenienses, vt ait Plutarchus in Themistocle, *victoriam*: Apes *pessimum omen*, vnde Tacitus l. 2. inter prodigia, quæ Romæ M. Asilino, & M. Accilio Coss. obuenère recensuit, imo Dioni, ac Pompeio Magno, *cladem*, *ac perniciosos casus*, vt videre est ex Plutarcho in Dione: Aues omnium generum volantes, Diodoro Siculo auctore, *diadema regium* Gordio portendebant: Vesparum examen, ait Liuius 4. d. l. 5. in æde Martis, *calamitosum auspicium*.

446 Hetruscorum Augures cœlum in duodecim partes diuiserunt: Romani teste Varrone l. l. 6. *sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad Septentrionem*: differt à græcis, & à Pythagora, Empedocle, & Platone, qui dextram occidentalem plagam, sinistram orientalem dixerunt: Alexander insuper l. 5. rem versat, *sedebat Augur uelato capite, & duplici toga augurali, quæ Lana dicta est, vel Trabea, amictus ex purpura, & cocco cum captabat auspicia, & Lituo cœli regiones notabat: ipseque cæsa victima obseruatis, notatisque signis, longum carmen præfatus preces effundebat, quas si forte non rite didicisset, ne quid præpostere diceretur, alio praeunte emittebat*; Græcis Augur toga candida velatus poscit auguria: similiter Macedonibus auream gerens coronam vaticinabatur.

447 At auguria nō solū ex auibus, sed ex quamplurimis alijs; Plinius l. 9. 16. de piscibus, *sunt, & in hac parte naturę auguria, sunt, & piscibus pręscita: Siculo bello ambulante in litore Augusto, piscis è mari ad pedes eius exilijt, quo argumento vates spondere Neptunum patrem, adoptato tum sibi Sex. Pompeio (tanta erat naualis rei gloria) sub pedibus Cęsaris futuros; qui maria tempore illo tenerent*: Persæ, Herodoto l. 1. auctore, *ex vino* auguria captant, sicut de Vlysse, & Alcinoo Rege Phæacum Homerus l. 3. Od. tradit; Tacitus, *binnitum* equorum apud Germanos auspicia fuisse scribit: in Cappadocia, inquit Alexander l. 5. 13. *ex myrrhinis virgis*: in Scythia *ex salignis humi constratis*: in Lycia *ex piscibus*, quos ichthyomantes vocant atque Enaries Androgeni *ex tiliæ frondibus* vaticinantur; Nasamones vero, *ex somnijs ad sepulchra defunctorum*: Lupus niger, Iuuencæ partus anniculæ, gemelli ex Mula, Leonis occursus apud I. Obsequentem, Liuium, & Oppianum *dira* portendunt. serpens ab ara prolapsus, Mures candidi, Aries insolito natus colore, omen bonum, ac successus prosperos denotant.

448 PROGNOSTICA etiam ab animalibus auspicamur, vnde Virgilius, ex Arato lib. 1. Georg.

—Nunquam imprudentibus imber
Offuit: aut illum surgentem vallibus imis
Aerię fugere GRVES: aut BVCVLA cœlum
Suspiciens patulis captauit naribus auras:
Aut arguta lacus circumuolitauit HIRVNDO:
Et veterem in limo RANAE cecinere querelam;
Sepius & tectis penetralibus extulit oua
Angustum FORMICA terens iter: & bibit ingens
Arcus, & è partu decedens agmine magno
CORVORVM increpuit densis exercitus alis:
Iam varias pelagi VOLVCRES, & quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri:
Tum CORNIX plena pluuiam vocat improba voce.

449 Plinius insuper l. 8. c. 28. recenset multorum prognostica brutorum, *Millia praterea vtpote cum plurimis animalibus eadem natura rerum, cœli quoque obseruationem*,

num, & ventorum, imbrium, tempestatum præsagia, alijs alia dederit: quod persequi immensum est, æque scilicet, quam reliquam cum singulis hominum societatem, siquidem, & pericula præmonet non fibris, modo extisque, circa quod magna mortalium portio hæret, sed alia quadam significatione; ruinis imminentibus musculi præmigrant, Aranei cum telis primi cadunt: Plutarchus de solertia animalium, *Thunnos sentire solstitia* scribit: Capras, Echines, Vulpes, præsentire quammaximè promit: causamque reddit Seneca, *naturam* bruta edocentem: Theophrastus ipsorum met *conseruationem*, ne scilicet in motu astrorum in caute pereant: Anaxagoras, & Democritus apud Simplicium, organum corporis dispositum ad orbis vicissitudines percipiendas; etenim, Ctesia auctore, quæ Nili inundationem præsentiunt, longius nidos reponunt, illuuiemque fugiũt: quæ tẽpestates sẽtiũt, vt Echinus maritim', teste Aeliano, lapillis se muniunt: quæ ventos auspicantur, velut Apes, pondere se firmant, ait Iunilius in Hex. itaque solertia quadam naturæ præsentiunt, vt se tueantur.

450 Et ne prolixior sim instituto, quia hac de re conscripsi lib. 1. in Apoc. Aelianum auoco, qui lib. 7. c. 7. inquit, *Grues ex mari in Mediterranea volantes, si Aristoteli credimus, tempestatis atroces minas significant: eædem silentio, & quiete volantes serenitatem, & tranquillitatem promittunt: quod si turbulente clamant, & ordine turbato volant acerbam tempestatem denunciant: hoc idem sonans in crepusculo matutino Ardea præsignare existimatur: eademque ad mare recte proficiscens pluuiam portendit: si noctua pluuio tempore sit garrula, serenum, & tranquillum cœlum denunciat: contrà, sereno canens, tempestatem ostendit: coruus excitato, & volubili sono crocitãs: & alarum plausu se concutiens, tempestates præmonstrat, rursus si Coruus, Cornix, Graculus crepusculo vespertino vocales sint, tempestatis aduersum prædicunt: Monedulæ volantes modo in sublime, modo deorsum versus, & voce referentes Accipitrem, frigus, et pluuiam monstrant; Cornix si ab altiore voce ter emissa, lenius deinceps sonet, bonam cœli temperiem futuram promittit: quum Aues albæ*

fre-

frequentes conueniunt, multam tempestatem demonstrant. Anates, et Mergi alarum gestu exultantes vehementem ventum prædicunt, Aues ex mari in Mediterranea cum impetu volantes tempestatem testantur: Rubecula auis stabula circumiens, et habitata loca lustrans ex aduentu tempestatis se fugere declarat: Gallinacei, cæteraque domesticas aues alarum percussione concrepantes, et cucurrentes, et sua quadam voce obstrepentes tempestatem nunciant: Aues lauatione vtentes venti procellas, et turbines significant: quod si quum est tempestas aliæ in alias volent, et vltro citroque inter se commeent, melius temperatum tempus pollicentur: circa stagna, et fluuiorum ripas congregantes se aues, tempestatem impendere non ignorant: contra Marinæ, et Palustres in terram proficiscentes plurimam tempestatem prænunciant: terrestres vero, si modo silentes sint, ad humidiora loca contendentes, serenitatem denunciant. hactenus ille, ex Arato, Thophrasto, Aristotele, & Plinio.

HEROVM INSIGNIA EX ANIMALIBVS.

CAPVT L.

451 

Ellorum Duces fortissimos, ipsosque Heroum proceres olim gestasse insignia, tradit Aeschylus in sept. ad Theb. quæ & si quandoque numen aliquod, vt Alcibiades *Amoris* signum, flectens fulmina ostendit, Matinenses *Neptunum*: quandoque *literas*, ac teste Eustathio, Lacedæmones, *L*, Messenij, Eupolide auctore, *M*, & *L*, Sicyonij apud Xenophontem, *S*, nihilominus animalium figuras exhibuisse, nouimus ex Homero, Aeschylo, Pyndaro, cæterisque infra auocandis. & vt à Romanorum classe sermo instituatur, scribit Plinius l. 10. c. 4. *Romanis Aquilam in legionibus C. Marius in secundo consulatu suo proprie dicauit: erat antea prima cum quatuor alijs, Lupi, Minotauri,*

tauri, Equi, Aprique singulos ordines ante ibant: paucis ante annis sola in aciem portari cœpta erat, reliqua in castris relinquebantur: Marius in totum ea abdicauit; ex eo notatum, non ferè legionis vnquam hybernasse castra vbi aquilarum non sit iugum; hactenus ille, quem plures sequuntur: attamen insignia olim Aeneæ temporibus fuisse inter bellatores inuenio, & exhibeo: primum ex Virgilio, qui Auentinum Herculis filium describens l. 7. Aen. occinit,

Post hos insignem palma, per gramina currum,
Victoresque ostentat Equos satus Hercule pulchro
Pulcher Auentinus, clypeoque insigne paternum
Centum angues cinctāq; gerit serpentibus HYDRAM.

deinde exuuias belluarum in ipso prodit,

Ipse pedes tegmen torquens immane Leonis,
Terribili impexum seta, cum dentibus albis,
Indutus capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Homerus Paridem *pardali pelle* indutum lib. 3. promit, & de Agamemnone denuo lib. 10. inquit,

Deinde autem cruentam induit pellem Leonis.

Virgilius de Camilla venatrice lib. 11.

Tigridis exuuia per dorsum à vertice pendent.

Valerius Flaccus lib. 6. Argonaut.

Cuncta Phalanx insigne Iouis, cælataque gestat
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes,
Nec primus, radios miles Romane, corusci
Fulminis, et rutilas scutis diffuderis alas,
Insuper auratos collegerat ipse Dracones,
Matris orat specimen, linguisque aduersus vterq;
Congruit, et tereti serpens dat vulnera gemma:
Hos super erectum Phalces agit æquore nubem
Cum fremitu, densique lauant vexilla coralli
Barbaricæ quis signa rotæ, ferrataque dorso
Forma suum truncæque Iouis simulachra columnæ.

Claudianus in consulatu Probini, & Olybrij de clypeis,

Flaua cruentarum pretenditur vmbra iubarum,
Et formidato clypeus Titana lacessit,
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte,

Hic

Hic patrius mauortis amor, fœtusque notantur
Romulei post amnis inest, et bellua nutrix,
Electo Tiberis pueri formantur in auro:
Tingunt æra Lupam, Mauors adamante coruscat:

Statius lib. 3. *—Ore ferarum,*
Et rictu horificant galeas.

Silius lib. 2. punici belli de Zerone,
Centum angues idem cœlatum insigne gerebat
In clypeo, & sectis geminam serpentibus Hydram.

Virgilius denuo Turnum describit l. 7.
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæra
Sustinet Aethnæos efflantem faucibus ignes;
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ:
At leuem clypeum sublatis cornibus IO
Auro insignibat, iam setis obsita, iam BOS,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus
Cælataque amnem fundens pater Inachus vrna.

Silius de Scuto Flaminij lib. 5. bel. pun.
Tum clypeum quatit, aspersum, quem cædibus olim
Celticus ornarat cruor, humetique sub antro
Ceu fœtum Lupa permulcens puerilia membra
Ingentem Assaraci cœlo nutribat alumnum.

in clypeo Agamemnonis, Pausania auctore, erat Leonis imago, quod quidem scutum in Olympiæ templo pependit, epigraphe,

Terror hic est hominũ, quiq; hũc gerit est Agamemnon.

452 His itaque recensitis *ad Aquilam* redeo, quam Germanus in com. Arati, & Lactantius, Iouis insigne fuisse, cum aduersus Titanas pugnaret, à quo Cretenses, inde Troiani, & Aenea ad Latium illud intulère: at si Alexandro fides l. 4. 2. *Persis aurea Aquila supra oblongam hastam patentibus alis militare signum fuit: nonnunqnam solis simulachrum, sacerque, & æternus ignis: Athenensibus NOCTVA: Thebanis SPHYNGIS effigies: Aeaæ Insulæ Marina TVRTVR: Cimbris æneus Taurus: Eumeni Ceres, & Alexander: Cratero, & Neoptolemo Minerua: Cyrus aureum GALLVM affixum lanceæ militi in acie pro ve-*

vexillo dedit: fertur Osyris CANEM gestasse: Aegyptij quoque animalia, quæ colunt effictis tabellis, pro bellico insigni habuere: hæc ille ex Diodoro Siculo l. 1. c. 2. Plutarcho in Pelopida, & Lysandro: Xenophonte pædiæ l. 7. Liuio, cæterisque quampluribus.

453 Sed quia nonnullos, in galeis, clypeisque insignia gestasse ex antiquis numis comperimur. icones exhibeo, & numos vt videas, & de antiquitate iudices.






L CESTIVS
SC PR
CNORBA


SEVERVS PIVS AVG.
PMTRXV COS. IIII P.


SCIPIO. IMP. QMETEL




ΥΕΛΗΤΩΝ

REGVM IN ANNVLIS SIGNA, ET NAVIVM ex animalibus.

CAPVT LI.

454 Olim per animalium figuras expressisse mentis arcana veteres, tradit Clemens Alexandrinus, Pherecides, & Horus Aegyptius: vnde Lucanus pharsaliæ l. 3.

Non dum flumineas Memphis contexere byblos
Nouerat: & saxis tantum, volucresq; FERÆq;
Sculptaq; seruabant magicas ANIMALIA linguas.

non solum in columnis Templorum, Regumque monumentis, siue curia, vel in rostris animalium figura nouimus, sed etiam in annulis, quorum nomina Plinius l. 33. 1. promit, *de annuli nomine ambigi video: græci à digitis appellauere: apud nos prisci VNGVLVM vocabant, postea, & græci, & nostri symbolum*, pergit deinde, & annulorum vsum enarrat, moremque insuper signandi, *non signat oriens, aut Aegyptus, etiam nunc literis contenta solis: multis hoc modis vt cætera omnia luxuria variauit, gemmas addendo exquisiti fulgoris; censuque opimo digitos onerando, mox et effigies varias cælando, vt alibi ars, alibi materia esset in pretio*: itaque vt figuras exhibeamus Suetonium auoco de Augusto scribente c. 50. *in diplomatibus, libellisque, & epistolis signandis initio Sphynge vsus est. mox imagine Magni Alexandri, nouissime sua Dioscoridis manu sculpta, qua signare insequuti quoque Principes perseuerauerunt*: complectitur hæc Alexander l. 2. 19. dicens, *Primi saxi fragmentum ferro inclusum gemmæ loco gestasse feruntur: superior Aphricanus Sardonychem, quod sola gemmarum ceram non auferret: Polycratis annulo celebratam: Lentulus Aui figuram, Aphricani filius patris effigiem insculpsit annulo: Augustus Octauius Sphyngis, mox imagine Magni Alexandri, Harpocrate, & Aegyptijs Dijs vsi sunt: notaque est Pyrrhi gemma, in qua Apollo, & Musæ cum suis insignibus non effictæ, sed natiua specie visebantur: & An-*

nulus Syllæ, in quo traditus Iugurtha insculptus erat: celebratur quoque RANA Mœcenatis; & ensifer Leo magni Pompeij in gemma: Seleuci annulus fatalis in quo ancora effiicta videbatur, cuius imago in fœmore posteris familiæ natiua apparuit; sicut Thebis habere lanceam genitiuis notis Satorum nomini, & familiæ datum erat: inter quos fertur in brachio Dracorum notam originis, quarto quoque partu regenerari, & Augustus corpore maculoso in modū, & ordinem COELESTIS *VRSAE notas habuisse*; hactenus ille, ex Athenæo, Iustino, Plinio l. 37. 1. Suetonio c. 80. ac Solino.

455 Sed animalium signa olim mutasse ob conuicia, quibus quamplures insultabant, docet Plinius lib. 37. cap. 1. *D. Augustus inter initia Sphynge signauit, non infaceto lepore accipientium ænigmata afferre eam Sphyngem: quin'etiam Mœcenatis RANA per collationem pecuniarum in magno terrore erat: Augustus postea ad euitanda conuicia Sphyngis, Alexandri Magni imagine signauit*: eodēq; modo Cyrus primùm Gallo, vtebatur, quem & in classe milites præferebant, deinde Crasso deuicto mutauit annulum, quia ex Gallo Basiliscum nonnulli irridentes cauillabant: Delphinum Pompeius M. habuit, eoque classicum maritimum perficiebat, sed tandem in Sicilia cum piratas aggrederetur, Neptuni signum prætulit, vt vel Numinis pompa maiestatem præferret, vel piscis mutata imagine Regnum ostentaret; & Mitridates, qui venenum in annulo, Plinio auctore, gerebat, eadem in gemma serpentem habebat, veneni forsan, ac exitij notam.

456 De Nauigiorum signis plura apud Virgilium legimus, præcipue in catalogo Ducum, qui ex Hetruria in Italiam cum Ænea venerunt, de Massico cecinit,

Massicus ærata princeps secat æquora TIGRI.

nauis igitur pro signo Tigrim habebat, à qua nomen: sicut Tacitus l. 6. an. de Phryso arcanum expendit, nec quisquā Ariete sacrificauerit, credito, Phryxum vexisse, siue id animal, siue NAVIS INSIGNE fuit: apud Plutarchum de virtutib. mul. *Nauis inuenitur leonem pro insigni habens in prora, Draconem in puppi*; picturam etiam Naui Argo addit Val. Flaccus l. 1. Argonauticon,

Con-

Constitit, vt longo moles non peruia ponto
Puppis, & vt tenues subiere latentia ceræ,
Lumina picturæ varios super addit honores:
Hic sperata sedens Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamum vehitur Thetis, æquora Delphin
Corripuit, silet hac deiecta in lumina palla
Nec Ioue maiorem nasci suspirat Achillem.

apud Virgilium lib. 5. Aen. Mnestheus, Gyas, Sergestus, & Cloãthus nauali decertant pugna, nauemq; ex animalibus Pristin, Chimæram, Centaurum, Scyllamque occinit.

Prima pares ineunt grauibus certamina remis
Quattuor ex omni delectæ classe carinæ:
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin,
Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna, Scyllaque Cloanthus
Cærulea, genus vnde tibi Romane Cluenti.

457 Bayfius hinc denominatas naues credidit, & colligitur ex Liuio, qui l. 44. ait, *adiectæ ad hunc numerum quinque PRISTES erant.* Polybius lib. 17. *habens quinque lembos, & vnam pristin, qua vehebatur*: de qua bellua nos lib. 2. diximus: itaque ab insigni naues denominatas legimus; & Lilius c. 17. nauium vbi nomina varie enarrat animalium meminit, nã nominantur sæpissimæ à locis vbi ædificatæ, vel inuentæ, vel in vsu frequentius habitæ, vt Aegyptiæ, Liburnicæ, Naucraticæ, Salaminæ, Tudertinæ, & Rhodiæ: sunt & Sidoniæ, & Punicæ, sunt Babyloniæ, Italiotides, & Samenæ; est quæ à Poetis PEGASEA dicitur: sunt quæ ab artificibus nomen duxerunt, vt Argò, Pherecleа, & aliæ sunt quæ à magistratibus, & ab ijs, qui præsunt vocatæ sunt, vt prætoria, & in peratoria: item à rebus quæ in ipsis deuehuntur, vt Hippagines, & Hippagogæ apud Fabium Quintilianum, & Annoniæ apud Cæsarem in commentarijs: aliæ à vasis forma, vt Gaulus, Cymba, Corbita: nonnullæ à pictura, vel insigni, vt PISTRIS, vel Pristis, Cen-

taurus Miltopatriæ: aliæ à forma, & specie vt Aulonæ, Thalamegi, & quas hoc tempore Sandalos appellant: aliæ ab ANIMALIBVS appellantur vt CRII, Tragi, Tauri; quædam à materia, vt Trabicæ, Monoxyli, Alni, Pinus; à deis etiam in ijs præsidentibus, vt Isidis, Apollinis, Tritoniæ, quæ insignia tamen putarim, vt etiam Crij, & Tagi, hactenus Lilius, & Baysius, nec male Europæ Taurum ad Nauem alibi referendum diximus, & Isidis Vaccam, & Aquilam Iouis Ganimede onustam ad Naues, in quibus patrata per vim facinora fuerunt dedimus.

458 Bonus interpres ad illud Ouidij,

Est mihi, sitque precor flauæ tutela Mineruæ,
Nauis, & à picta casside nomen habet.

inquit, in Nauis Casside Noctuam fuisse, velut insigne: Naues è Vimine refert Cæsar in bello Britannico, sed non absque brutorũ exuuijs, vnde Lucanus in 4. pharsal.

Primum cana salix madefacto vimine paruam
Texitur in puppim, cæsoque induta iuuenco
Vectoris patiens tumidum supernatat amnem.
Sic venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
Nauigat oceano, sic cum tenet omnia Nilus
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

non loquor de ratibus pellium nexu constructis, de quibus Plinius, & Herodotus in Clio scribunt, sed de illis, quæ animaliũ signa præferunt: cæterum Valerius Flaccus Heroum picturam, ac Numinum in nauibus exhibet, vt nihil sit in Argo conspicuum, quod non videatur.

459 Tandem animaduerto, insignia non solum in annulis, sed etiam in ense olim gessisse principes, sic Ouidius l. 7. metam.

Agrestes Aconita vocant, ea coniugis astu
Ipse parens Aegeus nato porrexit, vt hosti.
Sumserat ignara Theseus data pocula dextra,
Cum pater in capulo gladij cognouit eburno
Signa sui generis, facinusque excussit ab ore.

enarrat Patrem cognouisse Theseum, ex insigni quod in capulo gladij erat, quod parum diuersè Plutarchus in Theseo prodit.

DE ARCANIS, SIVE AEGYPTIORVM SYMBOLIS. ex Clemente Alexandrino.

CAPVT LII.

260 
Leobolum, post Mercurium, symbola edidisse apud Aegyptios compertum est: quorum mīsteria, his qui altum sapiunt multum ad sapientiam conferunt. enimuero, sicut Pythagoras carmina tradidit nulli hominum vulganda, nisi post silentij, sacrorumque expiationes, ne vilescerent, sic differendum de symbolis Aegyptiorum, vti Clemens Alex. l. 5. strom. docet; vnde etiam Aegyptij nō quibuslibet ea, quæ erāt apud ipsos cōmunicabant mysteria: neque rerum diuinarum cognitionem deferebant ad prophanos, sed ad eos solos, qui erant ad regnum peruenturi, & ex sacerdotibus ijs, qui iudicati fuerant probatissimi, & educatione, & doctrina, & genere. Ergo quod attinet ad occultationem, sunt hebraicis similia Aegyptiorum ænigmata. ex Aegyptijs alij quidem in nauigio, alij verò in Crocodilo Solem ostendunt. significant autem quod Sol per aerem dulcem; & humidum ingrediens, gignit tempus, quod ænigmaticè significat Crocodilus, per quandam aliam sacerdotalem historiam. porrò autem Diospoli quoque, quæ est Vrbs Aegypti in æde sacra, quæ vocatur Pylon, figuratus quidem est puellus, signum generationis, senex verò, interitus: & rursus Dei symbolum, accipiter: vt piscis symbolum odij, & in alio rursus significato, Crocodilus est signum impudentiæ; videtur ergo vniuersum hoc symbolum simul positum hoc significare: ô qui nascimini, & interitis: Deus odium habet impudentiam. & aures, & oculos fabricantes ex materia preciosa, consecrant Dijs dedicantes, hoc vtique capite significantes, quod Deus omnia videt, & audit. his accedit quod roboris quidem, & fortitudinis signum est eis Leo: sicut certè, & ipsius terræ, & agriculturæ, & alimenti, est bos: magnique animi, virtutes, &

libertatis, Equus: roboris autem rursus cum ingenij solertia, Sphinx, quę totum quidem corpus habet Leonis, faciem autem hominis. his quoque similiter, ingenij solertiam, & mentem, & vires potentiamque, & artem homo significans, ab eis in sacris insculpitur. iam verò in ijs quoque, quę ab ipsis vocantur deorum κωμασίαις aureas imagines, duos quidem canes, vnum autem accipitrem, & Ibim vnā circumferunt: & quatuor imaginum simulacra, vocant quatuor Litteras. atque duo quidem canes, sunt symbola duorum hemisphęriorum, vt quę circumeant, & custodiāt: accipiter verò, Solis: est enim igneus, & vim habet interimendi. pestilentes itaque morbos Soli attribuunt. Ibis autem, Lunę: vmbrosa quidem, nigro: lucida autem, albo, plumis referentibus. sunt autem qui volunt quidem tropicos significari à canibus, qui custodiunt, & instar sanctorum obseruant, accessum Solis ad Austrum, & Septentrionem: ęquinoctialem autem, qui est altus, & perustus: significat accipiter, sicut Ibis obliquum, seu signiferum. numeri enim inuentionis, & mensurę, maximè ex animalibus Ibis videtur principium prębuisse Aegyptijs sicut ex circulis obliquus. sed enim non solum qui ex Aegyptijs ratiocinādi plurimum valuere, sed ex alijs quoque barbaris ijs, qui erant dediti studio philosophię, symbolicum genus sunt consectati. aiunt quidem certè Idan thuram quoque Scytharum regem, vt refert Pherecydes Syrius, Dario qui Istrum traiecerat bellum minantem, symbolum misisse pro literis murem, ranam, auem, iaculum, aratrum. cum autem de his, vt erat consentaneum, exorta esset dubitatio, Orontopagas quidem Tribunus militum, dicebat eos tradituros imperium, coniectans ex mure quidem, habitationes: ex rana autem, aquas: ex aue verò, aerem: ex iaculo autem, arma: ex aratro verò regionem. Xiphodrex autem contra est interpretatus. dicebat enim: nisi tanquam aues euolauerimus, aut tanquam mures terram, vel tanquam ranę aquam subierimus, illorum tela non effugerimus: non sumus enim Domini regionis. Anacharsim quoque Scytham dicit dormientem, sinistra quidem continuisse pudenda, os autem dextera, significantem, oportere quidem vtrum-

que,

que, ſed maius eſſe, linguam cohibere, quam voluptatem, & quid opus eſt vt in barbaris referendis immorer, cum liceat oſtendere ipſos græcos valde eſſe vſos occultatione? Androcides certè Pythagoricus, literas, quæ vocantur Epheſiæ, in vulgus autem fuere valde iactatæ, dicit locum tenere ſymbolorum: ſignificare autem ἄσκιον, quidem tenebras eas enim non habere vmbras κατάσκιον lucē quoniam illuſtrat vmbram λὶξ autem priſca appellatione eſt terra; τετρὰς, hoc eſt quaternio, annus, propter horas, &c. quin etiam Dionyſius Thrax Grammaticus in lib. de decl. ſymboli de rotulis dicit, illis verbis: *ſignificabant, non per verba ſolum, ſed etiam per ſymbola, vt & ROTA, quæ vertitur in Deorum Templis, quæ tracta eſt ab Aegyptijs, & RAMI, qui dantur ijs, qui adorant*; dicit enim Orpheus Tracius,

Ramorum, aſt quis ſunt hominum terreſtria curæ,
Non vno ſtant fata loco in mente, omnia circum
Voluuntur, nec fas vna eſt conſiſtere parte,
At cœpit curſus, verum eſt pars cuilibet aqua.

Rami autem ſunt ſymbolum primi nutrimenti, vt ſciat vulgus fructus germinare, & augeri longiſſimo tempore permanentes, ſe autem accepiſſe exiguum vitæ tempus: fortaſſe autem etiam, vt ſciant, cito morituros, & in ignem opus futuros. ſapientis enim eſſe vti dictione ſymbolica appoſite tradit Didymus Grammaticus: Phrygas, inquit, *Aquam* vocari Bedy, ſicut etiam Orpheus,

Nympharumque Bedy promanat limpida lympha.

Dion Thytes, ait, *& acceptum Bedy, effundere manibus, & conuertere ad Aruſpicinam:* Phylideus Comicus, Bedy, aerem, qui vitam ſuppeditat ſignificare ſcribit,

Traham vt Bedy ſalutare deprecor,
Quod ſanitatis eſt pars, vel potiſſima.

ideſt, *vt traham aerem purum, non perturbatum:* cui cōſentit Neanthes Cyzicenus.

461 Sphynx eſt intelligentia vniuerſorum, & ex Poetæ Arati ſententia, *mundi conuerſio:* melius autem fuerit accipere *æthera*, qui omnia continet, & conſtringit, ſicut dicit Empedocles.

Principium Solis tibi nunc age carmine dicam,
Atque orta unde sient, quæ à nobis cuncta videntur
Tellus, atque mare exundans, atque humidus aer,
Titan, atque æther, qui cuncta astringit in orbem.

Apollodorus autem Corcyræus, dicit, hos versus fuisse prolatos à Brancho vate, Milesios expiante à fame: ille enim multitudinem Ramis lauri aspergens, hymnum dicendo præiuit hoc modo,

Cantetis pueri beus Hecaergon, atque Hecaergam, ita autem acclamauit populus, vt diceret Bedy, Zaps, Chthon, Plectrum, Phynx, Cnachzhi, Chtypes, Plegmo, Drops: meminit historiæ Callimachus in Iambis: quorum interpretationem verborum ex Orpheo Epigenes expendit, & Heraclitus de natura, apud Clementem Alex. qui ex Pherecidis Syri Theologia, Euphorionis carmine, Callimachi, & Lycophronis Alexandra, plura indigitat, quæ vide.

462 Sic apud Cœlium l. 10. *Testudo* in numis, *secreti*, atque *silentij* symbolum exhibetur: hoc enim argumento Heliensibus Phidias Venerem fecit, quæ testudinem calcaret, opertius implicatiusque commonstrans, esse muliebris decoris ædes custodire, ac silentium: ædium insuper, simulacrorum, adytorum, ac thesaurorum custodiæ prefici *Dracones* peruulgatum est, apud Macrobium in symposiacis: cæterum Horus, & Pierius, symbolum notam esse ex qua aliquid coijcimus docent.

463 De Heroglyphicis dicendum, cum Hori Ægyptij commentaria dabimus.

Similiter de IMPRESIIS.

MISCELLANEA DE BRVTORVM PRAESTANTIA. & Artemiodori de somnijs deliria.

CAPVT LIII.

464 Restant nonnulla, quæ breuiter recensenda duxi: laudat Coruos Callimachus, illosque loquaces Apollodorus prodit, vnde Plinius 10. 43. inquit, *reddatur, & Coruis sua gratia, indignatione quoque populi Romani testata, non solum*

solum conscientia: Tiberio principe ex fœtu supra Castorum ædem genitus pullus, in oppositam sutrinam deuolauit, etiam religione commendatus, officinæ domino: is maturè sermoni assuefactus, omnibus matutinis euolans in rostra, in forum versus, Tiberium, dein Germanicum, et Drusum Cęsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat, postea ad Tabernam remeans, plurium annorum assiduo officio mirus: hunc siue æmulatione vicinitatis manceps proximæ sutrinæ, siue iracundia subita, vt voluit videri, excrementis eius imposita calceis macula exanimauit, tanta plebei consternatione, vt primo pulsus ex ea regione, mox et interemptus sit, funusque innumeris aliti celebratum exequijs, constructum lectum super Aethiopum duorum humeros, præcedente tibicine, et coronis omniumgenerum ad Rogum vsque, qui constructus dextra via Appiæ ad secundum lapidem in campo, Rediculi, appellato fuit; adeo satis iusta causa populo Rom. visa est exequiarum ingenium auis, aut supplicij de Ciue Romano in ea vrbe, in qua multorum principum nemo duxerat funus: Scipionis vero Aemiliani post Carthaginem, Numantiamque deletas ab eo, nemo vindicauerat mortem: hoc gestum M. Seruilio, C. Cestio Coss. ad v. Kal. April.

465 Sed quia de coruo diximus, auocandus est Aelianus, qui l. 1. c. 46. ait, *Coruum sacrum, et Apollinis pedissequum esse dicunt: idcirco diuinationibus præditum fatentur: eiusque clamori dant operam, qui auium sedes, et clangores, et volatus ipsarum à dextra, ac sinistra cognoscunt: corui oua audio nigros efficere pilos, qui vero capillitium suum sic adulterat, oportet oleum in ore compressum habeat: nam nisi id fiat, simul cum pilis ei dentes nigri redduntur, vixque elui possunt*: sedquia vocales aues primum exhibuimus, de Pica nobile, ac memoratu dignum facinus ex Plutarcho referam, etenim de sol. an. inquit, *Tonsor quidam tonstrinam habebat ante templum, quod Forum gręcorum appellant: is mirifice vocalem, et garrulam alebat Picam, quæ et hominum verba, et voces boum redderet, instrumentorumque sonos, non cogente quoquã, sed quod ipsa impense studeret omnes voces prodere, nihil*

non sonorum exprimere imitando: forte euenit vt in ea vicinia diues quidam efferretur multis tubis actinentibus. cumque pro more ibi locorum fieret institio, tubicines, quia placebant iussi cantum diutius protraxere: ab illa die Pica ita muta, ita voce omni destituta fuit, vt ne eam quidem ederet, quæ necessaria sibi solebat indicare: quibus ergo ante vox eius, ijs tunc silentium admirationi fuit: etiam eo maiori, quod auditorium solitorum ea pergere, ita conticuisset; non deerant, qui veneficio eandem artem tractantium hoc effectum suspicarentur, plerique sono tubarum auditum auis perculsum putabant, & attonitum, unaque cum eo extinctam vocem: verum nihil erat tale in causa: sed exercitatio, vt apparuit, vi imitandi in sese conuersa, et vocem, tanquam instrumentum concinnante, atque apparante: subito enim rursum emicuit, nihil vsitatarum illarum, et veterum imitationum, sed cantus tubarum ipsis conuersionibus modulans, omnesque mutationes, et pulsationum numeros exprimens, vt in animalibus intelligi possit facultatem à se ipso discendi rationis maiorem habere vim, quam docilitatem magistro aptam: at Picam tubas retulisse non sit mirum, Carduelis & ipsa Taurorum mugitum depromat: Plinius enim l. 10. c. 42. scribit, *minime auium Cardueles imperata faciunt, ne uoce tantum, sed pedibus, et ore pro manibus: est qui boum mugitus imitetur, in Arelatensi agro, Taurus appellata, alioquin parua: est quę equorum quoque hinnitus, Anthus nomine, herbę pabulo aduentu eorum pulsa imitatur: ad hunc modum se ulciscens*: de Psittacis, alijsque prodit, idem auctor miracula; *adimant verba, quæ loquantur: nec discunt tantum, sed diligunt: meditantesque intra semet, cura, atque cogitatione intentionem non occultant. constat emori victas difficultate verbi, ac nisi subinde eadem audiant, memoria falli: quærentes mirum in modum hilarari, si interim audierint id verbum; nec vulgaris ijs forma, quamuis non spectanda: satis illis decoris in specie sermonis humani est. verum addiscere alias negant posse, quam quæ ex genere earum sunt, quæ glande vescantur, et inter eas facilius, quibus quini sunt digiti in pedibus, et ne eas quidem ipsas*

nisi

nisi primis duobus vita annis; latior ijs est lingua, omnibusque in sub cuique genere, quæ sermonem imitantur humanum: quamquam id pene in omnibus contingit. hactenus ille: primum Turdum, vocalem habuisse Agrippinam Claudij Cæsaris coniugem legimus: habebant, & iuuenes Cæsares Sturnum, qui voces hominum referret: similiter Cornix è Bœtica verba exprimens apud Romanos commẽdabatur, sicque concludimus aues omnes aliquid discere ex hominum consortio, excepta hirundine, inquit Aristoteles, ob quod forsan Pythagoras expellendam censuit, eãque Plinius l. 10. c. 44. *indocilem* dixit, cæteræ Plutarcho auctore tanta præstant solertia, vt rationis compotes videantur.

466 Ab auibus ad pisces transeo: etenim Theophrasto authore apud Plinium, Senecam, Pisces sunt circa Babylonis rigua, quorum capita ranæ marinæ similia obseruantur, & in cauernis viuunt: prope Heracleam, & Cromnam, & multifariam in ponto vnum genus esse, dicunt, quod cauernas faciat sibi in terra, atque in his viuat. de quibus nec Aristoteles siluit, nec Albertus; sed de Echeneide obseruandum, quod Plinius l. 9. scribit c. 25. *est paruus admodum piscis assuetus petris: hoc carinis adhærente naues tardius ire creduntur, inde nomine imposito; quam ob causam AMATORIIS, QVOQ; VENEFICIIS INFAMIS EST, & iudiciorum, ac litium mora, quæ crimina vna laude pensat, fluxus grauidarum vtero sistens, partusque continens ad puerperium*. de Crocodilis, mirum est quod prodit Aelianus l. 10. 21. ex Aegyptiorum oraculis, *sexaginta dies ventrem ferunt, oua totidem ex sese pariunt: totidemque dies hæc foueunt*: lx. *vertebras in spina habent, quam totidem neruis alligatam esse ferunt: curatio partus ab eisdem sexaginta diebus peragitur: annos viuunt sexaginta, totidemque dentes possident: totidem quotannis dies, sine vllo cibo in latibulis quiescunt*. vides quanta in vno sint numerorum arcana? recte Deus omnia fecit in numero, pondere, & mensura.

467 Tandem ex delirijs Artemiodori aliquid animaduerto: Delphinus in mari fere bonum omen portendit: pisces

pisces omnes extra mare, similiter auspicatò videntur, etenim lædere haud possunt, non sic autem de Delphino dicendum, nam in terra malum ostentat: Mergi, auesque marinæ, quia fluctibus se obruunt,& non merguntur, pericula denunciant procul à morte: pisces mortui *vanas spes* significant; viui meliora indicant, siue ijs vesci liceat: ægrotans si in cubili piscem somniet, humore periclitabitur. Prægna mulier, piscem parere se videns, mutum filium pariet, mutilum, breui victurum. Ranæ, quia homines significant, in somno melioris fortunæ notam præferunt: piscium captura, vtilitatem demonstrat, exceptis sophistis, quibus otium portendit, auditoresque ineptos; at parui potius tristitiam, quam lucrum: varij, ægrotantibus venena, sanis vero dolores, & insidias: noti, malefactoribus tormenta, ægrotantibus inflammationem: Mullus, dentex, &c. mulieribus fœtum, ob fœcunditatem ostendunt. Crustacei, qui veteres doponunt exuuias, in carceribus dententis, ac pauperibus malorum commutationem in melius significant: at quia amphibiorum genus sunt, suaque ferunt, exilium, & carceres non semel præmonstrant: attamen piscatoribus Purpura bona, Cancer, vero & Pinna ob societatem, nuptias indicant: Molles pisces facinus indigitant, quamsæpissime etenim colorem mutant, & latēt, & quia ossa non habent, imbecillitatem nunciant. Cartilaginei, vanum laborem, nam facilè muræna, & anguillæ è manibus fugiunt: Plani pisces vt Torpedo, & Pastinaca ob feritatem, pericula significant, & insidias; similiter & squammosi; squammis carentes, inanes spes faciunt: sed quia pisces marini meliores sunt his, qui in stagnis aluntur meliora portendunt omina.

468 Dum sumus in mare, nauigationis peritiam exercere libeat; somnians felicem nauigationem felicitatem, secus in tempestatibus pericula agnoscat: melius est magnā ingredi nauem, vtpote solidiorem, at parua similiter bene instructa solet etiam fluctus rumpere: qui per terram nauigare insomniāt molimina sibi prędicūt,& vix bona euentura, præcipue si tempestates in arida timeant, vel ab arboribus detineantur: nam sicut portus bona significat, ita scopulorum

rum anfractus, pessima : Ancora, securitatem, & permanentem in statu fortem : malus, dominium : funes, redemptionem, & contractus effectum : Nauis, domum : cursus nauis absque meta, periculum haud vulgare.

469 Dicendum etiam de auibus restat: aues magnæ diuitibus, paruæ pauperibus auspicatò videntur. Aquila sedens in petra, peregrinantibus finem itineris : aduolans faustum omen : desidens, in capite videntis, exitium : portans proceres, clades principum (quia Aquilarum volatu olim ad sidera pingebantur sacri) pauperes, bonum : diuites, commodum: mansueta, & vocalis optima, portendit : mulier parientem videns aquilam, filium expectet, pauper, siue diues in exercitu, principatum : mortua Aquila, domino mortem, reliquis impedimenta denunciat. Vultures, coria ob morticinia, præmonent : medicis ægrotantium sollicitudinem : Accipiter, & Miluus prædones indigitant : Cornix rerum dilationem: Sturni egestatem : Palumbes, mulieres inhonestas : columbæ, castas : Grues, & Ciconiæ gregatim hostium incursum : hyeme conspectæ tempestatem significant : æstate, siccitatem : Cygnus, musicum denotat : visus ab ægroto, portendit sanitatem, at si canit, exitium: Hirundo dira præmonstrat, similiter aliæ eiusdem generis aues.

470 Sequuntur bruta, ex quibus oues albæ, opima, nigræ dira portendunt. multas habere oues, vel alienas educere, his qui magistratum affectant, bonum denunciant: Aries similiter qui præest, principatum : Capræ omnes sunt malæ ; Equus pugnam denotat : Asini ferentes onus, ad omnia paratos ostendunt. sunt etenim Sileno sacri, timoremque expellunt. Muli etiam commoditates, significant, agriculturæ, ac itinerum ; sed ambo efferati, insidias, ac morbum : commendantur Boues : Taurus grande quid portẽdit, at nauigantibus tempestatem : Leo mansuetus, vel catuli optimum in somnis occursum cuiuis præbent: minax, morbum, & pericula ex igne, ob nimium etenim calorem totus est in ira igneus ; leæna criminosos, & ipsa prædicit : Pardalis viros, ac mulieres veneficos denotat, & ob coloris varietatem, varios circa mores : Vrsa mulierem significat,

pe-

peregrinationes, ac morbum: Elephas extra Italiam, & Indiam horrenda præmonstrat, secus dominium; & obsequium erga Reges; persequens, & minax; morbos, vel mortem: Onagri, inimicitias aduersus beneuolum nunciāt. Lupi, inimicos significant violentos; & quia in fluminis transitu vnus alteri succedit, annum premonstrant; vulpes insidias ob calliditatem: Cynocephalus, morbum sacrum, est etenim lunę dicatus: Simias, & Lynces cum prędictis conueniunt. Hyæna, Androginum monstruosum, in mulierem degenerantem: Aper violentam pluuiam, & litigantibus aduersariū potētē, propterea quod plātas pessūdet, & perdat, imo ob libidinē, mulierē perditā: Ceruus in naui gubernacula, celeritatemque significat: at recte dispositus, celeritatem: fugiens, timorem denotat: cæterum Animalia mansueta si ferociunt, pessimum Omen portendunt, & ferocissima mansueta facta, optimum.

471 Circa reptilia, insuper somniant: Draco visus Regem, magistratumque significat; exuit enim senectam, & adolescit; imo quia Thesauros custodit, diuitias denotat; datur comes non semel Numinibus vnde bonum omen; at circumplicatus, & horridus ægrotationes enunciat, & perniciem: Serpens, morbum; & inimicitias: vipera Argentum, & opulentas mulieres: qualemcumque feram mulier habens in sinu occultauerit cum oblectatione strupabitur ab amico eius, qui somnum vidit; si vero timeat, ægrotabit: si vterum gestauerit, fœtum non seruabit; similiter reptilia quæque serpentium portenta referunt; & Scorpij, cæteraque huiusmodi, malos homines, hæc ex Artemiodoro, qui cum primis delirauit.

472 Post modum Astrampsychi oneirocriticon legimus, quod antea Nicephoro Patriarchæ Constantinopolitano, vetus hominum error adscripserat; de illo meminit Suidas, & Scaliger eius carmina latinitati dedit, inter nugas, etiam, & huius obseruationes damus:

Serpentes calcare, aculeos inimicorum soluit:
Accipitres si cepisti, omnino quod voles consequeris;
Passerem tenens fugientem, expecta mortem:
Manu elapsus Accipiter, imperantibus noxa est.

Boues

Boues in somnijs videre, significat malum
Equas nigras videre, omnino non est bonum
Equorũ vero alborum visio ANGELORVM apparitio
Leones videre hostium indicat pugnas. (est.
Columbas videre, denunciat detrimentum
Pullum equinum currentem videre, arcanum quid-
Canum latratus, hostile designat damnum (dam est.
Lupus hians, ineptos significat sermones.
Mus vero conspectus, benignos mores arguit.
Mortui Boues significant famis tempora.
Crabrones visi, inimicorum sunt nocumenta.
Conspectus Lepus infelix facit iter.

473 Audisti nugas hominum delirantium, inter quos Chrysippus, Antipater, Dionysius Heracleotes, & alij Stoicorum commentarios de somnijs ediderunt, forsan quia Sireno auctore, Orpheus, Pythagoras, Plato, Porphyrius, Iamblichus, cæterique ex Platonicorum, & Stoicorum secta docebãt, quod rerũ futurarum signa certis indicijs Deorum benignitas, & prouidẽtia prodit; hinc Homerus 19. Odyss. portas somnij duas occinit, *Eburneam* vnam, ex qua falsa prodeunt: *Corneam* vero alteram, vnde vera exeunt, caussamque harum reddit Nicephorus in Synesij comm. de Insomnijs. expressitque Virgilius lib. 4. Æneid.

Sunt geminæ somni portæ quarum altera fertur
Cornea, qua veris, facilis datur exitus vmbris,
Altera candenti perfecta nitens Elephanto;
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.

quod antea, Tullio edocente, Ennius, ex Homero retulit: etenim inquiunt, Porphyrius, & Iamblichus, animus noctu egressus cum Dæmonibus, qui aerem replent vnitur, præuidetq; futura. nam si Possidonio ex Platone fides, animus prope corporis exitium diuinus fertur circa rerum præuisiones, idque quia liber extollitur, oppressionemquem, quam antea, non patitur: vnde Hector apud Homerum in Iliade, Achilli mortem prædixit; ergo, si sui in somnio compos efficitur, melius præuidit, ac ventura denunciat: probatque Nicephorus, quia rerum omnium sunt veluti quædam in orbe idola, quorum spiritus phantasticus est speculum: id-

que fertur de Chalcante, qui teste Homero in Iliad. ex aui bus, intestinis victimarum, insomnijsque, nouit,

Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

474 Sed vt vanitatem reijciamus, Tertullianus de anima videndus est: ac præcipue Aristoteles, qui somnijs diuinitatem nec adimit, nec admittit, sed veterum monumenta, vel sic contemsit; licet Auerroes, & Pomponacius diuersimode de illo scribant: enimuero somnia vel sunt à Deo vti Hierothæus, Tertullianus, & Gregorius Pontifex enarrant, docetque scriptura in Adam misisse creatorem, somnium: ac de Iosephi, Iacobi, Ioannis, cæterorumque insomnijs plerumque legimus, & ista vera sunt: docentq; gentiles qui ex scripturis habuerunt arcana, in 1. Iliad. Homerus occinit, *somnium ab Ioue est*: & Iamblichus de mist. ex Orpheo inquit, *mittitur à Dijs somnium pro eorum arbitrio; scilicet, quando & quomodo volunt benignitate quadam præmonstrare futurum*; cæterum falsa sunt arcana, quæ interpretrantur ex somnijs; primo, quia Artemidorus iuxta Aegyptiorum symbola significationes deducit, quorum animus non potest insignire omen, quia ad hominum placita referuntur: secundo, quia Nicephorus, ad rerum imagines rem versat, quarum phantasticus spiritus fit speculum, sed si hæc idola admittuntur, quia multa sunt, & fere innumerabilia, cur hæc representet, & non illa assignandum esset: Tertio, quia corpore quiescente, animus qui per organum operatur, quiescit, commouetur autem ex humorum motu, vnde ait Cicero de diuin. quæ diu inspexit, attrectauit, nouitque homo, noctu inspicit, expressitque Claudianus,

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies:
Venator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad siluas, & sua lustra redit;
Iudicibus lites, Auriga somnia Currus,
Vanaque nocturnis meta cauetur agris.

ex Theocrito, qui Idyl. 25. de piscatore ait, *in somnijs omnis canis panem somniat, & ego pisces*. vnde Artemido vanitas præcluditur, qui de pugna cum feris, de venation &

& canibus, de venatorum instrumentis, & piscatura diuinat; nulla ratio ad somnia valet, nisi ea, quæ ex Platonis doctrina, promit Augustinus, animam, scilicet, *diuinationem* quandam præferre: & de hac iterum ambages, quia de veritate non constat.

DE ANIMALIBVS NONNVLLA SPARSIM exhibita.

CAPVT LIV.

475 

Rpheus omnium sapientum apud veteres princeps: deinde Hesiodus, cæterique vates, Deorum imaginibus, quædam velut ad obsequium animalia, dederunt; vnde Ceres cum Draconibus apud Apollodorum, & Hecates de seipsa in oraculis, quæ sparsim in Eusebio, Clemente Alexandrino, cæterisque leguntur, inclamat,

Iam mihi tu omnia facito, simulachrum autem in ipso
Forma mihi est Cereris pulchrum fructum ferentis,
Vestibus omnino cādidis, & circa pedes aureis calceis,
Circa zonam obliqui procurrunt DRACONES
Vestigijs impollutis erepentes sursum
Ipso ex capite suspensi ad pedes extremos,
In orbem circum totam voluti secundum ordinem.

vidimus numum Cereris imagine insignitū cū Draconibus.





476 Elephantorum virtutes deinde proceres plurimi cum fecissent exhibuerunt, etenim quia animal illud Regium, sæculum viuit, & temporum vicissitudines constanter superat, æternitatis velut simulachrum dederunt: omnia etenim longo tempore promit, de partu Plinius l. 8. decem annos gestare vterum Theophrastus scribit, quanquam Aristoteles, & Aelianus pauciores longe annos ponant: & apud Aegyptios, inquit Pierius, *sunt qui Pullum elephanti pingant, quippe cui non dum dentes enasci ceperint, si lõgo quid temporis interuallo factum significare voluerint:* en Iuliæ Piæ, & Philippi numos vides.





477 Leones etiam sub iugo æternitatis præferre om vidimus, forsan quia solem referũt, lunamque; & apuc pollonium Tyaneum, mensium, ac annorum, tradit lostratus; in numo Faustinæ, vbi sæcula recensentur, Leones, duosque Elephantos inspicimus. De





'8 De Baccho, quamplura veteres? Nero ipsum in :u, Ariadnamque cum pantheris exhibuit: cuius triũ-:n ostentat Antoninus pius, canitque Propertius,

Lyncibus in cœlum vecta Ariadna tuis.

e eius gestis apud Strabonem l. 15. Georg. Megasthenes, ratosthenes scribunt. & forsan ad victorias eius allu-:r, de quibus Nonnus Panapolitanus in Dionysiacis it. nisi dicas, ex vino brutorum insanias oriri.




479 Sed Zoroastri carmen expendere fert animus;

Tuum vas bestiæ terræ incolent.

uod Plethonis scholio sic illustratur: *animæ tuæ vas, hoc caducum vtique hoc corpus, VERMES, & omnis gene-is viles bestiæ babitabunt.* sed an bestias has vilissimas ge-eret cadauer, quæsiuerunt multi, ad quod præmittenda st Antigoni historia de mirab. c. 23. vbi ait, *in Aegypto oca quadam sunt, vbi si deffodiatur TAVRVS, ita vt cor-ua dumtaxat supra terram emineant, eaque deinde ser-a amputentur, ferunt APES euolare: quo videtur etiam Philetas animum intendisse, cum vocat Apes Taurigenas, hoc versu,*

Taurigenas, hac fatus, Apes longinquus adijsti.

ferunt etiam Crocodilum Scorpios generare, & ex Equis Vespas nasci: atque Archelaus quidam Aegyptius, vnus co-

eorum, qui epigrammatis miraculosa Ptolomæo enarrarũt, de Scorpijs ita cecinit,

In vos dissoluit morte, & redigit Crocodilum
Natura extinctum, Scorpij, omniparens.

de Vespis autem,

Progenies est ista cadauere nata ab equino:
Natura hac Vespas conditione creat.

Aristoteles etiam è Sisymbrijs (herba id genus est) putrefactis Scorpios nasci ait: his recensitis.

480 Redeo ad homines, & ex ipsorum cadaueribus bestias oriri præter Ouidium, notat ex pluribus Antigonus auctor græcus hist. mir. *96.* id quoque singulare est, cadauerum quorumdam medulla putrefacta, è spina SERPENTES paruos enasci, ijs qui ante obitum serpentis cadauer odorati sunt*:* & nos in epigramma incidimus Archelai, qui de mirabilibus scribit,

Cuncta in se alternis Aeui vis longa reuoluit
Et vicibus certis omnia mundus alit,
Et curuæ spinæ serpens (res mira) medulla
Nascitur, hoc monstrum putre cadauer habet:
Traxerat exanimi virus serpentis odorem,
Post sua, quem rursus funera gignit homo:
Credamus nasci Cecropem potuisse bimembrem,
Exemplis res est nunc ea mira minus.

sed virus an serpentis caussam possit esse hæreo, tu pende. nam Proteus apud Ouidium ad reparandas apes, iubet.

Obrue mactati corpus tellure iuuenci
Quod satis à nobis, obrutus ille dabit,
Iussa facit pastor, feruent, examina, putri
De boue mille animas, vna necata dedit.

& in metamorph. 15. Ouidius idem,

Nonne vides, quæcunque mora fluidoque calore
Corpora tabuerint, in parua animalia verti?
I quoque delectos mactatos obrue tauros
(Cognita res visu) de putri viscere passim
Florilegæ nascuntur apes, quæ more parentum
Rura colunt, operique fauent, in spemque laborant.

Virgilius Georg. 4. ex vitulo Apes oriri defosso canit, simulque herbas componit, ac præstat ortum. *Sic*

:ic positum in clauso linquunt, & ramea costis
ubijciunt fragmenta, thymum cassiasque recentes
'Ioc geritur zephyris primum impellentibus vndas,
Ante nouis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quamsignis nidum suspendat Hirundo,
nterea teneris tepefactus in ossibus humor
AEstuat: & visenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo, mos & stridentia pennis
Miscentur, tenuemque magis, magis aera carpunt.
Donec, & æstiuis effusus nubibus imber — erupère.

le ex Aristotele, & Varrone, qui de restaurandis Api- :ripserunt, deinde varij variè pro loci varietate rem- :erunt: sed mirandum, Apes sine pedibus nasci, quod us, met. 15. sic tradit,

Nonne vides, quos cera tegit sexangala fœtus
Melliferarum Apum sine membris corpora nasci,
Et serosque pedes, serasque assume re pennas.

e re, vide Isidorum, & Lucretium l. 5.

MALIVM RELIGIO ERGA FVNVS

CAPVT VLTIMVM.



Irum in modum bruta semper curasse suorum funera Cleanthes tradit; & Democritus, qui terrarum è sinu cuncta agnoscit, illa credidit, natura duce, restituenda telluri. hinc de Elephantis Plinius lib. 8. scribit, in morbis vel Deum auocare, fessosque ægritudine supinos in herbas iacere, velut tellurem precibus sollicitantes, ius addit sepulturæ curam erga mortuos, & l. 5. c. 49. *it, hoc brutis quoque inseruit natura, vt gentiles, & atas animantes extinctas, mox è conspectu amoueant, ro Aethiopum sermonibus, græcanico fastu carentibus agatum est, Elephantus cum alterum perspexerit mor- n, non præterit, quin humum promuscide haustum, veluti*

veluti ſancta , & myſtica quadam ceremonia iniiciat , communem naturam miſeratus mortuo parentans, vt ne aliquid impie committat : nam hoc quidem ipſum non facere execrabile ducit : quandoque ad hos nephas vitandum , ſatis eſt ei , vel ramum iniicere , quo facto abit , communem omnium finem non aſpernatus . morem hunc ex ſcripturis alibi docuimus , traditque non ſemel antiquorum pietas , vbi miſerationem erga defunctos præcipit .

482 Tranſeo ad Apes , de quorum morbis ſcripſit Diphilus , Varro , & Paladius , ceterique rei ruſticæ Authores , itaque breue animal frigore , vel fame confectum patitur fatum , tunc teſte Plinio , *defunctas progerunt , funerantiumque more comitantur exequias.* tubarum ſcilicet fremitu , velut Romanorum religioſiſſima vetus ſuperſtitio, illas ad funera comitantur : non enim patiuntur intra fauos in tabem abire , *ſed ſi quæ intus obierit , cadauer ſtatim foras efferunt .* inquit Ariſtoteles , & Columella , *frequenter aliæ mortuarum corpora domicilijs ſuis efferant* : quis dedit api pietatis obire munus? recte Auguſtinus , in lib. de cura gerend. pro mort. Deum attente cadauera , vt curentu[illegible] cepiſſe ſcribit , dum animalia , quæque [illegible] religioſe ſibi erigunt : de Grue mirum [illegible]lianus prodit l. 2. c. 1. dicens , *cum Thraciam Grues relinquunt defugiendo iniurias frigoris frequentes congregantur in Hebrum fluuium , lapidemque pro ſe quæque deuorat vt & vnde prandere poſſit , habeat , & aduerſus incurſiones ventorum firmamentum aſſequatur . migrant autem verſus Nilum , hyberni illic victus, et aeris tepidioris deſiderio incenſæ . quum vero proximum eſt , è Thracia vt migrare vltraque progredi ingrediantur , grus quæ fuerit extremo tempore ætatis affecta , ter vniuerſum gregem circumeundo emenſa cadit , ſupremumque vitæ diem conficit . quamprimum ſepultura reliquæ afficiunt , recta deinde in Aegyptum interfaciunt:* animaduerto Grues altas cœlorum regiones petere , vti Oppianus , ac Plinius ſcribunt , & cum nubes imbribus ſonant , tunc teſte Iſidoro , duce fortiter inclamante , in terram ſe conferunt , & humi quieſcunt . ſeruãt in volatu ordinem triangulum oxygonium, & tamen mor-

tua-

er bellica ordinum munimenta,
Aeliano, vt mirum, ſit pietatis
s componere.
am, ad quam nos miſiſſe Salomo-
aueribus abhorrere legimus apud
nortuas ex ſuis redimunt, iuſto-
clato ſepelliunt: rem Clean-
que Plutarchus de ſol. an. ac re-
. formicas geſtaſſe vſque ad ca-
x alienis domicilijs, ſuamque a-
mine verſabantur *vermem tan-*
S PRAETIVM attuliſſe, eumque
quam ferrent mortuam dimiſiſſe,
benter ſimiliter, atque vel fra-
quid ad hæc dicet Heſiodus? qui
ſtinxiſſe, beſtijſque terrenis, aqua-
vt mutua ſpreta iuſtitia inter ſeſe
utem iuſtitiæ munus largitum
it Priamus, ſiquidem ipſe homo
ex Iouis ſtirpe oriundo, ipſe quo-
orem pecunia redemit:
ninum obſequia: en Pompeius in
j caput ad roſtra: imo Antiocus
udæos interficiens reliquit inſe-
rat vates, *poſuerunt morticinia*
olatilibus cœli, carnes ſanctorum
uderunt ſanguinem eorum tan-
Hieruſalem, et NON ERAT QVI
enuo ad Titi, & Veſpaſiani tempo-
i deſtructionem Hieroſo-
re inclament? heu occinit Arias,
claraque nunc iacet,
cadauer
ulum tuorum:
e etiam feræ
liſſluit et Cruor,
vt riuus vnda
mis abundans:
dere proſpicit. Hhh cre-

crescit impietas hominum erga homines, ex eo quod homines brutorum sepulturas parasse legimus, vnde Aelianus 12. 41. inquit, *Miltiades tres Equas Olympiæ victrices sepultura bonore in Ceramico affecit, Euagoras Lacon item Olympionicos Equos ad sepulturam magnifice dedit*: de *Coruo* paulo ante Plinius scripsit, de *Cornice* simil... lianus, & tamen Heroum corpora olim insepulta iacuisse, quis non nouit? imo Leones olim hominum corporibus vesci solitos apud Danielem legimus, inculcatque D. Hieronymus illorum sæuitiam, qui parentum cadauera volucribus, ferisque deuorandos exhibebant; quod si Plutarcho, Oppiano, Aeliano, & Alberto creditur, Vrsi maximopere detestantur, dum falsò venatores, qui mortuos se effingunt, ne tangant, aufugiunt.

484 Animaduerto ex Ciconijs, (quas Ambrosio auctore, pietatis nomen Romanis indidisse compertum est) illæ fessos iam senio parentes, frondibus componunt ad tumulum, sic siue Anonimus, siue Obscurus, ille antiquus auctor, inquit, *tanta pietate præstant erga ... los sedulè pascant in senectute, et ... frondibus cooperiant, ne ab alijs iniuriam patiantur*: vidisti morem? sic de Elephantis paulo ante Aelianus, vnde Heroum sepulchra tali dignata honore arbitror, non enim semel à brutis specimen virtutum homines didicisse Plutarchus, & antea Plinius ex Democrito testantur: audi Nemesium de Melibœi fato plorans,

O felix Melibœe vale, tibi frondis odoræ
Munera dat lauros carpens ruralis Apollo.
Dant Fauni, quod quisque valet, de uite racemos,
De campo calmos, omnes ... ex arbore fruges.

Martialis lib. 1. sepulchrum, & ipse componit,

Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri uanus dat ruitura labor:
Sed fragiles Buxos, et opacas Palmitis umbras,
Quæque uirent lacrymis humida prata meis.

485 Tandem immortalitatis bono omine, Phenicem auoco, eiusque tumulo, finem signasse auspicatò precor: nonne sibi sepulchrum condit, vt vel mortua viuat? Op-

pia-

pianus *Rogum sibi mortalem* construere occinit; Ouidius lib. 15. metam.

Fertque pius, cunasque suas, partiumque sepulchrum,
Perque leues auras Hyperionis urbe potitus
Inte fores sacras Hyperionis æde reponit.

[illegible] Lactantius cecinit, ipsum audi,
[illegible] *um, siue SEPVLCRVM*

Nam perit, vt viuat, se tamen ipsa creat:
Colligit hinc succos, et odores diuite sylua
Quos legit Assyrius, quos opulentus Arabs,
Quos aut Pigmææ gentes: aut India carpit
Aut molli generat terra Sabæa sinu
Cinama dehinc, auramque procul spirantis amomi,
Congerit, et misto balsama cum folio,
Non Casiæ mitis, nec olentis vimen achanti
Nec thuris lacrimę, guttaque pinguis abest.
His addit teneras nardi pubentis Aristas,
Et sociat myrrhę pascua grata nimis.
[illegible] *rato corpus mutabile nido*
Vitali qu [illegible] *mbra quieta locat,*
Ore dehinc succos memoris, circumque supraque
Inijcit EXEQVIIS immeritura suis
Tunc inter varios animam commendat odores
Depositi tanti, nec timet illa fidem.

hactenus ille; & Dracontius hinc resurrectionis fidem auspicatur, monetque de cura erga tumulum, vt sit veluti immortalitatis monumentum.

FINIS

AD MAXIMAM DEIPARAE, ac Dei gloriam.



